NOTITIA HVNGARICAE REI NVMARIAE

AB ORIGINE

AD

PRAESENS TEMPVS

AVCTORE

STEPHANO SCHOENVISNER

PRESB. SEC.

R. VNIVERS. PESTANAE BIBLIOTHECARIO.



BVDAE.

LITERIS AC SVMPTIBVS TYPOGRAPHIAE EIVSDEM R. VNIVERSITATIS MDCCCI.

Tenenda antiquitas, quæ non modo ex vetuſtis Auctoribus, verum etiam e Nomismatis priſcis, & titulis, ſaxisque petitur. *ERASMVS ROTERODAMVS T. I. Opp. de Rat. inſtit. Diſcip. pag.* 447.

AD LECTOREM.

Prope in exitu est alterum jam decennium, ex quo de Numismatica Patriae meae, publicum in usum adornanda, meditari coepi. Occasionem praebuit singularis erga me benevolentia, & liberalitas RR. D. IOSEPHI KOLLER, Ecclesiae Quinque Ecclesiensis Lectoris, & Canonici, qui insignem Numismatum hungaricorum, ex archetypis, quae diversis in Museis, publicis ac privatis, adservantur, delineatorum Syllogen ultro mihi cessit, donavitque, una cum apographo Codicis Vaticani, quo rationes Decimarum pontificiarum, sub Regibus Carolo Roberto, & Ludovico I. in Hungaria collectarum, continebantur. Alter Mecoenatum fuit Exc. D. Comes IGNATIUS a BATTHYAN Transilvaniae Episcopus, qui Scriptum meum de re Numaria Hungariae, veteris ac novae, tanto dignatus est favore, ut illud suis curis, ac sumtibus in propria, quam Claudiopoli erexerat, Typographia edere constituerit.

Quod indubie futurum erat, ni fata obſtitiſſent. Ab obitu optimi Præſulis repertæ ſunt XIX. Tabulæ æneæ Numorum, per Viennenſem Chalcographum Sebaſtianum *Mansfeld* pro hoc Opere inciſorum: quæ ut ad manus meas non invitis Hæredibus pervenirent, hodierno Epiſcopo Tranſilvaniæ, Illuſtriſsimo, ac RR. D. IOSEPHO MARTONFFY in acceptis refero. Cujus etiam ſapientiſsimo conſilio factum eſt, ut præſens *Notitia Hungaricæ rei Numariæ*, quæ Publico utilis fore videbatur, ad limam iterum revocata, domi potius, quam peregre, primam lucem aſpiceret. Non minus in mea vota pronum, facilemque habui Magnificum, ac Spectabilem D. GEORGIUM SIGISMUNDUM a LAKICS, ad Excelſum Conſilium Regium Locumtenentiale Hungaricum Conſiliarium, Typographiæ Regiæ Univerſitatis Peſtanæ Directorem; quo agente citra omnem cunctationem non ſolum editio hujus Operis, viceſima inſuper Tabula Numismatica locupletati, verum etiam luculenta induſtriæ Auctoris remuneratio decreta fuit.

Hæc ſunt, Lector benevole! quæ ipſo in limine palam ut facerem, gratus imperavit animus. Diſpeſcitur autem hæc lucubratio bifariam. Pars prior, ſeu Diſſertatio prima, agit de re Numaria priſcorum Hungariæ populorum, Statumque monetalem Pannoniæ, ac Daciæ a prima memoria usque ad Hungarorum in has provincias adventum deſcribit. Pars

altera

altera, in quatuor Dissertationes subdivisa, rem Numariam Hungarorum propriam ab exordio Regni ad præsens tempus pertractat.

Quibus res literaria Hungariæ cognita est, facile vel ex titulis Capitum utriusque Partis, quorum Elenchum præmittimus, intelligent, lucubratione ista exhiberi Specimen quoddam Operis Numismatici, suo in genere primi, atque ideo, si numeris omnibus non sit absolutum, venia digni. Alioquin hoc argumenti genus est ejusmodi, quod supplementis augeri poscit, ac perfici. Aequus igitur Lector hos conatus boni consulat, longumque vivat, & valeat.

AD AUCTOREM.

Thesaurum Hungariæ donas, Clarissime! pro quo
Multa, sed incassum, Gens mea vota dedit.
Nam, quo divitiæ, si sint per secula sparsæ,
Ignoretque suas patrius Orbis opes?
Tu sparsos cumulas, occultos eruis, inde
Communi Numos luce, animaque beas.
Et struis ingentem gazam, cui Croesus, & omnes,
Quotquot erant, & sunt, Lysimachi invideant.

Quis

Quis tuus hic fuerit labor, & doctrina? loquetur
Hoc Opus, & toto litera ſcripta libro.
Diva Moneta tibi palmam cum laude rependet,
Signabitque tuo grande Numisma typo.
Huic ego verſiculos addam, quos forte timebit
Tangere de ſacris pulſa Rubigo locis.
Hiſtoria Hungariæ, cui tot documenta dediſti,
Semper ut in Faſtis ſit tua vita, dabit.
Reſtat, ut huic dono, quod das, tantoque labori
Promeritam tribuat Patria tota vicem.

GEORGIUS ALOYSIUS SZERDAHELYI
S. C. et R. A. M. Conſiliarius, Abbas S. Mauritii de Both, C. E. Vacienſis Canonicus, AA. LL. et Phil. Doctor, ac penes Exc. Conſ. R. L. H. in Commiſsione Studiorum Adſeſſor.

CONSPE-

CONSPECTUS OPERIS.

HUNGARICAE REI NUMARIAE

PARS PRIOR.
SEU
DISSERTATIO PRIMA.

De re Numaria priscorum Hungariae populorum.

PARS ALTERA
SEU
DISSERTATIO SECUNDA.

De re Numaria Hungarorum sub Ducibus, & Regibus Periodi primae.

DISSER-

DISSERTATIO TERTIA.

De re Numaria Hungarorum ſub Regibus Periodi Secundæ.

DISSERTATIO QUARTA.

De re Numaria Hungarorum ſub Regibus Periodi Tertiæ.

DISSERTATIO QUINTA.

De Numis Principum Tranſilvaniæ, & aliis varii argumenti ad Hungariam, hujusve provincias ſpectantibus.

HUNGA-

HUNGARICAE
REI NUMARIAE
PARS PRIOR.
SIVE
DISSERTATIO PRIMA
DE RE NUMARIA PRISCORUM HUNGARIAE POPULORUM.

CAPUT PRIMUM.

Diſceptatio prævia de Numis ATTILAE, Hunnorum Regis.

§. I.

Acturus de Re Numaria priſcorum Hungariæ populorum, exordior a diſceptatione de Numis ATTILÆ, Hunnorum, ad quos Hungari ſuam referre amant originem, Regis quondam potentiſſimi. Sunt enim, qui Attilam Numos ſignaſſe, & nonnullos horum ad noſtram perveniſſe ætatem, arbitrentur. Hos inter Tilmannus *Friſius* in ſpeculo monetali, de *Attila* hunc in modum ſcribit: „ Fertur præter alias monetas, etiam Numos e puriſſimo auro, & argento procudiſſe, di-

drachmi pondere ſingulos, & in eorum antica ſignum quodpiam, cruculam referens, in averſa vero aliud quidpiam, cornicis pedi ſimile, expreſſiſſe." *a*)

Hæc legens Mathias *Belius*, effinxit ſibi, ærique incidendum curavit Numisma, nullis aliis figuris, quam characteribus ex Alphabeto ſuo, ſi ſuperis placet, Hunno-Scythico, delectis, quibus nomen *Attilæ* indicaretur, ſignatum. *b*) Sed, quemadmodum illa *Friſii* relatio nullum ad faciendam fidem pondus habet, utpote omni vetuſtiore teſtimonio deſtituta, ita Belianum hoc Numisma eſt conjecturale dumtaxat, neque inter veros, & genuinos *Attilæ* Numos recenſeri poteſt. Hoc igitur miſſo, alios potius, qui pro *Attilanis* vulgo habentur, recenſebimus, & an reapſe ab Rege Hunnico *Attila* ſignati fuerint, inveſtigabimus. Sunt autem tria iſtorum genera; unum, in quibus epigraphe eſt hinc ATEVLA, inde VLATOS. Alterum, ubi legitur ATILA, vel ATHIL, vel ADVLA. Tertium denique maxime obvium cum inſcriptione in antica parte ATTILA REX; in averſa vero: AQVILEIA. En pleniorem ſingulorum notitiam.

§. II.

Numi ATEVLA VLATOS inſcripti.

1. ATEVLA. Caput nudum, imberbe, dextrorſum converſum, alis ad humeros inſtructum, & faſciola circa collum.

VLA-

---

a) *Frieſen* Münz-Spiegel. Frankfurt 1592. „Dieſer (*Attila*) ſoll neben ander Münz gekörnet Geld vom Silber, und Golde, von zween Quinteln ein Korn gegoſſen, daran ein Zeichen, wie ein Kreutz, und anderſeits wie ein Krauen-Fuſs, geſchlagen haben." Rariſſimus hic Friſii Tractatus monetalis editus eſt etiam in Actis publicis monetariis, per Davidem Thomanum ab *Hagelſtein* collectis, ubi pericope nunc deſcripta occurrit Lib. III. Cap. V. p. 38.

b) De veteri Literatura Hunno-Scythica Sect. 3. p. 68.

VLATOS. Equus a ſiniſtris dextrorſum, ſtans capite erecto, & quaſi cornuto. Supra equum ſimile quid lituo, vel S jacens; infra vero pentagonum, & lunula. *Argent. Numulus* e Muſeo Ill. Com. Georgii FESTETICS. Vid. hic *Tab. I. Nro.* 1. *Tab. I. Nro.* 1.

2. Alii quatuor, inſcriptione, ac partis utriusque typo ſimiles præcedenti deſcribuntur ab *Eckhelio* P. I. Muſei Cæſarei Vindob. p. 13. Quorum tamen duo diverſi ſunt cunei, nam in imo numi ſegmento (*Gallis exergue*) non pentagonum, ſed tetragonum eſt, & pro lunula ramus. Sunt itidem argentei omnes, tertii moduli. Eckhelius Caput partis anticæ Protomen Victoriæ alatæ nuncupat.

3. ATEVLA. Caput nudum imberbe cum alis, & pectore nudo.

VLATOS. Equus a dextris ſiniſtrorſum, juxta quem figura virilis, & infra hanc pentagonum, ac lunula bicornis. *Arg. III.* apud *Bandurium* e Muſeo Foucaltiano, T. II. *Num. Impp. Rom.* p. 313.

4. Alius ſimilis, ſed in quo ſupra equum aliquid litui inſtar exprimitur. *Arg. III. Ibidem* e Muſeo Fontanæ.

5. Alius, uti *Num.* 1. niſi quod intra lunulam occurrat Stellula. *Arg.* apud Begerum T. I. *Theſ. Brandeb.* p. 313. Iconismus Numi apud hunc Auctorem archetypo longe major eſt. Idem notandum eſt de Numis in libris complurium aliorum ſcriptorum depictis.

6. ATEVLA. Caput barbatum.

VLATOS. Equus capite erecto. Supra quem S jacens, aut lituus, & intra pedes Equi pentagonum. *Arg.* apud *Mediobarbum* e proprio Muſeo, p. 542.

7. Epigraphe, & utriusque partis typus, uti N. 1. *Arg. III.* apud *Jacobum Chiffletium* P. I. Veſont. p. 211. & ex hoc apud *Joan. Eccardum* in Obſerv. de Numis Attilæ, quæ Actis Lipſienſib.

ad Ann. 1720 p. 214. insertæ sunt cum multis idgenus numulorum ectypis, & occurrunt etiam T. I. Originum Guelphicarum p. 15.

8. Similis præcedenti quod ad epigraphen, typumque capitis, & Equi attinet, verum diversus quoad attributa circa equum occurrentia, in hoc enim non pentagonum, nec lunula, sed pro his arista, & flosculus in area visuntur. *Arg.* apud *Cambdenum*, & *Gibsonium* in descriptione Britanniæ, & apud Eccardum l. supr. cit. Item in Jansonii Atlante T. IV. p. 17. sed hic absque spica.

9. ATIVLA. *Sic.* Caput imberbe, cum alis ad humeros.

Nulla Epigraphe. Stans equus; supra lituus; infra est pentagonum. *Arg.* apud *Eccardum l. cit.* e Museo Gerhardi Abbatis Lucensis.

§. III.

Animadversiones.

De Numis ATEVLA inscriptis commentati sunt Chiffletius, Begerus, Eccardus, Airmannus, Abb. Pray, aliique. Opiniones variant. E sententia Chiffletii ATEVLA est Hunnicum *Attilæ* nomen *a*). „Extant, inquit, Numi argentei, quos *Attila* cudi jussit, victoriarum suarum, vel melius stragum, posteris funesta signa: duos asservo hic (*Vesontione*) effossos, aliquantum tamen diversos cum victoriæ symbolo, & vocabulo ATEVLA, germano, ut probabilissimum est, *Attilæ* nomine secundum Barbarorum appellationem, quam deinde cultiores Romani, & Celtæ leniverunt, Attilam nuncupantes, sicut ipsimet olim Romani Syllam pro Sulla dixerunt.“ Cum *Chiffletio* sentiunt Comes *Mediobarbus*, & Anselmus *Bandurius*, qui *Ateulæ* numos inter Attilanos recensent, ac describunt.

At

a) P. I. Vesont. p. 221.

At Cambdenus, Gibsonius, & Eccardus idgenus monetas Britannici cujusdam Reguli esse arbitrantur, & quidem *Eccardi* opinione ATEVLA est loci, VLATOS vero Principis nomen ex Velocato contractum.

Ex adverso *Begerus* existimat eosdem numos non in Britannia magna, sed in Gallia procusos fuisse a quopiam, cui nomen erat VLATOS ATEVLA, idque arguit e fragmento inscriptionis lapidaris apud Lugdunum reperto, & per *Sponium* in Miscellaneis p. 170. edito, ubi nomen *Caji Vlatti* legitur. Sententiam Begeri amplectitur Fridericus *Airmannus*, eamque firmat alterius quoque lapidis, apud Nasium, hodie Nancejum, Lotharingiæ oppidum, effossi epigrammate, in quo ipsum adeo nomen ATEVLA reperias *a*). His accessit Abb. Georgius *Pray*, qui *Dissert. IX.* p. 218. Chifletium impugnans „Quid vero, inquit, docto in mentem venerit, ut illos (Numos *Ateula Vlatos* inscriptos) in Victoriæ signum ab Attila in Galliis cudi jussos existimaret, non intelligo. Binas *Attilæ* in Galliam procursiones a scriptoribus consignatas habemus: alteram cum in campis Mauriacis anno 451. pugnatum est; alteram cum paullo ante mortem in Alanos, ut Jornandes refert, trans Ligerim sitos moverat. In neutram Numus hic quadrare videtur. In prima quamquam Occidentis imperium occupare apud animum constituerat, tamen prælium Catalaunicum tam ambigue illi cecidit, ut propior victo, quam victori, videri possit; neque a dubia utrinque victoria tamdiu in Galliis moratum legimus, ut illi in mentem veniret, numos, rei gestæ testes, cudi jubere. Altera autem in Gallias expeditione Thorismundus jam multo ante destinationem Attilæ compererat, fugatumque a partibus suis sine triumpho remittens, in sedes proprias fugere compulerat. — — — Et quis numum hunc

Atti-

---

a) Diss. de Numis Ateulæ Regi Attilæ male attributis. Giessæ sine anno.

Attilæ honoribus cuderet? elegantior est, quam ceteroquin Seculo V. sive Romanorum, & Byzantinorum, sive Gothorum, Vandalorum, aliorumque, ex quibus non pauci superant, ejus ævi numismata fuisse videamus. Ex quo capite doctissimus Fridericus Airmannus recte observat, Chiffletii numos ad Gallias pertinere, in quibus *Ateulæ* nomen dudum ante Hunnorum in Europam adventum in usu erat. Affert in hanc rem, quæ Nasio Lotharingiæ oppido reperta est, inscriptionem hujus tenoris:

PATRICIUS NASIENSIS
CVRATORIBUS ET MINISTRIS
INVENTIDIO FIRMO
ET
ATEVLAE SOLLI F.
HVIVS FANI FACIENDI.

Hanc Romanæ adhuc, & gentilis Galliæ satis idoneam testem arguit e *Solliorum* nomine, quod Gallicanis familiis proprium fuisse, non modo e *Sollio-Apollinari*, sed aliis etiam, quos in medium promit, luculenter confirmat. Itaque ex Galliis, & hunc *Ateulam*, quod *Solli* filius dicatur, non vana illi suspicio est, numos Gallicanos veteres, quos Chiffletius adducit, cum isto contendens, in quibus figura equi perinde, ut in *Ateulæ* numo, comparet. Tum singillatim magis rationes explicans, videri sibi non abs re ait, numum hunc religionis, non item victoriæ causa, procusum fuisse: Scitum enim est, equos olim apud Celtas, & Germanos in sacrificiis adhibitos: Litera S, quam alter numus exprimit, proxima est lituo; alter non obscure secespitam refert. Pentagoni forma Symbolum salutis olim fuit; denique figura in altero, ut videtur, petaso tecta, non obscure Mercurium designat, quem a Gallis præcipue cultum fuisse, Cæsar in Commentariis de bello Galli-

co

co adnotavit. Quæ omnia ſuadent, ATEVLAE numum nihil omnino ad *Attilam* pertinere. Igitur conjecturam quoque Chiffletii, *Ateulæ* nomen ſecundum Barbarorum appellationem *Attilæ* proprium videri, locum habere non poſſe, conſectaneum eſt" *a*).

Breviſſime, atque, ut reor, optime Cel. *Eckhel* in Catal. Muſ. Cæſ. quatuor *Ateulæ* numos argenteos inter incertos Galliarum refert, notatque eos pro *Attilæ* Hunni numis diu perperam habitos fuiſſe *b*).

His præſtantiſſimorum doctrina, & eruditione virorum obſervationibus liceat nunc meam quoque, cujuscunque ea demum ſit momenti, adjicere. *Vlatos*, ſive *Vlatus* *Ateula* fuerit vel Princeps Civitatis Lugdunenſis, incertum quonam tempore, vel Patronus corporis mercatorum, Lugduni conſiſtentium. In lapidibus enim Lugdunenſibus invenio *Vlattos*, ſive potius *Vlattios* cum diverſis cognominibus. Nempe in lacera illa apud Sponium, ad quam Begerus provocat, eſt:

C. VLAT. ASPR - - - -
SEGVSIA - - - - - -
NONO - - - - - -

In altera autem apud eundem Sponium, & in Theſauro Gruteriano legitur: *Cajus Vlattius Meleager, Sevir Auguſtalis Coloniæ Copiæ Cæſareæ Lugdunenſis, Patronus omnium Corporum Lugduni licite coeuntium.* Sed en epigraphen marmoris integram *c*).

D. M.

a) Pray Diſſ. IX. p. 218.
b) Eckhel P. I. Catal. Cæſ. p. 13.
c) Gruteri T. I Corp. Inſcript. p. CCCXCIX.

D. M.
ET MEMORIÆ ÆTERNÆ
C. VLATTI. MELEAGRI. IIIIIIVIR. AVG.
C. C. C. AVG. LVG. PATRONO OMNIVM
CORPOR. LVG. LICITE COEVNTIVM
MEMMIA CASSIANA CONIVX
SARCOFAGO CONDIDIT ET S. A. D.
Id eſt: *Sub Aſcia Dedicavit.*

Tertia eſt, in qua legitur VLATTIA METRODORA, quæ cum *Lucio Senio Regnio Auguſtali, Seviroque Lugdunenſi* monumentum poni curavit *Cajo Senio Reguliano, Equiti Romano*, Curatori, ac Patrono Negotiatorum quorumdam Lugduni conſiſtentium *a*).

Teſtibus ergo his monumentis certum eſt, *Vlattorum* familiam Lugduni in Gallia, adhuc pagana, floruiſſe, certum quoque, ex eadem *Ulattiorum* gente, ſeu familia, alios aliis cognominibus, ut ſeſe diſtinguerent invicem, uſos fuiſſe, inter quæ proinde nullum eſt dubium, ſpectatis Numis, nunc deſcriptis, quin etiam *Ateulæ* cognomen quibusdam *Ulatis*, vel *Vlattiis* proprium fuerit. VLATOS in Numis pro VLATVS vetuſta apud Latinos ſcribendi ratione.

Caput, & Protome Victoriæ alis inſtructæ in his *Vlati Ateulæ* monetis accepta eſſe videtur ex denariis familiarum Romanarum. Simile enim caput reperitur apud Vaillantium *b*) in uno denariorum gentis *Atiliæ*, nomine *C. Atilii Reguli* inſignito, N. 9. In denariis duobus gentis *Juliæ*, ad Cæſarem Dictatorem ſpectantibus N. 22. & 23. In uno gentis *Liciniæ* M. Craſſi N. 1. & in altero C. Marii gentis *Mariæ* N. 4. Nec non in denariis argenteis ſequentium familiarum Rom. *Minuciæ* N. 1. *Muſſidiæ* N. 7. *Papiæ* N. 3. *Soſiæ*

a) Ibidem p. CCCCLXVI. 7.
b) Num. Fam. Rom. T. I. & II.

Sosiæ N. 3. ac demum *Valeriæ* N. 1. In hoc autem postremo deprehendes Caput Victoriæ non modo alis ad humeros, verum etiam fasciola circa collum ornari.

Quod cum ita sit, credi potest, Numos *Vlati Ateulæ* jam antea, quam Lugdunensis Gallia in formam romanæ redigeretur provinciæ, adeoque tempore aliquo, epocham Christianam anteverten-te, procusos fuisse. Hanc sane antiquitatem sapere videtur ipsum *Vlatos* pro *Vlatus* nomen. Nec obstant memoratæ marmorum inscriptiones, quæ Augustorum ævum respiciunt. Poterat enim gens *Vlatia*, ex qua fuit *Ateula*, etiam sub Augustis perseverare; cumque *Vlatii* inter cives Lugdunenses antiquitate, nobilitate, opibusque præcellerent, non mirum, si serius quoque præcipuos Lugduni Magistratus gesserint, atque a societate mercatorum, ibidem consistentium, pro patronis habiti sint. En, quanta jam temporum intercapedine Numos *Ateulæ* ab *Attilanis* removerimus.

Ceterum „nostra hac ætate, ait *Eckhelius* in Opere nuper consummato, & paullo ante suum obitum, quem chorus Musarum longo lugebit tempore, typis Vindobonensibus edito, *a*) jam non dubitamus, similes numos esse Gallicos, quod metallo, volumine, fabrica, typo Gallicis sint simillimi, nihilque iis cum Rege Hunno negotii.“ Elegans est ejusdem in pentagonum, quod sæpe in veteribus numis Gallicis æque, ac in propositis *Ateulæ* monetis conspicitur, animadversio, hoc nempe Symbolum fuisse, Pythagoreis proprium, a Gallis simul cum doctrina Pythagorica de metempsychosi, animarumque immortalitate, adoptatum *b*).

§. IV.

---

a) Doctr. Num. Vet. P. I. Vol. I. p. 77.
b) Ibidem p. 63.

§. IV.

Numi cum epigraphe ATILA, & ATHIL.

Barbaris ATEVLÆ Numis ad Gallias relegatis, commemorandi nunc veniunt ſequentes ærei.

1. ATILA. Caput nudum imberbe, dextrorſum ſpectans. In
Tab. I. Nro. 2. averſa: Leo gradiens. *Vid. hic Tab. I. N.* 2.

2. ATHIL. Caput. *In averſa*: Equus. *Æreus incerti moduli.* Sic apud Anſelm. *Bandurium* T. II. Impp. Rom. p. 527. ex Patino, & Mediobarbo.

Horum Numiſmatum nulla occurrit mentio apud *Eckhelium* in Doctrina Numorum veterum, neque conſtat hodie, in quonam Muſeo conſerventur. *Ducangius* tamen, ex quo Numum, priore loco deſcriptum, mutuati ſumus, diſerte in ipſo Libri ſui titulo profitetur, omnia, quæ in Tabulis Æneis ibidem proponuntur Numiſmata, ex Regis Chriſtianiſſimi, aliorumque Gazophylaciis eſſe deprompta. Liber hic inſertus eſt Scriptoribus Hiſtoriæ Byzantinæ Tom. XXI. edit. Venetæ, ubi Numus hic Attilanus p. 54. Tab. IV. quæ familiæ Theodoſii M. reliquas monetas exhibet, Numo *Honoriæ Auguſtæ* adjungitur. Fides habenda eſt Viro, ut nobilitate, ita virtutum, ac doctrinæ, etiam Numiſmaticæ, celebritate cumprimis conſpicuo. Libri titulus eſt: *Familiæ Auguſtæ Byzantinæ.* Auctoris nomen: Carolus du *Freſne*, Dominus du *Cange*, Regi a Conſiliis. Ab exteris compendio *Ducangius* appellatur. Poſteriorem vero Numum, *Athil* inſcriptum, opinor ſe Patiniano dumtaxat Indice aliis innotuiſſe. Editum aliquando, aut plenius deſcriptum non memini. De utroque tamen libet quædam adnotare.

Caput nudum, & epigraphe ATILA, vel ATHIL ſine regis titulo, valet ad commendandam Attilæ in exteriore adparatu modeſtiam, quam Priſcus Rhetor, teſtis oculatus ſic deprædicat:

a) „In reliquis omnibus moderatum ſeſe præbebat *Attila* — — — Frugalis admodum ejus veſtis, nihil, quod ab aliorum veſtibus dignoſci poſſet, habebat, niſi, quod erat pura, & impermixta. Neque enim enſis erat aliqua illuſtri elegantia conſpicuus, neque calceamentorum barbarorum ligamina, neque ejus equi frœna, ut reliquorum Scytharum, auro, aut lapidibus, aut aliis hujusmodi gemmis pretioſis erant ornata.“

Sed in Numo, obſervat Abb. Pray, eſt caput Attilæ magis affabre, quam illa ætas tulerit, effictum, tum oculis grandiuſculis, atque prominentibus, naſoque acuto, contra Jornandis teſtimonium, qui Priſcum ſecutus affirmat, fuiſſe Attilam capite grandiore, minutis oculis, & ſimo naſo.“ Nempe Numum RR. Pray, non qualem Ducangius ex Originali edidit, ſed qualis in Opere Numismatico Comitis Mediobarbi depingitur, contemplatus eſt, ab Originali longe diverſum. In depingendis enim capitibus editores Mediobarbi magis elegantiæ, quam veritati ſtuduerunt. At ſi Ducangianum, noſtrumque Numismatis ectypum conſulas, in eo facile tam caput anticæ, quam leonem averſæ ſic ſatis ruditer expreſſum obſervabis, ut Numisma ipſum ab ætate Attilana minime abludere cenſeas. Nec lineamenta vultus a Priſci & Jornandis deſcriptione magnopere diſcrepant, certe non magis, quam id in Principum Byzantinorum monetis, tempore Attilano ſignatis, appareat.

Quod ad nomen Attilæ in propoſitis Numis varie ſcriptum attinet, ATILA, & ATHIL, tanti non eſt momenti, ut idcirco ſpurias inter merces rejici debeant. Joannes de Thurocz P. I. Chron. Hung. ſcribit, *Attilam* a popularibus *Ethel* dictum. Priſco Rhetori ſcribitur *Attilas*; Saxoni Grammatico *Athila*, quod nomen apud Finnos quoque uſitatum fuiſſe refert.

Numis-

a) T. I. Hiſt. Byzant. in Excerpt. Legat.

Numismatis Attilani cum Equo in averſa meminit etiam Ill. Fr. Car. *Palma* T. I. Notit. Rer. Hung. p. 17. Not. A. primæ edit. Tyrn. 1770. hiſce verbis: „Traditio eſt prope vicum Dombegyház in provincia Chanadienſi *Atilam* tumulatum, nec longe inde Regiam illius abſuiſſe, ubi numum *Atilæ* argenteum repertum accepimus, cujus pars adverſa effigiem Regis cum epigraphe, averſa equum referebat." Quonam is Numus devenerit, Auctor non commemorat. Nec ſatis conſtat, an eum ſuis ipſe oculis viderit, vel ſolummodo ab aliis viſum fuiſſe, nonnullorum narratione acceperit.

§. V.

Adula Rex in Numo Eccardiano, an idem qui Attila?

Tab. I. Nro. 5. Tabula I. N. 5. ſiſtimus Numulum æreum, in quo Adverſa repræſentat Protomen capite pileato, Averſa vero inſcriptionem hanc: ADVLA REX. ſine aliis figuris.

De hoc Numulo æreo hunc in modum diſſerit Joan. Eccardus l. ſupr. cit. „*Attilæ* tamen numus ſi unquam genuinus extitit, unius exemplar nos poſſidere certum eſt. Æreus is eſt, & magnitudinis ejus, quam in delineatione hic adjecta apparet. Vultu imberbi ſiſtitur Princeps, & miti aſpectu. Caput tiara, aliquantum tamen detrita in numo, tectum, corpus paludamento barbarico veſtitum eſt. In poſtica numi legitur literis admodum perſpicuis: ADVLA REX. & nomen hoc circulo velut laureaceo incluſum eſt: ut & imago Principis in antica. In effigie, & veſtitu Principis aliquid comparet *Baduilæ*, ſeu *Totilæ* Gothorum Regi ſimile, cujus tamen cauſa *Attilæ* hunc numum ſurripere nolim. Similitudo enim hæc procedit ab *Attilæ* inſtituto, quo mores, & linguam Gothorum amabat, & videtur uſum veſtimenti Gothici recepiſſe barbarus, quod patrio id commodius, & elegantius eſſet: quemadmodum Gothi a

Getis

Getis, quibus in terris ad Danubium ſucceſſere, etiam veſtitum mutuarunt.“ Hæc eſt Eccardi de ſuo Numismate opinio.

At vero longe veriſimilius eſt, immo mihi prope certum, ac indubitatum, quod ADVLA in hoc numulo Eccardiano pro BADVILA partim incuriæ Monetarii, partim vero temporis edacitati debeatur. B omiſſum culpa eſt artificis, majore forſan, quam paratus numi modulus exigebat, marculo ſignatorio uſi. Litera vero I temporis diuturnitate fuerit eroſa, & exeſa in vacuo ante L ſpatio. Ex Numis *Baduilæ* Regis melius conſervatis, qui in Catalogo Muſei Cæſ. Vindob. deſcribuntur, alter ſic habet; *a*)

In Antica: DN. BADVILA REX. Protome cum ſtemmate inſolito.

Averſa: DN. BADVILA REX. in medio numo intra corollam.

Exiguus Numi Eccardiani modulus non cepit omnia, quæ latiore typario continebantur.

§. VI.

Deſcriptio recentiorum ATTILÆ Numismatum.

1. ATTILA REX. Protome Regis capite cornuto, barbatoque, & pectore loricato.

AQVILEIA. Vrbs mœnibus, ac turribus munita. *Aureus maximi moduli e Theſauro Imp. Rudolphi II. a Schoedelio, & Math. Belio* laudatus *b*).

2. Omnia, ut in præced. ſed in pectore Attilæ biceps aquila. *Arg. max. mod. e Muſeo C. Feſtetics.* *Tab. I. Nro. 3.*

3. ATTILA 441. REX. Protome Regis, ut N. 1.

AQVI-

a) P. II. Cat. p. 537. Nro. 3.

b) *Schœdelius* præſide Bernegero Diſquiſit. hiſt. polit. de Regno Hung. *Belius* de vetere Lit. Hun. Scyth. p. 68.

Tab. I. Nro. 4.

AQVILEIA. Urbs, ut in præced. *Argent. & æreus max. mod. Reg. Univ. Pest.*

4. ATTILA REX. Protome Regis non cornuti, ut in prioribus numis, & vultu liberaliore.

AQVILEIA. Urbs turribus, & mœnibus conspicua. *Arg. max. mod. ibidem.*

Facile quivis, etiam me non monente, intelligit, omnia hujus generis numismata recentiore manu fabricata fuisse in memoriam captæ, & eversæ per *Attilam* Aquilejæ. Incertum est, quonam primum auctore prodierint. Sed horum aliqua jam tertio abhinc Sæculo extitisse, indicia habemus manifesta in libris Auctorum Sæculi XVI. & quæstus faciendi causa, sæpius recusa sunt ex vilioribus quoque metallis. Imaginem idealem *Attilæ* cornuti in prioribus tribus Numis, verisimile est, respicere fabulosam Hunnorum, ex Aliorumnis Dæmonum, Faunorumve concubinis prognatorum, originem, ab *Jornande* primum, dein a *Sigeberto* Gemblacensi, & *Antonino* Florentino diditam, & vulgatam. Additus nonnullis idgenus Numis Annus 441. non rite signat annum Aquilejæ per Attilam dirutæ. Id enim anno 452. contigisse omnes melioris notæ Chronologi affirmant. Imperite quoque in Numismate, qui hic N. 2*do* recensetur, pectori Attilæ adpingitur biceps aquila, cum hæc insigne sit Imperii, non utique veteris Romani, quod Attila eversum ibat, sed longe posterioris Germanici. Præter fictos hos *Attilæ* Numos impostores lucripetæ alios etiam ejusdem furfuris obtrudere solent imperitis, aut nimium credulis, qui scilicet fratrem Attilæ *Budam*, Prisco *Bledam* nuncupatum, repræsentant. Quæ numismata æque maximi sunt plerumque moduli ex argento, vel ære.

§. VII.

§. VII.

De ATTILÆ imagine lapidea, & quibusdam aliis Nůmis eidem tributis

Bernegerus Alſata Profeſſor Argentoratenſis cum diſcipulo ſuo *Schoedelio* Hungaro Poſonienſi, anno 1629. edidit libellum, cui titulus: *Diſquiſitio hiſtorico-politica de Regno Hungariæ*, in quo præter alia imaginem quamdam, opere anaglypho in Tabula lapidea exſculptam, ærique inciſam proponit, eaque *Attilam* Hunnum repræſentari exiſtimat, ob additas in eodem lapide has literas: A. V. ÆTA. XLVII. Quas interpretatur: *Attila Vnnorum Aetatis* XLVII. Berneggeri interpretationem rejicit Jo. Daniel *Schoepflinus* T. I. Alſatiæ illuſtratæ p. 222. ſic diſſerens: „In vertice portæ Argentoratenſis, quæ a Coronæ Burgo nomen habet Cronenburg, poſita hodieque conſpicitur Tabella lapidea rotunda, & inſculpta imago viri, cum Virgiliana epigraphe: *Sic oculos, ſic ille genas, ſic ora ferebat.* Imaginem *Attilæ* & multi eruditi, & vulgus olim crediderunt. Sed nihil profecto figura hæc continet, quod nobis *Attilam* indicet. Siglas: A. V. ÆTA. XLVII. *Berneggerus* quidem explicat: *Attila Vnnorum Aetatis XLVII.* Similes aliæ Tabellæ intra portæ hujus fornices poſitæ, quæ Neronis, aliorumque primi Sæculi Imperatorum icones ſiſtunt, inducere nos poſſunt, ut *Aulum Vitellium* a Sculptore in hac Tabella expreſſum eſſe conjiciamus.“.

Igitur Schoepflino interprete imago, de qua nunc agimus, non *Attilæ* regis fuerit, ſed *Auli Vitellii* Auguſti. Mihi vero imaginem, qualis a Berneggero proponitur, & inſcriptionem paullo attentius expendenti, monumentum hoc ad ævum non Vitelliano dumtaxat, verum & Attilano multis Sæculis poſterius videtur eſſe referendum. Quid ſi hæc effigies reſtauratorem portæ Corneburgenſis, exhibeat? Königshovius Chron. Alſat. p. 274. perhibet hanc Urbis portam ann. Chriſti MCCCLXXIX. erectam fuiſſe. Reſtaurationis ve-

ro annum eidem portæ adſcriptum MDXXXII. Schœdelius adhuc ſe vidiſſe teſtatur, l. ſupr. cit. Exſculptæ vero imaginis capillitium, & ſuperjectam humero veſtem ſi attente, ut in ectypo ſeſe offert, contempleris, veſtigia Sæculo XVI. vix antiquiora deprehendes. In ſiglis ergo: A. V. ÆTA. XLVII. non certe ſive *Auli Vitelii*, ſive *Attilæ Vnnorum*, ſed viri cujuspiam longe recentioris nomen, cognomenque abſconditur, Reſtauratoris nempe portæ, quam hæc Icon ornat, Corneburgenſis, qui reſtaurationis tempore annum ætatis ſuæ agebat XLVII*mum*. Quod an ita ſit, viderint hodierni Argentoratenſes, excuſſis, ſi ita viſum fuerit, luſtratisque curioſius civitatis ſuæ archivis.

Erant vero apud Argentoratenſes etiam numuli quidam argentei, pro *Attilanis* vulgo habiti, quorum unum Berneggerus, & Schœdelius in Opuſculo ſupra laudato infra iconem, pro Attilana perperam habitam, edidere. Eſt autem in antica numuli Scutum baltheo diviſum; in averſa monogramma ex literis V & E colligatis, raſtri figuram referens. Lukius, teſte Berneggero, id interpretatus eſt *Vetzel*, idque idem, quod Thurociani Hungarorum Chronici *Ethel*, adeoque *Attilam* ſignificare autumabat. Quia nempe vulgaris fuit perſuaſio, everſionem Urbis Argentoratenſis per Hunnos Attilanos contigiſſe, funeſtique hujus eventus memoriam quibusdam in Numis conſervatam fuiſſe. Teſtis hujus Opinionis eſt Bernardus *Herzog* Chron. Alſat. L. VII. Cap. 1. Cum tamen, ut jam Daniel *Schoepflinus* in Alſatia illuſtrata T. I. p. 222. ſeq. luculentis oſtendit argumentis, Argentoratum non per Hunnos, verum per Vandalos, & Allemannos annis XLIV. prius, quam *Attila* Rhenum trajecerit, proſtratum, & everſum fuerit. Sed numulos, de quibus nunc ſermo eſt, Attilanos eſſe non poſſe, ſat ſuperque evincit ſcutum heraldicum altera expreſſum facie, cujusmodi ſcuta in monetis vix ante Sæculum XIII. reperias.

Atque

Atque hæc sunt, quæ de Numis vulgo Attilanis disceptare visum est ipso in limine Operis, quo universam rem Numariam *Hungariæ*, tam *Antiquæ* videlicet, quo nomine præcipue Pannoniam, ac Daciam, variis quondam populis subjectam, intelligi volumus, quam *Novæ*, id est, Pannoniæ, ab *Hungaris*, novo Europæ populo, sub X. Sæculi exordium armis occupatæ, ac jure deinceps perpetuo retentæ, describere intendimus, ac illustrare.

CAPUT ALTERUM.

De quibusdam Numis græcis, & horum imitatione signatis barbaris, quorum usus fuit in Pannonia, & Dacia ante Romanorum in his provinciis imperium.

§. VIII.

Quinam vetustissimi Numi in Hungaria, hujusque provinciis erui solent.

Inter Numos veteres, qui passim in Hungaria, terrisque adjacentibus magno utcunque numero erui solent, antiquissimi sunt hactenus Regum *Philippi* Macedonis, *Alexandri M. Audoleontis*, *Lysimachi*, & autonomi *Thasiorum*, *Apolloniatarum*, ac *Dyrrhachenorum*, fabricæ partim *græcæ*, partim *barbaræ*, sive domesticæ Pannoniorum, Dacorumve, sive vicinarum in Thracia, & Illyrico gentium barbararum. Unde verisimile, ac prope certum est, priscos Pannones, gentem, ut Strabo perhibet *Geogr. L. VII.* Celticam, Thracibus, & Illyriis permixtam, nec non Dacos populum Geticum, his potissimum pecuniæ antiquæ formis, quas actutum descripturi sumus, uti consuevisse antea, quam illi a Cæsare Octaviano, hi vero a Trajano Augusto subjugati, ad communem Romanæ solum-

modo monetæ in quotidianis commerciis usum adigerentur. Potissimum vero græcos idgenus, & barbaros Numos Dacia nobis, & inferior Pannonia suppeditat; in superiore rarius inveniuntur. Quæ causa est, cur existimare liceat, ætate illa, quæ Christianam epocham, Romanorumque in Pannoniis dominatum anteverit, nondum omnes harum terrarum incolas monetis inter se usos fuisse, sed eos tantum, qui Macedoniæ, vel Thraciæ, aut græcis in Illyride coloniis propiores habitabant, reliquos autem, more plurium aliorum id temporis barbarorum, simplicius egisse, solisque mercium permutationibus contentos vixisse *a*). Porro Numismata græca, & græco-barbara, quæ in Pannonia inferiore ac Dacia effodiuntur, ita habent.

§. IX.

Numismata PHILIPPI Macedonis græca, & barbara.

1. Caput Jovis barbatum laureatum.

ΦΙΛΙΠΠΟΥ. Eques pileatus lento gradu, dextra elata. In pluribus aliis, idem Eques diadematus d. ramum oblongum. Infra equum, vel per aream, signa varia, & monogrammata. *Arg. Tetradrachmum, obvium in Museis.*

2. Alia similia, sed cum epigraphe plus minus depravata, typoque nonnulla extreme barbaro. Quæ minus apparent barbara, hæc, judice Eckhelio, *b*) in montanis Illyrici, & mediterraneis Thra-

a) Strabo L. VII. p. m. 367. *Id commune*, inquit, *cum multis aliis Barbaris habent* Dalmatæ, *quod nomismate inter se non utantur.* Tacitus de morib. Germ. *Proximi ob usum commerciorum formas quasdam nostræ pecuniæ agnoscunt, & eligunt — — — Argentum quoque magis, quam aurum sequuntur.* Athenæus de Scordiscis: *Aurum hi execrantur — — argento autem utuntur.*

b) Vol. 2. Doctr. Num. vet. p. 95.

Thraciæ urbibus, Philippo Amyntæ obnoxiis, procusa sunt; reliqua extremam spirantia barbariem ex officinis vicinorum Barbarorum, puta Dacorum, vel Pannoniorum prodiere.

PHILIPPUS, Amyntæ filius, Alexandri Magni pater, Macedoniam rexit ab anno ante Chr. 359. ad 336. Pannoniis, Dacisque notissimus cum ob victorias, quas de vicinis Thracibus, Pœoniis, & Illyriis retulerat, tum etiam quia Pannonicæ quædam copiæ, uti notat Apianus, in ejus exercitu militarunt. Primus Regum Macedonicorum, teste Diodoro Siculo, signavit aureos.

Horum antica ornatur capite laureato Apollinis. In aversa est nomen ΦΙΛΙΠΠΟΥ. & effigies viri bigas impellentis.

Alias monetarum *Philippi* Macedonis species, quæ apud nos minus frequenter inveniuntur, & quarum typos barbari, harum terrarum incolæ, rarius, aut nunquam imitati fuere, non est nostri propositi, neque hujus loci describere.

§. X.

ALEXANDRI Magni græca, & barbara.

1. Caput galeatum Palladis.

ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. vel ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. Victoria stans d. lauream, s. tridentem. Sparsis per aream variis signis, & monogrammatibus. *Aurei communes.*

2. Caput imberbe Herculis, leonis exuviis tectum.

ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. cum, vel sine titulo ΒΑΣΙΛΕΩΣ. Jupiter sedens d. aquilam, s. hastam. In area monogramma, & sæpe signum aliquod, diacriticum loci percussæ monetæ. *Arg. Drachmæ, & Tetradrachma obvia.*

Caput Palladis, & Victoria stans cum laurea, & tridente invenitur etiam in aureis nomine ΦΙΛΙΠΠΟΥ inscriptis, qui rectius ad Philippum Aridæum, Alexandri Magni fratrem, & successorem,

 quam

quam ad hujus patrem *Philippum Amyntæ*, referuntur. Idem censendum de drachmis, ac tetradrachmis capite Herculis, & effigie sedentis Jovis insignibus, quorum epigraphe est ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΦΙΛΙΠΠΟΥ.

ALEXANDER Magnus regnum Macedonicum tenuit ab anno ante Chr. 336. ad 324. Multæ gentes, tam græcæ, quam barbaræ monetas suas Alexandri nomine, etiam post hujus Regis obitum signavere. RR. NEUMANN in libro suo, quo Numos veteres anecdotos Populorum, & Regum describit, singulare unum Numisma barbarum, in Pannonia inferiore effossum, descripsit, æriquè incisum vulgavit, & illustravit hisce verbis; *a*) „Caput Apollinis laureatum, monogramma, & literæ E Α.

ΑΛΕΞΥΝΔΙ Clava, arcus, & pharetra. *Arg.*

Monstrum, inquit, vides, Barbarorum indubium fœtum, uti clamant peristases omnes, fabrica rudis, epigraphe ΑΛΕΞΥΝΔΙ pro ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. Compositio duorum typariorum, quæ tam belle connectuntur, ac si Delphinum silvis adpingas, & fluctibus aprum. Posticam partem liquet Alexandro Magno fuisse ablatam, cujus ærei communes iisdem armis horrent, medio nomine ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. Effigies Apollinis ex alia parte simillima forma, eodemque capillorum cultu spectatur in mille denariis familiæ Calpurniæ, qui decursorem equitem aversa repræsentant. Servilis inepti artificis usque adeo processit imitatio, ut vel ipsam numi oram serratam fecerit, nempe ad exemplum pecuniæ Reipublicæ romanæ. In Pannonia inferiore, ubi erutus est, domesticum arbitror, ut ceteros tantum non omnes, qui familiarum romanarum æmulantur denarios, sed crasso artificio, contortisque characteribus partim latinis, partim græcis, cujusmodi frequenter Vindobonam mittunt.“

§. XI.

a) Neumann Pop. & Reg. Num. vet. P. I. p. 150. seq.

§. XI.

Recensio aliorum Numismatum barbarorum ALEXANDRI, in Pannonia, Daciaque erutorum.

1. Caput Herculis, leonis exuviis tectum, rudi cælatura: ΣΙΛΕΩ. ΕΞΛΙΛΔ. Jupiter aëtophorus, uti in græcis ALEXANDRI M. Numis. *Argent. Tetradr. diametri solito majoris.* In *Museo R. Univ. Pest.*

2. Alius similis in *Museo Cæs. Vindob.* sed pro epigraphe AIA - - tantum *a*).

3. Caput Palladis. In postica Numi facie literæ barbaræ, & Jupiter sedens aëtophorus. In area clava. *Arg. drach. Musei Cæs.*

Notat Eckhelius, *b*) anticam esse ex Numis aureis Alexandri M. aversam vero ex argenteis; atque hujusmodi plagia numismatica barbarorum copiosissime in Dacia effodi, & hanc esse veram eorum patriam.

4. Caput Herculis. In postica Eques informis. *Arg. tetradr. ibidem.*

Ad eandem Barbarorum classem refero sex drachmas argenteas, quas in Dacia repertas Zamosius prolixe descripsit, & pro genuinis Alexandri M. Numis perperam habuit. *c*) Compendio sic habent.

5. ΑΛΕΞΑΝ. Caput imberbe galeatum.

ΜΟΝΟΥ. Apollo radiante capite, impellens quadrigas.

Typus Apollinis in aversa sumptus est ex denariis romanis familiæ *Aburiæ*, qui a *Vaillantio* editi sunt *d*).

6. An-

a) P. I. Mus. Cæs. p. 291.

b) Ibidem.

c) Analect. Dac. Antiqu. Cap. XI.

d) T. I. Famil. rom. Tab. I. Nro. 1. & 2.

6. Antica, ut in præced. In aversa Vir humi prostratus, & bini alii super eo decertantes.

Aversa est ex denariis gentis *Minuciæ a*).

7. ΑΛΕΞΑΝΔ. Caput imberbe galeatum.

Hercules stans d. clavam, s. exuvias leonis.

Hujus aversæ typus est ex obviis *Thasiorum* tetradrachmis.

8. Antica, ut in præced. In aversa aliud caput galea cristata tectum.

Apparet accepta esse capita ex duobus diversis numis.

9. Caput imberbe galeatum, seu Palladis.

ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. Victoria stans.

Pro hac drachma *argentea* typum utriusque partis barbarus artifex mutuatus est ex genuinis Alexandri M. *aureis*.

10. ΑΛΕΞΑΝΔ. Caput. Palladis. In aversa - - ΣΥΔ - - Mercurius cum solitis attributis.

Partem aversam ex Numis *Nysæ*, Pœoniæ urbis, sumptam esse apparet *b*).

§. XII.

AVDOLEONTIS Pœoniæ Regis, græca, & barbara.

1. Caput Jovis laureatum barbatum.

ΑΥΔΩΛΕΩΝΤΟΣ. Equus gradiens cum insessore galeato, dimidium expresso: in area aliquid simile triquetræ. *Tetradr.*

2. Caput Palladis galeatum.

Epigraphe, ut supra. Equus absque insessore. *Drachm.*

Utrumque Numisma editum est ab Erasmo FROELICH, in Accessione nova ad Numos veteres Tab. I. N. 6. & 7. Quem illic p. 45.

a) Ibid. Tom. II. Tab. 91. N. 1.

b) Pœonicæ urbis *Nysæ* Numos, hodie rarissimos, edidit Pellerin in *Recueil* T. I. p. 189. & Abb. Sestinius *Lettere* T. IV. p. 97.

p. 45. differentem juverit audire. „Equum, inquit ille, in Macedonicis, Thessalicis, Pœonicis, argenteis potissimum Numis observare licet, vel liberum illum, vel cum insessore. Nostro in Numo illud præterea observo: barbaram fabricam capitis laureati, & barbati proxime accedere ad speciem quorumdam Numismatum argenteorum, barbaræ item fabricæ, quæ ad nos Vindobonam magno interdum numero ex Hungaria, aut vicinis e terris afferuntur. Sunt ea itidem argentea, tetradrachma pleraque quam proxime: sæpius item in iis caput laureatum occurrit, & in aversa eques, vel equus." Idem fere est sermo celeberrimi NEUMANNI, qui suo in opere *de Populorum, & Regum Numis* ineditis, barbarum *Audoleontis* Numisma typi priore hic loco descripti, sed in cujus aversa infra equitem cernitur signum triquetræ cavum, & incusum, vulgavit p. 135.

Animadvertendum præterea in barbaris *Audoleontis* Tetradrachmis epigraphen, quæ nomen exprimat, vix unquam integre exprimi, sæpe unum solummodo, alterumve hujus nominis elementum, sæpius nullum reperies. Idem puta de barbaris Philippi Numis, capite Jovis, & Equite signatis, ad quorum imitationem hi, qui *Audoleontis* vocantur, percussi fuere. Vulgus Transylvaniæ veteres has monetas pro *Decebali* Numis habet. Itali eas generatim *Caballos* appellant ab imagine Equi.

Pœoniam, ad flumen Axium inter Macedoniam, Epirum, & montem Hæmum sitam Rex AUDOLEON gubernavit ætate Philippi II. hujusque filii Alexandri Magni, Regum Macedoniæ, quorum & vectigalis erat.

§. XIII.

LYSIMACHI græca, & barbara.

1. Caput Regis diadematum, prominente ad aurem cornu arietino. ΒΑΣΙ-

ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΛΥΣΙΜΑΧΟΥ. Pallas galeata ſedens, d. victoriolam, s. haſtam, clypeo ſimul innixa. Per aream varia occurrunt monogrammata, & ſigna, ut lunula, apis, avicula, tridens cet. *Aurei variæ magnitudinis*, & *Argentei tetradrachmales.*

In Catalogo Muſei Cæſ. Vindob. P. I. p. 80. recenſentur ſemptemdecim aurea LYSIMACHI Numiſmata. Quod maximi eſt moduli, adpendit IX. drachmas, & grana 27. libræ Norimbergicæ. Medium vero drachmas quatuor, & mediam, cum exceſſu 13. granorum. Reliqua communi magnitudine, id eſt, didrachmæa, ponderant plus minus hodiernos binos Ducatos; cujusmodi unum eſt *Muſei R. Univ. Peſt.*

2. Caput Herculis, tectum exuviis leonis.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΛΥΣΙΜΑΧΟΥ. Jupiter aëtophorus, ut in argenteis Alexandri Magni. Per aream ſigna, & monogrammata. *Drachm.*

LYSIMACHUS, altero ab obitu *Alexandri M.* anno, ſcilicet ante Chr. 322. Thraciam, pulſo *Seuthe*, occupavit; Macedoniam, cæſo *Pyrrho*, invaſit anno ante Chr. 286. retinuitque ſimul cum Pœonia usque annum ante Chr. 282. quo a Seleuco Nicatore victus occubuit.

3. Caput galeatum Palladis.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΛΥΣΙΜΑΧΟΥ. Victoria ſtans d. lauream, s. tridentem. In area caput leonis, aliudve attributum. *Aureus.*

Typus hic in aureis Macedonicis poſt *Alexandrum* Magnum obvius eſt, ſed in *Lyſimacho* tam rarus hodie, ut niſi unum e Muſeo ſuo *Pellerinius* edidiſſet, *a*) etiamnum ignoraretur. Mirum! inter tot alios *Lyſimachi* aureos ne unum quidem reperiri, effigie *Victoriæ* ſignatum in Cæſareo Muſeo Vindobon. præcipue, cum Aſcanius *Centorius* referat, multa aureorum *Lyſimachi* millia, regnante

te

a) Recueil des Rois T. I. p. 25. Tab. 2.

te Ferdinando I. prope arcem Devam in Tranſylvania uno in loco inventa fuiſſe, quorum averſa imaginem *Victoriæ* oſtentabat *a*). Si Wolffgango *Lazio* fides, *quadraginta millia* Lyſimachorum fuere; Locum autem inventi theſauri in valle Hacegana fuiſſe, prope arcem Várhely, in ripa fluvii *Sargetii*, alias Strigii appellati, idem *Lazius* affirmat, opinaturque, has fuiſſe reliquias theſauri illius, quem *Decebalus*, ut in Dione legitur, poſt acceptam a *Trajano* poſtremam cladem defodi curaverat. Vulgo creditum eſt, hujus theſauri partem Georgium *Martinuſium*, ſub id tempus Gubernatorem Tranſylvaniæ, ſimulque Reginæ Iſabellæ, Joannis de Zapolya viduæ, Theſaurarium ſibi retinuiſſe, partem vero publicos in uſus, Iſabellæ, hujusque filii nomine convertiſſe. Et vero Comes Wolffgangus BETHLEN T. I. hiſt. Tranſyl. p. 512. ex Actis publicis narrat, ex invento theſauro *Martinuſium* duo Lyſimachorum aureorum millia dono miſiſſe Regi Ferdinando, quatuor autem millia in ejusdem Præſulis gaza, poſtquam interfectus erat, reperta fuiſſe.

Sequentes vero *aurei*, quos diverſis temporibus in Tranſylvania detectos memorat, ac deſcribit in ſuis Daciæ Analectis Zamoſius, plagiis Numismaticis Barbarorum accenſendi ſunt, niſi quis confictos fuiſſe malit.

1. Caput juvenile galeatum.
   ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΛΥΣΙΜΑΧΟΥ. Equus currens.
2. Caput viri barbatum cum epomide humeris circumfuſa.
   ΛΥΣΙΜΑ. Leo gradiens.
3. Stans Pallas d. haſtam, pro pedibus clypeus.
   ΛΥΣΙΜΑΧΟΥ. Pegaſus.

§. XIV.

---

a) Della Guerra di Tranſylv. L. IV. p. 198. Videatur & Zamoſius in Anal. Dac. Antiquit. C. XI.

b) Lib. XII. de Rep. rom. Sect. 1. Cap. 1.

§. XIV.

Numismata THASIORVM græca, & barbara.

1. Caput Bacchi hedera, & corymbis ornatum.

ΗΡΑΚΛΕΩΣ ΣΩΤΗΡΟΣ ΘΑΣΙΩΝ. (*Herculis Servatoris Thasiorum*) Stans Hercules d. clavam, s. exuvias leonis. *Arg.* I. five *tetradr. Numismata in Museis obvia.*

2. Alia similia, sed magis, ac magis barbara. *Musei R. Univ. Pest.*

THASUS insula maris Ægæi, Thraciæ finitima, urbem habens cognominem, & divites quondam auri, argentique fodinas, ob vini, quo abundabat, præstantiam, & peculiarem cultum Herculis, cui antiquissimis temporibus Phœnices mercatores in hac insula fanum erexerunt, monetas suas, præcipue argentea tetradrachma, typo, nunc descripto, insigniebat.

Scribit *Froelichius*, *a*) in Tetradrachmis Thasiorum, ex Hungaria, & Transylvania adlatorum, seriem bene longam pro Museo Cæsareo Vindobonensi a se ordinatam fuisse, quæ ab elegante cælatura incipientia, per complures adcrescentis barbariei gradus in extremam denique deformitatem desinebant, literis primum incertis, dein mancis, ac ita male formatis figuris, ut omnia demum meris punctis constare viderentur. Quod cum nonnullis remotissimam antiquitatem redolere videretur, in hac moneta dijudicanda varii contigerunt lapsus. *Reineccius* in suo de familiis syntagmate p. 106. Thasium hujusmodi Numisma barbaræ fabricæ, primum inter ignotos, dein ad Ptolemæum Dosonem retulit. *Zamosius* in simili nomismate pro capite Bacchi interpretatus est caput Semiramidis. *Dac. antiq. l. cit.* Opinor inductum auctoritate *Ascanii Centorii*, qui inter alias interempti Præsulis Martinusii opes, Numos etiam aureos *Nini*, & *Semi-*

---

a) L. supr. cit. p. 47.

Semiramidis repertos, atque per Castaldum, copiarum in Transylvania Præfectum, in Germaniam ad Cæsarem Carolum V. missos, perhibet *Libro IV. belli Transylvanici* p. 198. Samuelem *Kölöserium* Numos Heracleorum, qui Thasiorum erant, appellantem castigavit Joann. *Seivert* in nova editione *Aurariæ Romano-Dacicæ* p. 184. In qua animadversione simul injicitur mentio multorum idgenus Numismatum anno 1777. inventorum in agro pagi Kastenholtz, Sedis Cibiniensis.

§. XV.

APOLLONIATARVM, & DYRRACHENORVM.

Ex autonomis populorum, ac urbium græcarum monetis, ante Chr. signatis, nullæ per Hungariam, hujusque provincias frequentius eruuntur, quam drachmæ *Apolloniatarum*, ac *Dyrrhachenorum*; indicio manifesto, hoc pecuniæ genus antiquis Pannoniæ Daciæque populis diu in usu fuisse. Sunt etiam inter has, quæ barbarum produnt artificem. Maxime obvii *Apolloniatarum* Numi argentei parvæ formæ, seu drachmales, typo sunt sequente.

ΑΡΙΣΤΩΝ. *In aliis aliud nomen Archontis proprium.* Bos vitulum lactans, in ortum conversa.

ΑΠΟΛ. ΑΙΣΙΝΟΣ. *Vel hujus loco aliud viri nomen.* Quadratum in areolas divisum, hortos Alcinoi repræsentans.

Typus respicit originem coloniæ *Apolloniæ*, e Corcyræis editæ. Signa, quæ typo huic in drachmis sæpenumero utrinque adjiciuntur, puta: fulmen, aquila, spica, botrus, cet. partim cultum Deorum, partim agri fertilitatem prædicant.

Rarioribus accensentur, in quibus est:

1. ΑΠΟΛΛΩΝΙΑΤΑΝ. Pedum pastorale.
   ΑΙΝΕΑ. Collis ignivomus. *Arg. Musei Florentini.*

2. - - - ΛΟΔΑΜΟΥ. Caput Apollinis laureatum.

ΑΠΟΛ. ΑΡΙΣΤΑΡΧΟΣ. Tres virgines circa collem ignivomum ducentes chorum. *Ibidem.*

3. ΑΙΒΑΤΙΟΣ. Bos vitulum lactans, infra quem ſpica.

ΑΠΟΛ. ΧΑΙΡΙΝΟΣ. Quadratum, in quo collis ignivomus, & pedum paſtorale. *Ibidem*, & *Muſei R. Univ. Peſt.*

„Apolloniatæ, ſcribit *Ælianus* Hiſt. Var. Lib. XII. Cap. XVI. Urbem habitant vicinam Epidamno in Jonico ſinu; atque in proximis urbi locis fodina eſt bituminis, quod implet eam, eodem plane modo e terra exoriens, quo pleræque aquarum ſcaturigines. Non procul etiam immortalis ille ignis oſtenditur. Qui vero ardet, *Collis* eſt exiguus, neque in magnum ſpatium extenditur, neque longum habet ambitum: Sulphur autem, & alumen olet, circumque ipſum florentes ſunt arbores, multaque viridia; & ignis juxta exæſtuans nihil lædit, neque teneros arborum ſurculos, neque frondem. Ignis vero die, noctuque ardet, neque deſiit unquam, niſi, ut ajunt Apolloniatæ, ante bellum, quod cum Illyriis gerere debuerunt." Locum hunc indigenæ appellarunt *Nymphæum*, teſte Strabone L. VII. p. m. 313. & *Apollini* ſacrum habuerunt, quod, ut Plinius e Theopompo refert Lib. 2. Cap. 106. ardens ejus crater portendere aliquid videretur. Hinc figurarum in propoſitis drachmis occurrentium facile ſenſum intelliges.

Erat *Apollonia*, de qua nunc agimus (nam plures hujus nominis extiterunt urbes variis in provinciis) urbs Illyrici, apud Taulantios mari Jonio adſita, nobile quondam emporium, hodie tenue oppidum Albaniæ, Italis *Piergo.*

In drachmis *Dyrrhachenorum* obviis hæc ſunt.

ΣΤΕΦΑΝΟΣ. *Vel alìud magiſtratus nomen.* Bos vitulum lactans, in occaſum converſa.

ΔΥΡ.

ΔΥΡ. ΠΑΡΜΕΝΙΣΚΟΥ. *Vel aliud nomen casu obliquo.* Quadratum hortos Alcinoi referens

Idem typus in monetis *Dyrrhachii*, qui *Apolloniatarum* est, communem utriusque urbis indicat originem. Aliud Dyrrhachii nomen vetus fuit *Epidamnus*. Nunc Italis *Durazzo*, Turcis *Drazzi*. Adjacebat ostio Panassi fluvii, non longe supra Apolloniam, in regione itidem Taulantiorum. Ex *Corcyra* (hodie *Corfu*) huc deducta colonia admixtis Corinthiis. Qua de re vide Thucydidem de bello Pelopones. L. I. & Apianum de bello civili p. m. 451. ubi & gemini nominis, quo hæc urbs vocabatur, Epidamni nempe, ac Dyrrhachii causa exponitur.

CAPUT TERTIUM.

De aliis Numis barbaris priscorum Hungariæ populorum.

§. XVI.

De barbaris harum partium Numis in genere.

Barbara quæcunque harum terrarum Numismata describere, ac de iis commentari velle, labor est ut minime jucundus, ita & permolestus. Plurima enim sunt aut mera plagia, aut ex numero incertorum, ignotorumve; quo fit, ut studiis philologicis parum admodum commodi adferant, nec fere aliud, quam metalli sui, & antiquitatis pretium habeant. Quia tamen propositum est, omne genus monetæ, in Hungaria quocunque tempore domesticæ, vel quasi domesticæ, in præsenti opere pertractare, et, quia sperare licet, fore aliquos, quibus gratum erit, Syllogen quandam hujus quoque generis Numismatum, etsi non omnium, tamen præcipuorum isthic reperire,

idcirco

idcirco jam & his ſuus hic eſto locus. Intereſt quippe eorum, qui ſtudio veteris Numismaticæ delectantur, intelligere id etiam, quænam barbara Numismata in his regionibus effodiantur, eaque cum aliis nationum aliarum monetis antiquis barbaris comparare. Poſſunt autem Numi Barbari Hungariæ, ac regionum adjacentium in has Claſſes diſponi I. in plagia ex Numis græcis. II. ex Numis conſularibus, ſeu familiarum romanarum. III. ex Numis partim Auguſtorum, partim familiarum. IV. Conſtare poteſt iis dumtaxat Numis barbaris, quorum epigraphe habet nomen quodpiam vel Principis, utut ex hiſtoria ignoti, vel gentis, aut civitatis. V. Contineat Numos barbaros omni deſtitutos inſcriptione. Hoc igitur & ipſe jam progrediar ordine.

§. XVII.

Plagia Barbarorum ex Numis græcis.

Serviles imitationes typorum alienorum in propriis monetis jure vocantur plagia Numismatica. Barbari Pannoniæ, ac Daciæ, vicinarumque regionum populi quosnam potiſſimum Numos græcos ita imitati fuerint, expoſitum jam eſt proximo Capite. Quod hic addamus, id unum eſt, plurima obſervari tetradrachma capite Jovis, & Equite, vel ſolo equo ſignata, quæ ipſum adeo pondus tetradrachmi Macedonici, ipſumque metallum ſerviliter imitantur.

§. XVIII.

Plagia ex Numis conſularibus, ſeu familiarum romanarum.

Abundant his omnia Muſea noſtra. In Cæſareo autem Vindobonenſi ita diſpoſuit Eckhelius, ut ſingulis ſua reſponderent archetypa. Deſcripſit eosdem parte prima Catalogi ſui p. 291. præfatus, patriam eorum cumprimis eſſe Daciam, ubi effodiuntur quam plurimi. Sunt inter hos, qui a denariis romanis ſola operis ruditate diffe-

differunt, horum enim non figuras tantum, verum & literas, atque inſcriptiones, & reliqua omnia utraque ſui parte habent. Alii ſe produnt eſſe barbaros conjunctione typorum ex duobus diverſarum familiarum denariis, alii per epigraphen barbaram, ac peregrinum aliquod nomen. En exempla:

1. Caput juvenile crinibus colligatis.

Epigraphe barbara. Silenus ſtans juxta columnam d. elata. *Arg. den.*

Typus averſæ eſt ex denariis Marcii Cenſorini.

2. Caput barbarum. In averſa: Epigraphes locum occupant globuli: pro typo, Pegaſus ex baſi evolans. *Arg. den.*

Typus averſæ ex denariis gentis Titiæ.

3. PLAVTIVS. Perſona adverſa.

Aurora gradiens d. haſtam, s. binos ſolis equos freno ducit. *Aureus ſecundi moduli.*

Omnia in hoc aureo Numismate ſunt, uti in argenteis denariis gentis Plautiæ. Sed, atteſtante Eckhelio, *a*) Fabrica, & modulus produnt aureum hunc non eſſe romani commatis. Tres hujus generis adſervantur in Muſeo Cæſareo Vindob. ex Tranſylvania adlati, ubi anno 1713. cum pluribus aliis barbaris aureis effoſſi fuere.

4. Caput genii barbatum diadematum.

RAVIS. Sceptrum laureatum, globus, & gubernaculum. *Arg. den.*

Typus averſæ ex denariis Cornelii Lentuli.

5. Caput Junonis Siſpitæ.

RAVIS. Temo, globus, tridens, vel fulmen. *Arg. den.*

Antica ex denariis gentis Papiæ, vel Roſciæ, typus vero averſæ ex den. Corn. Lentuli.

Inſcriptum

---

a) P. I. Catal. cit. p. 294. & Doctr. Num. Vol. IV. p. 179.

Inſcriptum RAVIS, opinione Eckhelii Doctr. Num. Vol. 4. p. 176. eſt nomen barbari reguli, hodie incogniti. Suſpicor, compendio hoc indicari RAVISIMODVM, Zoſimo RAVSIMODVM, Sauromatarum regem, quem provincias romanas incurſantem Conſtantinus Magnus devicit, ac interfecit *a*). Obſtare quidem videtur typus Numorum ex moneta reipublicæ romanæ ſumptorum. Verum barbaros etiam ſerius ſub Auguſtis nonnunquam idgenus typos pro ſua moneta fuiſſe mutuatos, conſtat aliis Numorum exemplis, ut mox patebit ex noſtris ad aureos, *Impſponſiani* inſcriptos, animadverſionibus.

§. XIX.

Plagia ex Numis partim Auguſtorum, partim familiarum romanarum.

1. IMP. GORDIANVS PIVS FELT (*ſic*) AVG. Caput radiatum.

MLETARM PROPVGNATOREN. PII. Mars gradiens d. haſtam, s. clypeum. *Aureus max. moduli.* Vol. VII. Doctr. Num. p. 316.

Imitatione Numismatum argenteorum, & æreorum Gordiani Pii, in quorum averſa eſt epigraphe: MARTEM PROPVGNATOREM.

2. PHILIPPVS FIVS AVGG. (*ſic omnia*) Caput muliebre galeatum alatum.

ENTLOICKCSS. Stans miles d. haſtam, s. globum. *Aur. magni moduli. Ibidem.*

Typus anticæ ex denariis Conſularibus, averſæ ex Numis Cæſaris Philippi junioris, PRINCIPI IVVENTVTIS inſcriptis.

3. IMPSPONSIANI. Caput radiatum.

C. AVG.

---

a) V. d. Zoſimus Hiſtoriæ Novæ Lib. 2. p. 94. edit. Oxon. 1679.

C. AVG. Columna, cui inſiſtit ſtatua d. haſtam tenens. Ex columnæ baſi exurgunt binæ ſpicæ. Adſtant, hinc figura togata, incertum quid tenens, inde vir augurali habitu cum lituo. *Aureus moduli ſecundi, Editus per Cl. Neumann P. II. pop. & reg. p. 199.*

Antica ex Numo, ut videtur, Gordiani Pii: averſa vero tota eſt ex denariis argenteis gentis Minuciæ, in quibus C. AVG. Cajum *Augurinum* ſignificat.

Hujus generis aureos in Tranſylvania effoſſos conſervat partim Muſeum Cæſ. Vindobonenſe, partim Klimonianum Quinque-Eccleſienſe. P. I. *Catalogi Eckheliani* deſcribuntur p. 291. inter barbarorum plagia Numiſmatica, & P. II. *ejusd. Cat.* p. 556. inter Numos Imperatorum incertæ ætatis.

Aureis hujusmodi Numis novum nobis Tyrannum, SPONSIANUM nomine, annunciari exiſtimavit *Neumannus* P. I. *Pop. & Reg.* p. 89. Tyrannum videlicet, qui poſt Gordiani Pii obitum, vel tempore Gallieni purpuram, vel in Dacia, ubi ex terra eruti fuere, vel in proxima regione induerit, ſponſamque habuerit *Dryantillam*, æque tantummodo ex Numis cognitam. At vero P. II. ejusd. Operis p. 556. expenſis denuo omnibus idgenus aureorum adjunctis, de *Sponſiano* Tyranno an unquam extiterit, dubitat, Auguſtam vero *Dryantillam* alterius potius addicit thalamo, nempe *Regaliani*, origine Daci, quem, ut ſcribunt Victor uterque, & Trebellius, exercitus Mœſiacus, a Gallieno ſibi metuens, Auguſtum ſalutaverat. In eandem conceſſit ſententiam Eckhelius *Doctr. Num. Vol. VII.* p. 340. Et merito quidem, ſive enim vitioſam epigraphen: IMPSPONSIANI. ſive ineptam typorum, ex duabus diverſi plane ævi monetis acceptorum, compoſitionem, ſive ipſum aurei hujus nomismatis modulum, romano Imperio tunc temporis inſolitum, ac picturæ denique ruditatem ſpectes, non id aliud eſt, quam plagium barbari hominis, non certe romani, qui Imperium affectaſſet. Quid igitur vocabulo SPONSIANI

SIANI faciemus? an non barbari ſaltem cujuspiam in Dacia Reguli hoc nomen fuiſſe arbitremur? ne iſtud quidem admiſero. Malim culpa barbari Monetarii enatum eſſe, qui anticam ex obvio Imp. Gordiani Numismate mutuatus, in locum epigraphes IMPGORDIANI inſculpſit IMPSPONSIANI, nulla certa ratione, verum aberratione dumtaxat, ut nempe in Numis paullo ante deſcriptis MLETARM. in uno, & FIVS in altero, cum incidendum fuiſſet MARTEM. & PIVS. Vid. plura idgenus errorum exempla apud Scipionem Maffeum epiſt. XXII. ad Apoſt. Zeno, & Frœlichium de Numis Monetariorum veterum culpa vitioſis Cap. 2. ſub finem.

§. XX.

Numismata barbara, cum epigraphe ADNA. vel ADNAMATI.

1. Caput juvenile imberbe diadematum.

ADNA. Eques currens d. jaculum. *Æreus Muſei Cæſ.*

2. Caput virile imberbe coronatum.

ADNAMATI. Eques currens cum jaculo. *Arg. & æreus. ſecundi moduli. Ibidem.* Deſcriptus ab Eckhel Doctr. Num. Vol. IV. p. 170.

3. Caput virile imberbe lato diademate cinctum.

Tab. XX. in fine. ADNA - - TI. *Æreus II. Muſei R. Univer. Peſt.* Vide hic delineatum cum integra inſcriptione, uti eſt in Pellerinii ſuppl. I. ad pag. 35. Similes his Numos argenteos, & æreos edidit PELLERIN in ſua Sylloge veterum Numismatum; nempe *T. I. Recueil des Medailles de villes Tab. II.* & in Supplemento *Tab. I. N.* 3. ubi Numus æri inciſus a noſtro non differt alia re, quam quod in illo integra ſit epigraphe, in noſtro autem binæ literæ M A intra caput, & pedes equi non amplius appareant. *Pellerinius* Epigraphes initium a literis MA, quæ in Numo colligatæ ſunt, ſumens legit: MA. TI. ADNA. & interpretatus eſt *Marcus Tiberius Adna*, putavitque

vitque *Adnam* fuisse principem Hispanum, gentis cujuspiam, subjectæ Romanis, eaque de causa barbaro suo nomini *Adna* præposuisse hæc romana, *Marcus Tiberius.* Fatetur vero, in monumentis historicis duo tantum nomina Principum hispanorum a se inventa, quæ nomini *Adna* utcunque affinia videri possint, unum scilicet apud Titum Livium *Attanen*, Turdetamorum Regulum, qui deserta Carthaginensium Societate Scipioni sese dedidit, alterum vero *Atten* ex quadam vetusti marmoris inscriptione per Ambrosium de *Morales* vulgata. Hæc sunt conjecturæ Pellerinianæ fundamenta. An vero idgenus Numismata in Hispania fuerint effossa, vel effodi soleant, nulla apud eundem mentio.

Nobis vero constat, barbara hujusmodi Numismata, ADNA. vel integre ADNAMATI. inscripta, in Pannonia reperiri, adeoque Pannonica potius, quam Hispanica esse. *Adnamatum* igitur verisimilius est Regulum fuisse *Pannonicæ* cujuspiam civitatis, aut gentis, antea scilicet, quam Romani rerum in vniversa Pannonia potirentur. Favet huic opinioni vetus Inscriptio lapidis in Provincia Alba-Regalensi inventi, quæ, licet jam *Lib. I. Antiquitatum, & Historiæ Sabariensis* p. 43. edita fuerit, hoc etiam loco in memoriam revocanda est, ut palam fiat, nomen ADNAMATI. quale in Numismate proposito legitur, apud Pannonios adhuc sub Romanis perseverasse, atque indigenis usitatum fuisse. Sic enim Lapis habet opere ornatus anaglypho:

AVETA ADNAMATI
F. AN. LI. H. S. E. *Filia Annorum 51. hic sita est.*
M. VLPIVS CASSIVS
MATRI
T. M. P. *Titulum Memoriæ posuit.*

Accedat nunc & alia hæc animadversio; extitisse in Pannonia inferiore prope Danubium civitatem ADNAMATIAM, quæ

in

in Itinerario Antonini Augusti, per Wesselingium edito, p. 245. ANNAMATIA vocatur; in Tabula Theodosiana, vulgo Peutingeriana; ANNAMATTA. in Libro Notitiæ Dignitatum utriusque Imperii ADNAMANTIA. Quid vetat credere, ipsum hoc nomen civitati fuisse inditum a conditore suo Principe ADNAMATO, ex historia quidem incognito (floruerit enim tempore epocham æræ Christianæ, Imperiumque Octaviani Cæsaris, qui Pannoniam subjugavit, antevertente) sed, quem sui Numi, nostra detecti ætate, utcunque nunc ab oblivione posterorum vindicant. Suspicor, *Adnamatum* ante Batones, qui bellum cum Romanis gessere, præfuisse populo *Amantinorum*, quorum Ptolemæus in descriptione Pannoniæ inferioris meminit, quique apud Plinium Hist. Nat. Lib. 3. modo *Amantes*, modo *Ammantes*, m geminato, vel etiam *Amanti*, secundum varias ex diversis MSS. editiones, nuncupantur. Principio forsitan & ipsi ex nomine sui Regis adpellati *Adnamatii*. Quod tamen in medio relinquo.

§. XXI.

Numi barbari BIATEC.

1. Caput virile nudum.

BIAT. Eques citato cursu, d. ramum. *Arg. I. Reg. Univ. Pest.*

2. Capita duo jugata, virile laureatum, muliebre galeatum. In area duo folia hederæ.

BIATEC. Eques currens d. ramum cum foliis; per aream sparsa hederæ folia. *Arg. I. seu forma tetradrachmi. R. Univ. Pest.*

Alius similis apud Begerum T. I. Thes. Brandeb. p. 521. editus, habet epigraphen BIATE. Sed in Pelleriniano *Recueil de Villes T. I. p.* 11. & aliis Numis Musei Cæs. Vindobonensis, perin-

de

de ac in hoc noſtro legitur BIATEC. Typus anticæ eſt ex denariis romanis Fuſii Caleni, & Mucii Cordi; averſa vero ex tetradrachmis Philippi Macedonis.

3. BIA. Capita jugata, ut in præcedente.

BIATEC. Equus currens d. ramum cum foliis. *Arg. I. Muſei Cæſ.* Plagium eſt ſimile præcedenti.

4. Caput muliebre colligatis filo crinibus.

BIATEC. Aper venabulo trajectus. *Argenteus denar.* editus P. I. Catal. Muſ. Cæſ. Vindob. Tab. VI. N. 17. Antica eſt ex denariis rom. gentis Cariſiæ, typus vero averſæ ex den. Hoſidiæ.

5. BIAT. In parte convexa, typo nullo.

Bina velut ova, vel ſcutula conjuncta, oram Numi lineis in angulos ductis, ambientibus. *Aureolus Muſei Cæſ. Vindob. editus P. I. Cat. cit. Tab. cit. N.* 16.

6. BIATEC. Scriptum per medium Numi, ſuperne aliquid manui ſimile digitis divaricatis.

Luna creſcens, ut videtur, divergentibus radiis. *Aureus exigui moduli Muſei Cæſ. Vindob. deſcriptus Vol. IV. Doctr. Num. p.* 171. *N.* 6.

Poſt eruditas Eckhelii, & Neumanni lucubrationes nullum jam dubium eſt, quin barbara hæc Numismata natale ſolum habeant vel Daciam, vel Pannoniam inferiorem, vel Illyricum latiore ſenſu intellectum. Cauſam hujus judicii hactenus quidem unicam, ſed quæ vix unquam fallit, adſignat Eckhelius Libro cit. p. 172. quod nempe Numi ſic inſcripti in his potiſſimum terris, nec facile alibi eruuntur.

Vocabulum BIATEC aut reguli, aut urbis nomen eſt. Urbem nomine affinem BIACIAM invenio in chartis medii ævi. *Bernardus de civitate Peruſia impetravit a D. Rege Henrico* (id eſt, Emerico Hungariæ, & Dalmatiæ Rege) *territorium de BIACE.* Legitur id in Mem. Archiep. Salon. & Spalat. apud a *Cutheis.* In quæ

verba

verba commentatus Daniel *Farlatus* T. I. Illyrici Sacri p. 481. in Not. hæc ſcribit: „BIACIVM Dalmatiæ oppidum pervetus, idemque nobiliſſimum fuit — — — ſitum Salonam inter, & Tragurium — — Nec BIACII nomen apud Scriptores prorſus exolevit, neque ibi deſunt regiæ magnificentiæ veſtigia. — — Ejus origo incomperta eſt, ac omni memoria vetuſtior. "

Verum opinione *Eckhelii*, in barbaris harum terrarum Numis Regulorum potius, quam Urbium nomina occurrere, veriſimilius eſt. *Pellerinius* quoque arbitratur BIATEC eſſe Reguli, utut non rite Hiſpanici. Quod ad ætatem horum Numismatum attinet; argentea illa, in quorum antica repræſentantur duo capita jugata, imitatione illorum, quæ in romanis denariis *Fuſii*, & *Mucii* occurrunt, ſuntque *Honoris*, & *Virtutis*, exſculpta, non poterant ante annum Urbis conditæ DCCXIV. (ante Chr. XL.) ex Officinis barbaris prodire, quia Fuſius Calenus, & Mucius Cordus tum primum ædiles ac Præfecti monetales Romæ fuerant. Poterant vero paullo ſerius procudi, quo nempe tempore duo *Batones* regnabant, unus apud Breucos in Pannonia Savia, alter apud Dyſitiates Dalmatiæ populum, ex Hiſtoria romana notiſſimi. Forte igitur barbara hæc pecunia *Batonum* fuit propria, & Celticum BIATEC vocabulum idem, quod exteris Scriptoribus latinis, græcisque *Bato* ſignificavit. Conſtat *Batonem* Pannonium & alterum Dalmatam, antequam hic illum proderet, junctis aliquamdiu viribus adverſus Romanos decertaſſe; unde conjectare licet, ejus conjunctionis cauſam fuiſſe, cur aliqua horum Numismatum idem BIATEC nomen utrinque expreſſum habeant, ut videre eſt in eo, quod N. 3. retulimus, ac deſcripſimus. Numisma hoc ceteris rarius præter alios etiam Cl. Neumann edidit in perdocto opere de *Numis Pop. & Reg. P. I.* p. 140. Quod unum cum aliis BIATEC ſcriptis ut eſſe non Græcum, vel Hiſpanicum, ſed reipſa Pannonicum oſtenderet, hac animadverſione illuſtravit: „Singularis, inquit,

inquit, eſt hæc moneta, quæ anticæ BIA inſcribit. Ceteræ notatæ ſolo nomine BIATEC. ſub Equite, nullo pretio ſunt, atque in Auſtriæ, Hungariæque Muſeis vel tenuiſſimis abundant. De Wilde, Harduinus, Begerus, Morellius, Havercampius varie de iis ſentiunt, male omnes. Neque felicior hac in parte Pellerinius optimus, qui ad veteris Hiſpaniæ Regulos, & Principes animum adjecit. Florezius, qui omnem antiquam patriæ ſuæ pecuniam ſummo ſtudio collegit, nitidisque commentariis illuſtravit, hoc genus monetarum alto premit ſilentio, parte quoque tertia, cui tamen ſupplementi loco hiſpanicas omnes e Pellerinii gaza intulit. Unde patet, ejusmodi neque copioſius occurrere per Hiſpanias, neque patriam fuiſſe habitam pecuniam a præfato Auctore. "

Idem Auctor de Numis aureis, quos hic N. 5. & 6. deſcribimus, notat, hos quoque ad Pœoniam (Pannoniam) Mœſiam, vel unam e finitimis provinciis pertinere. Huc præterea refert originem illorum aureorum, quorum octoginta circiter libræ Auſtriacæ anno Chr. 1771. in Bohemia juxta pagum *Podmocl* inventæ fuere, propterea, quod aureolus BIAT inſcriptus, in Pannonia erutus, *Podmoclienſibus* anepigraphis forma, pondere, mole, aurique puritate fere examuſſim reſpondeat. De Podmoclienſibus aureis agit prolixius Adauctus Voigt partim in Epiſtola germanica ad amicum, partim vero in deſcriptione monetarum Bohemiæ T. I. p. 235. ubi complures etiam æri inciſos exhibet; ſed qui a noſtris aureolis BIAT. inſcriptis, mea quidem opinione, multum diſcrepant. Nullæ in his literæ, omnes anepigraphi, nullius formæ regularis, nec omnes ejusdem ponderis, nihil in typo certi, ſed quæ extant, fortuita quaſi fuſione proſtare videntur. Vid. *Voigt.* Beſchreibung der Bœmiſchen Münzen T. I. p. 237. Quamobrem Podmoclienſes ego aureolos malim ad Numos, quos vocant incuſos referre, & pro auri ponduſculis habere, qualia in Hungaria etiam ſub Regibus pri-

mæ

mæ Periodi in uſu fuerunt, & in Decreto S. Stephani Regis *penſæ auri* appellantur, de quibus in proxima hujus Operis Diſſertatione nobis agendum erit. Propriam vero pecuniam Pannonios habuiſſe antea, quam in Romanorum poteſtatem deveniſſent, latinis inſcriptam literis mirum videri non debet expendenti hæc Velleji Paterculi, eorum temporum proximi, & fere coævi, verba: „*In omnibus Pannoniis non diſciplinæ tantummodo, ſed linguæ quoque notitia romanæ, plerisque etiam literarum uſus, & familiaris animorum exercitatio.*

§. XXII.

Numus cum epigraphe KOMOCI.

KOMOCI - - Caput crinibus barbare compoſitis.

Caput aliud barbarum pileo tectum. *Æreus Muſei Cæſ Vind.* Hunc Numum Erasm. Frœlichius *Acceſſ. ad Num. vet.* p. 36. æri inciſum ſiſtit; Epigraphen græcam exiſtimat, qua *Comoſicus* Getarum in Dacia Rex, & Pontifex, *Dicenei*, cujus caput in averſa eſt, ſucceſſor ſignificetur, ex Jornandis hiſtoria *de reb. Get. Cap. XI.* notus. Idem Numus ab eodem deſcribitur in *Notit. elem. Num. vet.* p. 230. Reperitur etiam apud Eckhelium *P. I. Cat. Muſ. Cæſ.* p. 48. non tamen inter Numos Daciæ, ſed Sarmatiæ Europææ. Serius animadverterat Eckhelius, epigraphen hujus Numi non rite lectam, & editam, Numumque ipſum non eſſe Geticum, nec Dacicum, ſed unum ex Perſicis regum Saſanidarum, quales a Pellerinio *Supplem. III. Tab.* 2. proponuntur. Vid. *Vol. II. Doctr. Num. vet. p.* 4. & *Vol. III.* p. 556. Nec vero conſtat, an Frœlichianum hoc Numisma in Hungaria, vel Tranſylvania inventum, vel aliunde Vindobonam allatum fuerit.

§. XXIII.

§. XXIII.

Numismata barbara NEMET.

1. Caput imberbe Regis, pileo formæ hemisphæricæ, reticulato, & fimbriato.

NEMET. (*Literis NE, & ME. colligatis*) Eques decurrens d. haſtam. *Argent. didrach. R. Univ. Peſt.*

2. Caput Regis laureatum.

AENET. Eques d. haſtam. Infra aſtrum. *Didrachm. Muſei Cæſ. deſcribitur P. I. Cat. cit. p. 290. N. 35.*

3. Caput regis diadematum.

AENET. Eques d. haſtam. *Tetradrachm. ibid.* deſcribitur *Vol. IV.* Doctr. Num. p. 171. N. 17.

Numi barbari per Hungariam obvii, ut Neumannus quoque notat *P. I. pop. & reg.* cum epigraphe: AENET. AEMET. & NEMET literis, velut in noſtro eſt, in ſiglas contractis.

Regis NEMET nulla in hiſtoriis memoria, quia, ut arbitror, bellis Romanorum in Pannonia geſtis antiquior, partem Germaniæ Magnæ, Pannoniis trans Danubium oppoſitam, poſſedit, regnumque idem, quod longiore poſt tempore Vannius, apud Quados tenuit. Nomen hoc forte geſſit, quod ex *Nemetis*, Rheni accolis, oriundus eſſet. Nam & Principes, qui ſerius, *Vannio* ejecto, regnum Quadicum occuparunt; *Vangio*, & *Sidon*, quorum apud Corn. Tacitum memoria eſt, ſic nuncupati fuiſſe videntur, quod ille a *Vangionibus*, itidem Rheni accolis, hic vero a *Sidinis* ortum traxerint. Late quondam per varias Europæ provincias diffuſum fuiſſe oportet nomen, & gentem Nemetarum, ſive Nemetum. Nam in veteri Geographia complures urbes nomina ſua ab illis mutuatas legimus, ſcilicet in Gallia Belgica Nemetacum, & Nemetocennam, teſte Ptolemæo, & in Hiſpania Tarraconenſi Nemetobrigam, item

erat civitas Nemetum, ubi nunc Spira, ad Rhenum Germaniæ fluvium. Potentes quoque circa Danubium fuiſſe, inde facile colligas, quod boreales populi, gentium Slavicarum, idiomate ſuo *Nemetzios* vocant omnes, quos alii Germanos, inde ab omni memoria. Hungarorum *Németh* eodem ſenſu eſt citra dubium e Slavico.

§. XXIV.

Alia Numismata NONNOS inſcripta.

1. Caput imberbe diadematum.

NONNOS. Eques decurrens d. acinacem, s. ramum. *Arg. tetradr. R. Univ. Peſt.*

2. Protome juvenilis, præ qua ramus.

NONNOS. *Interdum retrograde ſcriptum.* Eques decurrens. *Tetradr. Muſ. Cæſ. Vindob.*

3. Protome virilis capite nudo intra coronam.

NONNOS. *Retrograde inſculptum.* Panthera currens. *Arg. didrachm. ibidem.*

NONNOSI nomen veteribus fuiſſe uſitatum, novimus ex Bibliotheca *Photii*, in qua Cod. 3. mentio fit cujusdam *Nonnoſi*, pro Imperatore Juſtiniano I. apud Homeritas legatione perfuncti. Sed *Nonnos* Numismatum noſtrorum antiquior eſt, & alterius patriæ. Numus, quem N. 1. recenſemus, ſuperiore Sæculo effoſſus cum pluribus aliis ſimilibus fuit in Hungaria ſub arce Poſonienſi, ut notatum reperi in charta, cui involutum manus coæva transmiſit. Quadicæ regionis hæc terra fuit priſcis temporibus, quapropter barbarum hoc Numisma pro Quadico haberi poteſt. Ætatem, qua NONNOS in Quadis regnaverit, definire haud poſſibile eſt.

§. XXV.

Recensio quorumcunque aliorum Numismatum barbarorum, ad Hungariam, hujusque provincias spectantium.

Quæ nunc recensebimus Numismata, pleraque omnia Musei Cæsarei sunt, & reperiuntur etiam in Museis Hungaricis partim publicis, partim privatis, Argentea, tetradrachmi magnitudine, nisi ubi aliter notabitur.

1. Protome juvenilis in medio duorum quasi ramusculorum.

AIVOXIR. Caput muliebre retrorsum spectans, impositum trunco gallinæ gradientis.

2. Caput virile laureatum. In aliis: Caput cultu barbaro.

ATTA. Eques decurrens cum jaculo in dextra, infra equitem nonnunquam tridens.

3. Caput laureatum.

BOIO. Eques citato cursu.

4. Protome muliebris, crinibus colligatis, præ qua ramusculus.

BVSV. Caput muliebre alatis humeris respiciens, impositum trunco equi cum cauda leonis.

5. Capita duo jugata, laureatum, & galeatum.

COBISOVOAAI *Literis dubiis.* Leo currens, infra quem RV.

6. Caput virile imberbe.

COISA. Quadrupes, ursæ similis, arrecto corpore humi sedens, & juxta stans vir succincto habitu, d. hastam. Omnia intra corollam.

7. Caput virile diadematum.

CONGE. Eques currens d. hastam vibrat.

8. COVNOS. Protome Palladis cum ægide.

Eques nudus currens intra coronam.

9. Caput regis laureatum.

CONOV. Eques currens. *Arg. didrach.*

10. Caput virile diadematum.

ECCAIO. in aliis: EICCAIO. Eques decurrens d. haſtam. In area monogramma ex literis A & R.

11. Caput virile diadematum.

ELVIONA R. Eques citato curſu.

12. Protome juvenilis capite nudo, præ quo hedera, pone ΛΑ.

EVOIVRIX. Equus currens, ſed cujus pedes pro ungulis habent ungues avis rapacis, & cauda eſt leonis.

13. Protome juvenilis, uti N. 1.

FARIAIΩ. in aliis: FARIEΩ. Caput mulieris impoſitum trunco gallinæ, uti ſupra N. 1. in Numo *Aivoxir* inſcripto.

14. Caput virile nudum inter duo hederæ folia, oram corolla ambit.

LAVVMARVS. Eques currens.

15. Arbor opaca ramis, in cujus medio aries.

SVICCA. Eques citato curſu; in area mogramma ex A & R.

16. Caput virile laureatum.

Equus, ſuper quo ΩΛΛΛ. & aliud quid incertum.

In aliis Numis barbaris *R. Univerſit. Peſt.* inſcriptione carentibus, tanta eſt barbaries, ut Caput humanum in antica, & in averſa Eques vel equus præ ruditate operis vix diſcerni valeant. Sunt etiam hos inter anepigraphos nonnulli heterotypi, ſive altera tantum parte ſignati, altera vacui. Argento conſtant alii puro, alii admixtione vilioris metalli plus minus inquinato, varia forma, & magnitudine, a tetradrachmis ad obulos, & hemiobulos usque decreſcentes.

Vocabula, quæ Numis hoc *§pho* recenſitis, inſcribuntur, barbarorum Principum nomina ſunt, e Scriptoribus incognitorum, qui tamen hoc terrarum tractu, ubi monetæ hujusmodi eruuntur, variis temporibus, & locis, apud variæ originis gentes regnaverint.

rint. Pannonias ante Romanos tenuere Celtæ, ſeu Galli, Thracibus & Illyriis permixti: Daciam Getæ, quibus trans Tibiſcum finitimi erant Jazyges Metanaſtæ, populus origine Sarmaticus; hos autem attingebant Quadi, Suevica gens, a Grano ad Moraviam diffuſi, atque Marcommannis juncti, quorum terga obſcuriores alii ad Carpathos populi claudebant. Itaque ſi conjecturis, utut perſæpe fallacibus, tantisper indulgere licet, illos ego regulos, qui in Monetis barbaris modo deſcriptis gallici eſſe nominis apparent, uti: AIVOXIR, BOIO, CONGE, ELVIONA, & EVOIVRIX, eas in Pannonia, vicinisque provinciis terras gubernaſſe arbitror, quas vetuſtiſſimis temporibus profectæ ex Galliis gentes inſederunt, inter quas e majoribus erant Boji, & Scordiſci, Tauriscique. LAVVMARVS Princeps fuerit indubie germanus ſeu Quadorum, ſeu forte ſerius Vandalorum, quibus ætate Conſtantini Magni Rex eadem nominis terminatione VISVMARVS præfuiſſe legitur, a Gebericho Gothorum Rege ad Maruſium fluvium in Dacia cæſus, uti Jornandes ex Dexippo narrat *Lib. de reb. Get.* ATTA vero, BVSV, COISV, COVNOS & CONOV. apud vicinos Pannoniis vel Getas, vel Sarmatas Principatum tenuerint. Reliqui, ut COBISOVO, ECCAIO, FARIEΩ, SVICCA Illyricis præfuerint in Pannonia, vel Dalmatia civitatibus. De ætate barbarorum idgenus Numismatum, Eckhelii ſententia eſt, in quibus latinæ occurrunt literæ, ea non prius fuiſſe ſignata, quam poſt epocham captæ ab Romanis Macedoniæ, & Illyrici maritimi, ſive poſt annum V. C. DLXXXIII. ante Chr. 170. a quo nimirum tempore Barbari harum terrarum populi cauſas propiores habere cœperunt characteres latinos præ græcis, quibus antea utebantur, adoptandi. At neque ſerius pleraque feriri potuere, quam usque ad Octavianum Cæſarem in Pannonia, Trajanumve in Dacia: abhinc enim in utraque, utpote in formam provinciæ romanæ jam redacta, a cuſione propriarum idgenus mo-

netarum

netarum abſtinendum fuerat. Vid. *Doctr. Num. Vol.* 4. p. 174. Frœlichius vero diſtinguens barbaros Numos argenteos, ad imitationem antiquæ Philippi Macedonis, & Audoleontis monetæ ſignatos in tres velut ſpecies, de varia iſtorum ætate ſic differit, *Acceſſ. ad Num. vet. p.* 46. „*Prima* eſt, quæ cælatura prominente caput laureatum, vel nudum offert, & in averſa equum, vel equitem. Hos perantiquos puto. *Secunda* figuris minus extantibus capita vario ornatu, etiam diademate gemmato cincta objicit, ac in averſa non equitem dumtaxat, ſed interdum leonem, gallum &c. refert, atque fabrica eſt non raro mediocriter barbara. Horum numiſmatum pleraque, præſertim diademato, & gemmis ornato capite inſignia, ad quartum æræ Chriſtianæ Sæculum removenda ſuſpicor. *Tertia* Claſſis eſt eorum, quæ extremam ſpirant barbariem, & varii ſunt moduli, vix ut caput in iis, aut averſæ partis figuram dignoſcas. De his ne probabile quidem aliquid proferre auſim, niſi poſt ſextum fere Seculum a variis Barbaris, Mœſiam, Macedoniam, Thraciam, *Pannoniam* inundantibus, *Hunnis*, Slavis, Bulgaris, aliisque procuſa videri." Conjecturam hanc *Eckhelius* l. ſupr. cit. everti exiſtimat vel ſolis his de cauſis, quod inferiore iſta ætate tanto pondere, & craſſitie numi nuſpiam ſignati ſunt, et, quod, ſiqui eorum populorum, qui a Frœlichio nominantur, monetam ſuam habuere, eam plane ad morem communis tunc monetæ byzantinæ ſignaverant.

CAPUT

CAPUT QUARTUM.

Romanorum aliquot Numismatum, quæ Pannoniæ, vel Daciæ, rerumve ad has provincias pertinentium memoriam conservant, descriptio cum animadversionibus.

§. XXVI.

Numismata TRAIANI Augusti pro Historia Pannoniæ ac Daciæ.

Græcis, ac barbaris Numis succedat jam descriptio romanorum Numismatum, sed eorum dumtaxat, qui disertam PANNONIÆ, vel DACIÆ, rerumve ad has provincias spectantium, memoriam conservant. Inter monetas, durante Rep. rom. signatas, nulla hujus generis reperiuntur, neque inter Numos primorum Augustorum usque ad TRAJANUM. Augustus enim cognomen Pannonici, quod Senatus offerebat, acceptare detrectavit, teste Suetonio; cujus hac in re modestiam Tiberius, qui Augusti auspiciis Pannonios debellaverat, imitari necesse habuit; Claudii vero Numisma cum inscriptione *Sabariæ*, coloniæ romanæ in Pannonia superiore, figmentum est Huberti Goltzii. Itaque prima est Pannoniæ non minus, quam Daciæ, fluviique Danubii mentio in sequentibus Numis *Trajani*, qui ab anno Chr. 98. ad 117. orbi romano præfuit.

1. IMP. TRAIANO AVG. GER. DAC. P. M. TR. P. COS. VI. P. P. Caput laureatum.

METALLI VLPIANI PANN. Mulier stans d. bilancem, s. cornucopiæ. *Æreus III.*

Numulus rarus, primum ex Harduino tantum innotuit *Opp. select. p.* 130. & 751. sed jam in Cæsareo quoque Museo Vindob. posside-

possidetur. Epigraphe; *Metalli Ulpiani Pannonici*, fodinas metallorum in Pannonia sub Ulpio Trajano Aug. aut novas detectas, aut veteres reparatas indicare videtur.

2. IMP. TRAIANO AVG. GER. DAC. P. M. TR. P. XV. Caput laureatum.

DAC. CAP. COS. V. PP. S. P. Q. R. OPTIMO PRINC. Captivus Dacus armis insidens, revinctis a tergo manibus. *Obvius in Museis ex quovis metallo.*

In aliis: Victoria clypeo, ex arbore palmæ pendulo, inscribens vocabulum DACICA.

In aliis alii typi Victoriæ Dacicæ, captæque per Trajanum Daciæ testes, quos vide P. II. Cat. Mus. Cæs. Vindob. in Trajano.

3. IMP. CAES. NERVAE TRAIANO AVG. GER. DAC. P. M. TRP. COS. VI. PP. Caput laureatum. In minoribus æreis radiatum.

DACIA AVGVSTI PROVINCIA. S. C. Mulier pileo Dacico tecta rupi insidens d. spicas, s. signum militare tenet, binis puerulis in eadem rupe adsidentibus. *Ær. I. & II.*

Typum hujus Numismatis explicans Harduinus l. cit. p. 749. „ Dacia, inquit, rupi insidet cum puerulis spicas, racemosque tenentibus, quæ symbola sunt ubertatis agrorum in eo tractu. " Si pueri, quos Harduinus in suo vidit Nomismate, reipsa præter spicas etiam racemos uvarum tenerent, id utique memoratu dignum foret, cultum enim vinearum in Dacia tempore Trajani indicaret, qui antea ibidem vetitus erat per Bœrebistam regem ex Dicenæi consilio, uti Strabo L. VII. scribit.

4. IMP. TRAIANO AVG. GER. DAC. P. M. TR. P. Caput laureatum.

DANVVIVS. COS. V. PP. S. P. Q. R. OPTIMO PRINC. Fluvius, figura viri decumbentis d. navim attingit, s. urnæ innixus. *Den. arg. sat frequens in Museis.*

5. Anti-

5. Antica, uti N. 3. in averſa : PONS TRAIANI DANNVVIVS. ſubſtructio pontis Danubio impoſiti. *Ær. I. apud Com. Marſilium T. II. Danubii Pannonii Moeſici p.* 30.

Rudera Pontis a Trajano ſtructi, ab Hadriano autem diruti, ſuperſunt ſexto infra Danubii cataractam lapide, partim in Servia prope vicum Tetislan, partim in Valachia juxta Czernecz, lat. Severinum.

§. XXVII.

HADRIANI Aug. & AELII. Cæſ.

1. HADRIANVS AVG. COS. III. PP. Caput laureatum.

DACIA. S. C. Mulier inſidens rupi d. ſignum militare, s. gladium incurvum. *Æ. I. & II.*

Typus hic montoſum Daciæ ſitum notat.

2. Antica, ut in præced. In averſa: EXERCITVS DACICVS S. C. Imperator eques d. elata, ritu adloquentis exercitum, per tres milites cum ſignis cohortium adſtantes, adumbratum. *Æreus Muſei Cæſarei, & aliorum.*

Typus averſæ conſervat memoriam luſtrati in Dacia exercitus per Hadrianum, qui ab anno 117. ad 138. imperavit.

3. L. AELIVS CAESAR. Caput nudum ejusdem.

PANNONIA. TR. POT. COS. II. S. C. Mulier ſtans pileo patrio tecta vexillum tenet. *Æreus I. & II. moduli. Ibidem.*

In alio ſimili Numismate *Ælii Cæſaris*, quem Hadrianus Pannoniis præpoſitum adoptavit, typus averſæ Mulierem exhibet capite turrito, quæ dextra labarum tenet. Apud Patinum Num. Impp. p. 211. Recenſetur ab Harduino l. cit. p. 130. cum hac animadverſione. „ Pannonia, inquit, ibi turrito capite labarum tenet, hoc eſt: ſignum militare, penſile, ex panno, ſericove con-

textum, ima ſui parte, transverſo in morem antennæ ligno pendens, cujusmodi ſunt vexilla noſtra eccleſiaſtica, vulgo *Banieres.* Ex hoc vero Numo intelligimus, non Conſtantini primum ævo labarum repertum, nec proprium fuiſſe Romanorum vexillum, ſed Pannonici exercitus, Cappadocici, Judaici, Syriaci, aliarumque gentium, quarum in Numis inſculptum olim, auxiliariumque demum, peregrinarumque copiarum, mox a Romanis Imperatoribus adſcitum inter cetera ſigna militaria."

§. XXVIII.

ANTONINI PII Aug.

1. ANTONINVS AVG. PIVS PP. Caput nudum Antonini Pii.

DACIA. COS. II. S. C. Mulier ſtans dextra tenet coronam radiatam, ſiniſtra vexillum. *Æreus I. Doctr. Num. Vet. Vol. VII. p. 6. Col. 2.* Typus averſæ pertinet ad oblatum *Antonino Pio Auguſto* per Daciam provinciam aurum coronarium. Narrat autem Capitolinus *Antoninum Pium* aurum coronarium, quod adoptionis ſuæ cauſa oblatum fuerat, Italicis totum, provincialibus medium reddidiſſe. Hadriano ſucceſſit ann. 139.

2. ANTONINVS AVG. PIVS PP. TR. P. COS. III. Caput laureatum.

REX QVADIS DATVS. S. C. Imperator togatus ſtans dexteram cum adſtante Quadorum Rege jungit. *Ær. I. editus in Eckhelianis Numismaticæ antiquæ elementis Tab. V. N. 8.*

Quadorum, Suevici populi, regio præter terras hodiernæ Moraviæ partem quoque Hungariæ in ſiniſtra Danubii ripa, a Maro ad Cuſum, id eſt, a Morava fl. ad Vagum, immo tempore Antoninorum ad Granum usque diffuſam, complectebatur. Diſerte enim Marcus Aurelius in Libro ad ſe ipſum: *Hæc*, inquit, *ad Granuam*

nuam in Quadis. Numum ſic inſcriptum Auctor Doctrinæ Num. Vet. Vol. VII. p. 15. refert ad ann. 140. quo Imp. Antoninus Pius finitimis Pannoniæ Quadis regem, cujus hodie nomen ignoratur, ſua conſtituit auctoritate.

§. XXIX.

Septimi SEVERI Aug.

1. IMP. CÆS. L. SEP. SEV. PERT. AVG. Caput laureatum.

LEG. II. ADIVTR. TR. P. COS. Aquila legionaria inter duo ſigna militaria. *Arg. Den. in pluribus Muſeis.*

Legio II. Adjutrix, in Pannonia inferiore hybernans, inter eas fuit legiones, quæ primæ Lucium Septimium Severum ſalutarunt Auguſtum ad vindicandam *Helvii Pertinacis* cædem, Romæ a Prætorianis perpetratam.

2. Antica, ut in præced. in averſa: LEG. XIIII. GEM. M. V. TR. P. COS.

Aquila legionaria inter duo ſigna cohortium. *Aur. & Arg. Den. & Ær. I.* Hujus quoque Legionis XIV. meminit Ptolemæus in Pannonia, ſed ſuperiore, locatæ. Cuſi fuerunt id genus Numi anno 1*mo* Imp. Septimii Severi ad commendandam legionum exercitus Pannonici fidelitatem. Compendia epigraphes legenda: *Legio Quarta decima Gemina Martia Victrix.* Reliqua pertinent ad Imp. *Severi* titulos; *Tribuniciæ Poteſtatis Conſul.*

§. XXX.

PHILIPPORVM Aug. & OTACILIAE Aug.

1. IMP. M. IVL. PHILIPPVS AVG. Caput laureatum Philippi ſenioris; *in minoribus vero numis*, radiatum.

PROVINCIA DACIA AN. I. Mulier ſtans inter aquilam, & leonem d. tenet enſem Dacicum, s. vexillum, literis D. F. quæ *Daciam Felicem* ſignificant, inſignitum. *Ær. I. II. & III. moduli.*

2. Antica, ut in præced. In averſa: PROVINCIA DACIA AN. I. vel II. vel III. Mulier ſtans inter aquilam ſertum roſtro gerentem, & leonem, d. tenet gladium recurvum juxta vexillum, cui inſcriptum V. ſiniſtra vero attingit aliud vexillum humi defixum, & numero XIII. notatum. *Ær. I. II. III.*

3. MARCIA OTACILIA SEVERA AVG. Caput Otaciliæ Auguſtæ. Averſa eadem, quæ N. 2. *Ær. I. & II.*

4. M. IVL. PHILIPPVS. AVG. Caput Philippi junioris.
Averſa, uti N. 2. *Ær. I. & II.*

5. IMP. M. IVL. PHILIPPVS AVG. Caput laureatum Philippi junioris.

PROVINCIA DACIA. AN. II. Dacia pileata ſedens dextera tenet pileum libertatis, læva vexillum cum numero Legionis XIII. Ad dextram aliud occurrit vexillum cum numero Legionis V. Præterea hinc aquila ſertum roſtro gerens, inde Leo adſtat. *Æ. II. Numus prioribus rarior. Ex Muſeo Neumanniano.*

Imp. Philippus ex Oriente redux, provinciam Daciam, profligatis Carpis, libertate donavit. Daci igitur ab hac epocha, quæ in annum Imperii Philipporum quartum, Chriſti vero 247. incidit, ſuos numerabant annos hiſce Numis inſcriptos. Mulier illic eſt genius Daciæ, aquila & leo ſymbola legionum romanarum, Daciæ impoſitarum, *Quintæ* videlicet *Macedonicæ*, & *Tertiæ decimæ Geminæ*, id quod numeri V. & XIII. vexillis inſculpti manifeſtant.

Exemplum typi Daci ſumſerunt ex Numis *Viminacii*, quæ urbs provinciæ Myſiæ Superioris ex Municipio ad Coloniæ romanæ dignitatem per Imp. *Gordianum III.* evecta, poteſtatem accepit ſignandi Numos ex ære, in quorum antica exprimeretur nomen &

caput

caput Augusti regnantis, in aversa vero proprius hic esset typus: Mulier stans inter taurum, & leonem, vel sine vexillis, vel cum vexillis Legionum Mæsiæ Superioris Quartæ, & Septimæ. Inscriptio autem: P. M. S. COL. VIM. AN. I. vel II. & III. cet. id est: *Provinciæ Mæsiæ Superioris Colonia Viminacium Anno primo, vel secundo* &c. Numeri idgenus annorum in monetis tam Daciæ, quam Viminacii continuantur usque ad *Gallienum*, post quem hæ epochæ suis cum typis desinunt; rebus nempe Daciæ, & Mæsiæ posthac impeditis invasione Barbarorum. Nullum monetæ veteris genus tam frequens ac obvium est in Hungaria, quam istud Daciæ, & Viminacii. Nonnulla tamen ex his a typo consueto partis aversæ aliquantum recedunt, notamque raritatis obtinent, ut, si Mulier Mæsiæ genium repræsentans dextra capreolum teneat, aut si vexillis superposita sint capita vel hominum, vel animalium, qualia in Viminacii Numis eadem epocha signatis nonnunquam occurrunt. Quæ & similia vide *P. I. Catal. Musei Cæs.* p. 48. & *Neumanni P. I. Pop. & Reg.* nec non in Appendicula Frœlichii ad Numos Vaillantii.

§. XXXI.

Messii Quinti Trajani DECII Augusti.

1. IMP. C. M. Q. TRAIAN. DECIVS AVG. Caput laureatum *in aureis, & æreis primi moduli, in argenteis vero, & æreis parvis,* radiatum.

PANNONIAE. *In æreis additur* S. C. id est: *Senatus Consulto.* Duæ Mulieres velatæ stantes, capite averso, dextras attollunt, inter duo signa militaria. *In compluribus Museis.*

2. Eadem epigraphe nominis, & titulorum. Caput Decii radiatum.

PANNO-

PANNONIAE. Duæ Mulieres ſtantes jungunt dexteras, intermedio ſigno militari. *Den. arg. Muſei Cæſ. & aliorum.*

3. IMP. TRAIANVS DECIVS Aug. Caput radiatum.

PANNONIAE. Unica Mulier ſtans dextram attollit, ſiniſtra tenet ſignum militare. *Den. ibidem.*

Duæ Mulieres repræſentant Pannonias duas, ſuperiorem, & inferiorem. Hoc typo DECIVS patriam ſuam honoravit; natus quippe fuit Bubaliæ in Pannonia inferiore, agri Sirmienſis vico. Idem in Pannonia, cum ad caſtigandos Marini tyranni complices huc miſſus fuiſſet, ab exercitu Imperator contra Philippos anno 249. proclamatus fuerat. Tertio Imperii anno in Scythica expeditione occubuit. DECII prænomina ſunt: Cajus, vel Cnæus Meſſius Quintus Trajanus.

4. IMP. C. M. Q. TRAIANVS DECIVS. AVG. Caput radiatum.

DACIA. Mulier ſtans cum ſigno militari. *Den. ibidem.* In æreis additur S. C. *Senatus Conſulto.*

5. Antica ut in præced. In averſa: DACIA FELIX. in aliis tantum DACIA. Mulier ſtans dextra tenet haſtam, in caput cujusdam animalis deſinentem. *Den. arg.*

Haſtam Dacicam in his Numis deſinere in caput aſini cenſent Bandurius T. I. Num. Impp. p. 11. & Eckhelius in ſuis operibus. Alii non haſtam illic eſſe, ſed ſpeciem quandam tubæ bellicæ, cujus os in caput cujusdam animalis deformetur, autumant. Alii Draconis id eſſe caput affirmant, quia in columna Trajani Dacicus exercitus per dracones apicibus perticarum impoſitos diſcernitur. Sententia Eckhelii nititur hac obſervatione, quod Scythæ ritum habuerint immolandi aſinos Apollini, ut Clemens Alexandrinus perhibet in *Protreptico p. 25. edit. Oxon.*

§. XXXII.

§. XXXII.

GALLIENI *Augusti.*

1. GALLIENVS AVG. Caput radiatum.

SISCIA AVG. Mulier ſedens ambabus manibus expanſis; parte inferiore fluvius conſueta viri effigie. *Den. arg. deſcriptus Vol. VII. Doctr. Num. Vet. p.* 410.

2. Antica, ut in præced. In averſa: SCISCIA AVG. Mulier capite turrito ſedens. Infra: fluvius. *Denar. apud Bandurium T. I.* p. 179.

3. In aliis ſimilibus *Gallieni* Numis argenteis: SISCI. AVG. vel SCIS. AVG. typo ut in averſa præcedentis. *Ibidem.*

4. GALLIENVS. AVG. Caput radiatum.

SISCIA AVG. Mulier ſedens d. haſtam, s. cornucopiæ. Infra fluvius. *Denar.* ex Vaillantio apud Eckhelium Doctr. Num. l. cit.

Siſcia Pannoniæ urbs intra Savum & Colapim fluvios in Gallieni Numis legitur, opinione *Bandurii* l. cit. hac de cauſa, quod in ejusdem fide contra *Ingenuum* Tyrannum perſeveravit.

Idem Auctor etiam Numorum *Ingenui* Tyranni meminit, circa idem tempus ſignatorum Sirmii in Pannonia. Epigraphen ſine typo hanc refert e Schedis Fæſchianis:

IMP. C. INGENVVS P. F. AVG. & in averſa: VIRTVS AVG. SIRM. P. Item aliam: IMP. C. D. LAEL. INGENVVS P. F. AVG. Unde colligere licet, illo jam tempore officinas monetales Romanorum Sirmii, & Siſciæ in Pannonia extitiſſe.

5. GALLIENVS AVG. Caput radiatum.

LEG. I. ADI. VI. P. VI. F. Capricornus. *Den. Muſei Cæſ.*

6. Eadem antica. In averſa vero: LEG. II. ADI. VI. P. VI. F. Pegaſus. *Den.*

7. An-

7. Antica, ut N. 1. In aversa: LEG. II. ADI. VI. P. VI. F. Pegasus *Den. ibid.*

8. Eadem Antica, ut supra. In aversa: LEG. V. MAC. VI. P. VI. F. Victoria tunicata gradiens d. lauream, s. palmae ramum, adstante aquila. *Den. ibid.*

9. GALLIENVS AVG. Caput radiatum, ut in praecedentibus.

LEG. XIII. GEM. VI. P. VI. F. Victoria gradiens cum solitis attributis, adstante leone. *Den. ibid.*

Legiones Primam, & Secundam Adjutrices, in Pannonia illam superiore, hanc inferiore, Quintam vero Macedonicam, Tertiamque decimam Geminam in Dacia fuisse locatas, certum est ex Claudio Ptolemaeo, Itinerario Antonini, Dione, inscriptionibus lapidum, & numorum. Communis earum titulus in monetis Gallieni est: VI. P. VI. F. id est: Sextum Pia, Sextum Fidelis. Symbola earundem in vexillis: Primae Capricornus, Secundae Pegasus, Quintae Aquila, & Tertiae decimae Leo. Non repetam, quae jam alias de titulis Legionum piarum, fidelium, scripsisse memini P. II. de Caldario, & ruderib. & P. II. Comment. geogragph. in Rom. iter per Pannon. Adpendice.

§. XXXIII.

A V R E L I A N I Aug.

1. IMP. AVRELIANVS AVG. Caput radiatum, ad pectus cum paludamento.

DACIA FELIX. Mulier stans dextra tenet hastam in caput asini desinentem. *Aereus III. Mus. Caes.*

2. Eadem epigraphe. Caput Aureliani radiatum, ad pectus cum lorica.

DACIA FELIX. Mulier stans cum hasta in caput asini desinente. In area S. *Aer. III. ibidem.*

Quae

Quæ his in Numis prædicatur DACIA FELIX, non illa vetus intelligenda eſt, quam TRAJANUS victo Decebalo in formam provinciæ redegit: hæc enim jam ſub Gallieno maximam partem amiſſa fuit; verum paullo recentior altera, quam AURELIANUS in Mæſia, ac Dardania, translatis huc legionibus, & provincialibus Daciæ Trajanæ, a Barbaris occupatæ, inſtituit; id quod intra annos Chr. 270. & 276. quibus L. Domitius AURELIANUS ad clavum Imperii ſedit, acciderat. *Vid. Fl. Vopiſcus in Aureliano; Eutropius L. IX. Sext. Rufus in Brev.*

§. XXXIV.

M. Aurelii PROBI Aug.

1. IMP. C. M. AVR. PROBVS AVG. Caput radiatum, ad humeros cum paludamento. *In aliis*: pectore loricato.

SISCIA PROBI AVG. Mulier inter duos fluvios, figura, qua pingi ſolent, expreſſos, ſedens corollam ſolutam manibus tenet. Infra XXIΓ. *Ær. III. Muſei Caeſ.*

2. Alii his ſimiles ſed cum aliis numeris in averſa occurrentibus. *Ibidem, deſcribuntur ab Eckhelio Cat. cit. & Doctr. Num. Vol. VII.* p. 505.

SISCIA, urbs Pannoniæ vetuſtiſſima, nominis veſtigium retinet in *Siſſek*, Croatiæ oppido, haud longe Zagrabia diſſito, inter Savum, & Colapim fluvios. Plinius: „ Colapis, inquit, in Saum influens juxta *Siſciam*, gemino alveo inſulam ibi efficit, quæ Segeſtica vocatur. “ Hiſt. nat. Lib. III. cap. 28.

Mulier corollam ſolutam tenens *Lætitiæ publicæ* genius eſt, quemadmodum ex aliis numis romanis, LAETITIA PVBLICA inſcriptis conſtat. Erat PROBVS, origine Pannonius, in lucem Sirmii editus, teſte Vopiſco, & Eutropio. Ad Imperium evectus an-

no Ch. 276. quo & monetæ hæ verisimiliter apud *Sifcienfes* fuerunt fignatæ, ut lætitiam publicam typo hoc, & infcriptione SISCIA PROBI AVG. fignificarent.

§. XXXV.

Aurelii IVLIANI Tyranni.

IMP. C. M. AVR. IVLIANVS AVG. Caput radiatum.

PANNONIÆ AVG. Duæ Mulieres ftantes, quarum una dexteram extendit, altera fignum militare tenet. In area S. infra XXIΓ. *Den. arg.* apud Bandurium T. I. Num. Impp.

M. Aurelius IVLIANVS, Venetiarum Corrector, audita Numeriani Augufti morte, Imperii infignia eodem, quo Diocletianus, anno Chr. 284. fumpfit. Præfens Numus rariffimus docet, Pannonias hujus Tyranni auctoritatem fecutas fuiffe, qui tamen paucos poft menfes ab Imp. Carino Numeriani fratre in campis Veronenfibus victus, & occifus eft. Vid. Aurel. Victor. in Epitome.

§. XXXVI.

Exempla aliquot Numorum, quibus SISCIA, & SIRMIVM folummodo, ut loca percuffæ monetæ, infcribuntur.

Multiplicatis in Imperio Romano monetalibus officinis, conftitutum fuit, ut in qualibet moneta locus, immo & numerus officinæ, ex qua prodierat, accuratius deinceps notaretur, nomine vel integro, vel abrupto civitatis, in averfa Numi facie infra typum confuetum exfculpto. Ingens omnino copia idgenus Numorum, in quibus loca fignatæ monetæ leguntur, hodie quoque in Hungaria, hujusque provinciis reperitur, inde a temporibus Diocletiani, ac præcipue Conftantini Magni, usque ad ætatem extincti fub Ro-

mulo

mulo Augusto Imperii Occidentis procusorum. Locorum, sive civitatum sic inscriptarum, varia in illis occurrunt nomina, ut: Roma, Ravenna, Aquileja, Lugdunum, Treviri, Constantinopolis, Antiochia, Nicomedia, Thessalonica, Carthago, Alexandria, &c, atque inter hæc perfrequenter etiam *Siscia*, & *Sirmium*, civitates Pannoniæ, monetalibus Romanorum officinis celebres. Prima in monetis Romanis mentio SISCIAE, & SIRMII *Gallieno* imperante ab anno Chr. 253. ad 568. Vide hic §. XXXII. postrema sub *Arcadio* Aug. anno 383—408. Literæ alphabeti græci ad nomina urbium in numis adjectæ, videlicet A. B. Γ. Δ. E. Z. &c. incerti hodie sunt sensus. Opinio communior est, esse numeros officinarum. Nec enim unam tantum, sed complures monetales officinas unamquamque harum urbium habuisse existimant. Itaque in Numis non semper est SIS, vel SISC. SIR. vel SIRM. sed sæpenumero ASIS, BSIS, ΓSIS vel SISΓ. SISΔ. ASIRM. vel ¦SIRA. SIRB. &c. Quibus & asteriscus interdum, aliaque signa monetariorum accedunt. Sed en exempla ex innumeris aliqua complurium a DIOCLETIANO usque ad ARCADIUM Numismatum, ex quovis metallo signatorum.

DIOCLETIANI Augusti.

IMP. C. DIOCLETIANVS P. F. AVG. Cput laureatum.

GENIO POPVLI ROMANI. Stans Genius d. pateram, s. cornucopiæ, in area Γ. infra: * SIS. *Æreus II. obvius.*

MAXIMIANI Augusti.

IMP. MAXIMIANVS P. F. AVG. Caput laureatum.

SACRA MONETA AVGG. ET CAESS. NOSTR. Mulier stans d. bilancem, s. cornucopiæ. In area: astrum, & B. infra: *SIS. *Æreus II. obvius.*

CONSTANTII Chlori.

IMP. C. CONSTANTIVS P. F. AVG. Caput laureatum.

HERCVLI VICTORI. Stans Hercules d. clavam, s. exuvias leonis, & poma. In area VI. infra SISA. *In aliis.* SISB. vel SISΔ. *Æreus II.*

HELENAE Augustæ.

FL. IVL. HELENA AVGVSTA. Caput Helenæ matris Constantini M.

SECVRITAS REIPVBLICAE. Mulier stans d. ramum. Infra: SIRM. *In aliis similibus*: ΓSIS. vel ESIS. *Æreus parvus.*

CONSTANTINI Magni.

CONSTANTINVS P. F. AVG. Caput laureatum.

CONSTANTINI AVG. Victoria thoraci insistens, clypeo inscribit VOT. XX. infra: SIRA. *Aureus.* In aliis ejusdem: SIRM. vel SIS. *Aur. & arg. III.*

CRISPI Cæsaris.

FL. IVL. CRISPVS NOB. CAES. Caput laureatum.

ALAMANIA DEVICTA. Victoria conculcans captivum dextra tenet trophæum, sinistra ramum. Infra: SIRM. *Æreus parvus.*

CONSTANTIS Augusti.

DN. CONSTANS P. F. AVG. Caput diadematum.

FEL. TEMP. REPARATIO. Imperator stans d. tenet signum militare, cui insculptum est monogramma Christi, s. clypeum, adstantibus duobus captivis. Infra SIS. *in aliis* ASIS. *in aliis* BSIS. cet. *Ær. III.*

In

In aliis Numis tam alibi, quam *Sisciæ*, & *Sirmii* in Pannonia signatis, quibus *Felix Temporum Reparatio* in aversa inscribitur, alii, & alii occurrunt typi, nempe: Imperator stans in navi, tenensque d. phœnicem, s. labarum monogrammate Christi insigne, adsidente ad clavum Victoria. Vel Imperator Barbarum crinibus adprehensum e sylvæ latebris educens. Vel aream aversæ occupat aquila rogo insistens; vel Phœnix super globo, aut pyramide. Qui typi aversarum frequentissimi sunt ævo Constantiniano in Numis quorumcunque Imperatorum, maxime æreis mediæ, & parvæ formæ.

CONSTANTII Junioris, Aug.

DN. CONSTANTIVS P. F. AVG. Caput diademate gemmato redimitum.

HOC SIGNO VICTOR ERIS. Imperator stans paludatus, & ab adstante Victoria coronatus d. tenet labarum monogrammate Christi signatum, s. hastam. In area A. Infra: ASIS. *In alio simili*: SIRM. *Æreus parvus*.

Eandem epigraphen reperies in Numis VETRANIONIS, qui purpuram in Pannonia sumpsit, verum decimo post mense a CONSTANTIO Aug. victus, & in ordinem redactus fuit.

IVLIANI vulgo Apostatæ.

DN. FL. CL. IVLIANVS P. F. AVG. Caput barbatum, ac diademate ex margaritis texto redimitum.

SECVRITAS REIP. Taurus, supra quem duo astra. Infra: SIRM. inter astrum & corollam.

In aliis similibus infra est: ASIRMQ. BSIRM. vel ASISCE. &c. *Æreus mediæ magnitudinis, obvius in Museis.*

Socrates *Hist. Eccl. L.* 3. *c.* 27. scribit, Imp. Julianum Apostatam suis Numis Taurum, & aram insculpsisse, quia tauros immolare

lare solebat. Inter innumeros tamen, quos in Hungaria vidi, hujus generis Numos Juliani, non memini aliquem vidisse, in quo præter taurum ara quoque fuisset Hoc tauro quidam existimant repræsentari *Apim*, Ægyptiorum Numen, cui Julianus ad insaniam usque addictus, hecatomben tam sæpe fecit, ut, Ammiano Marcellino judice, omne boum genus destructurus videretur, si diutius vixisset.

VALENTINIANI Senioris.

DN. VALENTINIANVS P. F. AVG. Caput diadematum cum margaritis.

VOT. V. MVLT. X. intra lauream. Infra: SISCPS. *Arg. & ærei parvi passim in Museis.*

In aliis ejusdem Imperatoris monetis cum epigraphe: RESTITVTOR REIPVBLICAE. Imperator stans d. tenet labarum cruce signatum, sinistra globum, cui victoriola insistens porrigit coronam. Infra SIRM. * *Aur. & arg.*

VALENTINIANI Junioris.

DN. VALENTINIANVS IVN. P. F. AVG. Caput diadematum cum margaritis.

CONCORDIA AVGGG. Mulier galeata sedens d. globum, s. hastam. In area I. & remus. Infra: ASISC. *Æreus parvus.*

Uterque Valentinianus in historia Pannoniæ est memorabilis. Senior, quia repulsis Quadis, & Sarmatis, cum in reditu esset, apud Bregetionem, ubi hodie pagus Szöny Comaromio vicinus, extinctus est: Junior autem, quoniam post obitum patris militaribus suffragiis Imperator illico salutatus fuit apud *Acincum*, Pannoniæ Valeriæ civitatem, ubi hodie Buda vetus.

THEO-

THEODOSII Senioris.

DN. THEODOSIVS P. F. AVG. Caput diadematum.

GLORIA ROMANORVM. Imperator ſtans in navi, Victoria ſedente ad clavum. In area corona. Infra ASISC. *Æreus II.*

In aliis: parte averſa Imp. Theodoſius ſtans d. captivum crinibus prehenſum rapit, ſ. labarum tenet cum monogrammate Chriſti. Infra: ASISC. *Medii æris.*

In alio: VICTORIA AVGG. Duo Imperatores nimbati ſedentes d. globum ſimul ſuſtinent, retro eſt Victoria volans. Infra: SIROB. *Aureus.*

ASISC. Lege, *prima Siſcienſis.* SIROB. *Sirmienſis officina ſecunda.*

ARCADII Auguſti.

DN. ARCADIVS P. F. AVG. Caput diadematum cum margaritis.

VICTORIA AVGGG. Victoria gradiens. Infra: ASIS. *Æreus minimi moduli.* In aliis: VOT. V. intra lauream. Infra. BSIS.

Poſt ARCADIVM, qui ab anno 384. ad 408. in Oriente imperavit, nullum in Catalogo Muſei Cæſ. Vindob. nec alibi hactenus reperi Numum, *Siſciæ*, vel *Sirmii* ſignatum, non HONORII, qui Occidentem ab anno 407. ad 411. rexit, nec THEODOSII junioris, neque Placidii VALENTINIANI, qui poſt Arcadium, & Honorium imperarunt. Res enim Pannonicæ invaſionibus Barbarorum, præcipue HVNNORVM jam impeditæ, ac turbatæ erant.

CAPUT

CAPUT QUINTUM.

De ratione veteris monetæ, græcæ, & romanæ, nec non inferioris ævi byzantinæ, & francicæ, seu germanicæ, serius ante exordium regni Hungarici in Pannonia usitatæ.

§. XXXVII.

De ratione veteris monetæ græcæ.

Veteris monetæ græcæ, qua nonnullæ Pannoniorum, ac Dacorum gentes, uti supra, Cap. 2. dictum est, principio utebantur, hæc erat ratio: *Drachma* fuit numus argenteus parvi moduli, a pondere, octava scilicet unciæ parte, nomen sortitus. Valebat sex *obulos*. Barthelemius institutis experimentis in drachma Attica comperit pondus argenti puri, 18. solidis gallicis, qui in moneta Austriaca efficiunt plus minus 20. cruciferos, æstimatum. a) *Didrachmum*, *Tridrachmum*, *Tetradrachmum* Numismata pondere, & valore duarum, trium, quatuor drachmarum. *Stater auri*, adpendens didrachmum, permutabatur drachmis argenteis XX. sæpe pluribus, nonnunquam XXV. pro varia nempe diversis temporibus, locisque, auri ad argentum ratione. Drachmæ Apolloniatarum, ac Dyrrachenorum sunt paullo leviores antiquioribus Macedonicis, & Atticis. Vilior græcorum ex ære moneta *Chalcus* variæ fuit æstimationis pro varia itidem æris cyprii ratione ad argentum, aurumque. Sæpe sextam, alias octavam, subin decimam dumtaxat obuli argentei partem valuit. *Leptum* minimi erat pretii. Septem lepta interdum pro uno chalco. *Minæ*, ac *Talenta* ponderum, vel Summarum fuere vocabula. Centum drachmæ

a) Conf. Voyage d' Anacharsis T. VII. p. LXXXV. & Eckhelii Doctr. Num. vet. Vol. 1. Prolog. Cap. IX.

mæ conſtituebant *Mnam*, ſeu *Minam*; ſexaginta vero Minæ, ſive drachmarum ſex millia *Talentum* Atticum *a*).

§. XXXVIII.

Monetæ Romanæ ratio in genere, & ſpeciatim in Pannonia, Daciaque.

Stante Republica, & florente ſub Auguſtis primorum Sæculorum Imperio Romano, ſignabantur Numi, *ex ære*, As, hujusque partes, Semis, Triens, Quadrans, Sextans. *Ex Argento*; Denarius, Quinarius, Seſtertius. *Ex auro*: Denarius, & Quinarius auri. Pecuniæ ratio iniri ſolebat ſecundum libras, & Seſtertii ſummas, ac numeros. Poſtea vero, quam ſedes Imperii ſub Conſtantino Magno Roma Byzantium translata, & ſuprema dein Theodoſii Magni voluntate Imperium romanum bifariam, Orientis nempe, & Occidentis, diviſum fuiſſet, ut in aliis rebus, ita in ipſis adeo monetarum vocabulis magna ſubſecuta eſt mutatio, de qua ſequente *§pho* agetur.

As principio veterem libram æris, in XII. uncias diviſam pondere, & valore æquabat, ſignatus primum ſub Rege Servio Tullo, effigie pecudum, uti Varro, Plinius, & Plutarchus perhibent. *b*). Cum id incommodum eſſet, mox imminui cœpit, redactus tempore primi belli Punici ad ſextantis, ſive duarum unciarum pondus, fervente

---

a) Vid. Plinius L. XXI. Cap. 23. & XXXV. Cap. 11. Pollux Onomaſt. L. IX. uberiorem de drachmis, minis, talentis non modo Atticis, verum etiam aliis diverſis, puta: Euboicis, Cyzicenis, Alexandrinis Ægypti, notitiam tradunt, Scaliger, Camerarius, Porcius, Eiſenſchmid, Frœlich, Eckhel.

b) Varro L. 2. de re ruſtica Cap. 1. & Lib. 1. de vita pop. rom. Plinius Hiſt. Nat. L. XXXIII. Cap. 3. Plutarchus in Poplicola. & Quæſt. rom.

vente autem secundo bello Punico factus jam uncialis, atque haud multo post lege Papiria semuncialis, ac pro pecudibus alium accepit typum, in antica videlicet caput Jani bifrontis, in aversa vero proram navis, notamque valoris I. & vocabulum ROMA pro epigraphe. *Semissem* distinguebat insculptum S. *Trientem* globuli quatuor, Quadrantem seu teruncium tres, Sextantem duo, ad significandum valorem totidem unciarum æris. Sed hæc antiquioribus tantum reipublicæ temporibus; qua ad finem vergente hæ Notæ omissæ, & pro bicipite Jano alia capita Numinum substitui cœpere, præcipue in partibus Assium. Raro in Pannonia Asses Reipublicæ romanæ, verum denarii consulares, seu familiarum romanarum adeo sæpe, ac tanto numero eruuntur, ut facile pateat, incolas hujus provinciæ longe jam antea sponte sua argenteis Romanorum monetis consuevisse, quam ad communem pecuniæ romanæ usum sub Augustis necessitate adacti fuissent.

Est vero *denarius* appellatus a valore denorum assium; ejus dimidium *Quinarius*, pars vero quarta *Sestertius* numus. Denariorum character X. Quinariorum Q. vel V. Sestertiorum IIS. quod significat asses duos, & semissem. Rari sunt hodie Quinarii romani, Sestertii vero argentei rarissimi. Antiquioribus Reipublicæ romanæ monetis argenteis imprimebatur in antica Caput muliebre galeatum, & alatum, Palladis, vel secundum alios, urbis Romæ; in aversa autem Dioscuri equites, vel bigæ, aut quadrigæ, inscripto vel solo *Romæ* nomine, vel etiam nonullis ædilium, quæstorum, aut consulum nominibus. Paullo serius Præfecti monetales typos utriusque partis mirum in modum variarunt, exsculptis diversorum Numinum, Heroum, Majorumve suorum, & rerum ab his gestarum imaginibus. At Numi sub Augustis procusi, horum capitibus in antica ornantur, vel Cæsarum, Augustarumve, rebus mythologicis, historicis, politicis, aut symbolicis in aversa expressis.

Quo

Quo antiquiores denarii romani, hoc puriore constant argento. Centum valebant libram argenti, duodenis, ut supra dictum est, unciis definitam. In denariis Augustorum jam tempore Septimii Severi multum æris argento admixtum observatur. Post Gallienum fere tantum *argento tincti* occurrunt. Diocletianus rem monetalem instauravit, rursusque argenteos curavit feriri. *Aureus* denarius Consularis adpendit duos hungaricos, & quartam unius partem, Imperatorius vero itidem duos, sed cum excessu octavæ tantum partis. Quod tamen solummodo de aureis Imperatorum duorum primorum Seculorum intelligi debet. Deinceps enim magis, ac magis imminutum fuit pondus aureorum ita, ut qui sunt ævi Constantiniani, ac Theodosiani, unum hungaricum circiter granis viginti tantummodo exsuperent.

Denarius aureus didrachmum adpendens valebat XXV. denarios argenti, sive centum numos sestertios: adeoque quatuor idgenus aurei, qui simul octo drachmas, sive unam unciam adpendebant, æstimabantur centum denariis argenteis, sive quadringentis numulis sestertiis, id est: una libra argenti, quamdiu nempe ratio auri ad argentum duodecupla perstitit Hinc vero patet ratio, cur priscis Romanis *Sestertium*, genere neutro, significaverit mille numos Sestertios. Nempe *Sestertium* idem quod *Sesquitertium*, valorem indicabat ponderis argenti duarum librarum, & unius selibræ. Dena igitur Sestertia non utique denos tantum Sestertios, verum decem millia idgenus numorum indicant, & centum Sestertia sunt centum millia Sestertiorum numorum. Pro amplioribus Summis, quas hodie *milliones* dicimus, accessit aliud scribendi compendium, videlicet, *Sestertium* adverbio numerali junctum, ex. c. *Decies Sestertium*, pro decies centenis millibus numorum Sestertiorum. *Vicies Sestertium*, sunt duo milliones &c.

Officinæ monetales cum antea Romæ dumtaxat essent, dein pluribus in locis cum per Italiam, tum per alias Imperii romani provincias constitutæ sunt. In Pannonia *Sirmii*, & *Sisciæ*, quod non modo ex Numis *§pho* præcedente descriptis certum est, verum etiam e Codice Theodosiano, & Notitia dignitatum utriusque Imperii. Comites metallorum, & Procuratores rei monetalis in Pannonia suberant Comiti Sacrarum Largitionum per Illyricum, testibus iisdem monumentis ævi Theodosiani. Dacicæ quidem officinæ nulla in his mentio, quia Dacia jam dudum fuit amissa, dubium tamen non est, quin hac etiam in provincia sub antiquioribus Augustis monetæ fuerint signatæ, præcipue cum extent Numismata ipso Daciæ provinciæ nomine procusa inde a temporibus Philipporum usque ad Gallienum, qualia isthic §. XXX. recensuimus. Locum Officinæ monetalis Dacicæ compertum haberemus, si Numus, quem Harduinus e Goltzio in sua opera retulit, cum epigraphe SARMIZEGETHVSA, subleſtæ fidei non esset.

§. XXXIX.

De Numis Byzantinis, eorumque usu in Pannonia.

Reliquum est, ut de monetis etiam Byzantinis, quarum usus in Pannonia sub Hunnis, Gothis, Longobardis, & Avaribus ac deinceps, diu perseveravit; immo & de pecunia Francorum orientalium, Pannonias ante Hungaros possidentium, compendio, ac velut in transitu ad proximam de Numis Hungarorum propriis dissertationem, agamus. Ratio enim monetæ Byzantinæ longe diversa fuit a vetere illa Romanorum, quam paullo ante breviter descripsimus. Alia nempe jam invaluere numorum vocabula, alius valor, alia summas pecuniarias ineundi methodus, ipsis etiam eorum formis, ac typis ad extremam sensim prolapsis barbariem.

Commu-

Communes *aurei Byzantini* appellabantur *Solidi*, vel *Sextulæ*: de quibus Iſidorus a) „ Solidus, inquit, apud Latinos alio nomine Sextula dicitur, quod de iis ſex uncia compleatur, huncque vulgus aureum Solidum vocat. " Sex igitur Solidi unam tunc auri unciam, quemadmodum lege Valentiniani ſenioris decretum fuerat, b) adpendebantque, eorum vero LXXII. efficiebant libram, unciis XII. definitam. Hinc facile intelligas, quantum pretii habuerint ſex millia librarum auri, quas Theodoſius junior poſt cladem Cherſonenſem Hunnis Attilanis pro ſtipendiis præteritis, & bis mille ac centum aliæ auri libræ, quas iisdem deinceps tributi nomine quotannis pendere debebat, præter mulctam duodecim aureorum, qui pro quolibet captivo romano, qui non ſoluto redemptionis pretio clam evaſerat, perſolvendi erant c).

Vulgares monetæ *argenteæ* ſpecies leguntur *Milliarenſis* & *Ceratium*. XII. Milliarenſes, ſive XXIV. Ceratia imputabantur in unum *Solidum auri*. Quod & Cedrenus docet, ſcribens, Chaganum, qui Hunnis Avaribus præfuit, obtuliſſe Imperatori Mauricio captivos ea conditione, ut ſingula capita quaternis ceratiis, ſive duobus milliarenſibus redimat d). Memorantur præterea in re monetali byzantina *folles*, *follares*, *follerales*, Numi, incertum hodie, an non ideales tantum. Argenteus *Follis* tetradrachmo æquatur a S. Epiphanio e). In cuprea vero moneta *follares*, ſeu *follerales*, opinione Ducangii,

---

a) L. XIV. Orig. cap. 24.

b) Vid. Cod. Theod. L. I. de pond. & II. de Conlat. æris. Item de Suſceptoribus.

c) Conf. Priſcus Rhet. Excerpt. Legat.

d) Cedrenus ad Ann. XVIII. Mauritii.

e) Lib. de pond. & menſ.

gii, *a*) quingenti dabantur pro una libra argenti. Quod in medio relinquo. Illud certum eſt, lege Impp. Theodoſii Jun. & Placidi Valentiniani permiſſum fuiſſe, ut Trapezitæ pro *ſolido aureo* exigere auderent in permutatione *ſeptem millia*, ac *ducentos* ex numulis *æreis*, ea tempeſtate cuſis *b*). Vulgo autem ſex millia minutorum hujusmodi ex ære denariorum conſtituebant unum auri Solidum, teſte The o dorico, Gothorum in Italia, & Pannonia Rege, cujus hæc ſunt verba: *c*) „Sex millia denariorum Solidum eſſe voluerunt; ſcilicet, ut radiantis metalli formata rotunditas ætatem mundi, quaſi Sol aureus, convenienter includeret. Senarium vero, quem non immerito perfectum docta antiquitas definivit, unciæ, quæ menſuræ primus gradus eſt, appellatione ſignavit; quam duodecies, ſimilitudine menſium, computatam in libræ plenitudine ad anni curricula collegerunt.“ Robertus quidem Cenalis hoc loco Solidum quemdam *uncialem* interpretatur *d*) „Pendebat, inquit, unciam, quæ duodecies reſumpta libram implet, ad duodecim menſium menſuram.“ Verum fallitur. Præterquam enim, quod nulli tunc *unciales* Solidi *pro communi uſu* ex auro ſignati fuerint, evidens eſt, Theodoricum ſcribere, *unciæ* appellationem accepiſſe non *Solidum* unum, ſed *Senarium*, ſcilicet Solidorum uſualium, numerum. Seni quippe Solidi, ut ſupra ex Iſidoro retulimus, ponderabant, & valebant unciam auri, unde & *Sextulas* vocare placuit, ſenariumque numerum antiquitas credebat perfectum, quo tempore invaluerat opinio, hanc

---

a) Diſſ. de Num. infer. ævi N. XC. Adjungitur hæc diſſertatio ad ejusd. Gloſſarium mediæ, & infimæ Latinitatis.

b) Vid. Novell. L. I. Tit. XXV.

c) Apud Caſſiodorum L. I. Variorum, in Epiſtola ad Boëthium de juſto pond. obſervando.

d) De pond. & monet. rat.

hanc mundi fabricam, quemadmodum sex dierum intervallo condita fuit, ita sex, & non amplius, annorum millibus duraturam *a*).

Post collapsum Occidentis Imperium, Orientis Imperatores jus feriundæ *aureæ monetæ* sibi solis arrogabant, usumque aureorum, qui nomine, & effigie Principis exteri essent signati, suis populis vetabant. Quamobrem demptis Byzantinis alios Numos aureos ex illa ætate non facile reperies. Ipsi Gothici, & Gallici aurei summæ sunt raritatis. Cusos tamen fuisse nonnullos ex his Procopii verbis *Lib. III. de bello Gothico cap.* 33. intelligas. „Numos cudunt ex auro gallico, non Imperatoris, ut fieri solet, sed sua impressos effigie." Vocabulum *Solidi* pro communi moneta aurea Latini Occidentales compluribus retinuere Sæculis, utut aliæ etiam eodem sensu adhibitæ fuerint aureorum Byzantinorum appellationes, ex. c. *Byzantius*, *Hyperpirus* cet. & ex nominibus Imperantium, puta: Romanatus, Michaelatus, Manuelatus cet. Quæ tamen ad ævum posterius pertinent. Formas, typos, epigraphas Solidorum, de quibus nunc egimus, vide P. II. Catal. Mus. Cæs. & apud Bandurium, hujusque continuatorem Taninium.

§. XL.

De re monetali Francorum, Pannoniam Seculo IX. possidentium.

Franci orientales, Germaniæ populus, qui devictis, imperante Carolo Magno Avaribus, Pannonias ab anno 798. ad 899. tenuerunt, in re sua monetali duum generum *Solidos* numerabant, alterum nempe denariis quadraginta, alterum vero duodenis definitum. Utriusque mentionem facit Lex Caroli M. in Capitularibus Francorum his verbis: *b*) „Ut omnis solutio, atque compositio inter Francos per duodecim denariorum Solidos componatur, excepto, ubi contentio inter

---

a) Vid. Lactantius L. VII. Isidorus Orig. L. VI. Rabbi Helias L. Sanhedrim Cap. Helech. cet.

b) Baluzii T. I. Tit. XXXVI. Cap. 24.

ter Saxones, & Frisiones exorta fuerit, ibi volumus, ut quadraginta denariorum quantitatem Solidus habeat, quam vel Saxo, vel Frisio ad partem Salici Franci cum eo litigantis solvere debet."

Solidum 12. denariorum jam a Pipino Rege apud Francos institutum fuisse, prodit Synodus Remensis Capitulo XL. quod sic sonat: „Ut Dominus Imperator secundum statutum bonae memoriae Pipini misericordiam faciat, ne Solidi, qui in lege habentur, per XL. denarios discurrant, quoniam propter eos multa perjuria, multaque falsa testimonia reperiuntur." Patet vero ex utraque Lege, Solidos Francorum, quibus mulctae persolvebantur, non tam fuisse Numos aut aureos, aut argenteos majoris moduli, quam summas quasdam denariorum usualium, per legem, aut consuetudinem determinatas. Erat quoque Solidus pars vicesima librae veteris gallicae, a Carolo M. ut creditur, institutae, quam vetus Agrimensor hunc in modum describit: „Juxta gallos vigesima pars unciae denarius est, & duodecim denarii Solidum reddunt, ideoque juxta numerum denariorum tres unciae quinque Solidos complent, sic & quinque Solidi tres uncias reddunt, nam duodecim unciae libram, *viginti Solidos* continentem, efficiunt. Sed veteres Solidum, qui nunc aureus dicitur, nuncupabant."

Praeter *Solidos*, ac *denarios* in antiqua Francorum pecunia memorantur etiam *tremisses*, aliter *tremissi*, ac *tresses* dicti, nec non barbarum vocabulum *Saiga* pro denario. Lex Alemannorum *Tit. I. Cap. VI.* §. 3. haec vocabula sic exponit: „*Saiga* autem est quarta pars tremissis, hoc est, denarius unus - - - Tremissus est tertia pars Solidi, & sunt denarii quatuor." Carolus Calvus Cap. XI. Edicti Pistensis sanxit, ut in denariis novae suae monetae ex una parte nomen suum regium exprimeretur circa monogramma ejusdem nominis, ex altera vero nomen civitatis, & in medio crux. Quem typum quanam ratione primi Hungariae Reges in suis denariis imitati

postea

postea fuerint, suo videbimus loco. Edicto Caroli M. vetitum aliquamdiu fuit, ne moneta publica alibi, quam ad *Curtem*, sive in *Palatio* Regis, unde *palatini denarii* appellati sunt, feriretur. Ab hac tamen lege haud multo post discedere placuit, & monetales officinas in pluribus ditionum Francicarum civitatibus erigere. Nam Capitulum XII. Edicti Pistensis paullo ante memorati sic sonat: „Sequentes consuetudinem prædecessorum nostrorum — — constituimus, ut in nullo alio loco in omni Regno nostro moneta fiat, nisi in palatio nostro, & in Quentovico, ac Rotomago, quæ moneta ad Quentovicum ex antiqua consuetudine pertinet, & in Remis, & in Senonis, & in Parisio, & in Aurelianis, & in Cavillone, & in Metullo, & in Narbona. “

Denarius *merus*, & *bene pensans* dictus est, qui puri erat argenti, justique ponderis, vicesimam nempe unciæ partem adpendens. Si constaret, unciam libræ Carolingicæ pondus idem, quod est in uncia hodiernæ libræ Vindobonensis, habuisse, facili calculo erueremus, argentum *denarii* veteris Francici valuisse hodiernos 9. cruciferos, sive, 15. denarios hungaricos. Mich. *Schmidt* denarium ævi Carolingici æstimat $9\frac{1}{2}$ xf. spectato argenti pretio intrinseco *a*). Sed forte utraque hæc æstimatio justo major est, nam verisimile est, unciam illius ævi nostra leviorem aliquantisper fuisse, adeoque & denarium Carolingicum, partem dictæ unciæ vicesimam, pretii paullo minoris. Rationem auri ad argentum fuisse ut 1. ad 12. Capitulo XXIV. Edicti Pistensis edocemur, quod hujus est tenoris: „Ut in omni regno nostro non amplius vendatur libra auri purissime cocti, nisi duodecim libris de novis, & meris denariis. “ Eadem ratio duodecupla eruitur, si valor auri libræ cum valore argenti libræ comparetur. Libram

a) Geschichte der Deutschen T. I. p. 525.

bram enim *auri* efficiebant 72. Solidi, 40. denariorum ſinguli; unde ſequitur, auri libram 2880. denariis argenti æſtimatam, libram vero *argenti* conſtituebant 20. Solidi per 12. denarios computati, id eſt; Summa denariorum 240. tantum; qui utique numerus in priore duodecies continetur.

Weregildi vocabulo mulcta pecuniaria, aut alia huic æquivalens intelligenda eſt. „Siquis Weregildum, ait Lex Ripuariorum, *a*) ſolvere debet, bovem cornutam, videntem, & ſanam pro duobus Solidis tribuat, Spatum cum Scogilo pro ſeptem Solidis — — absque Scogilo pro tribus. — — Quod ſi cum argento ſolvere contigerit, pro Solido duodecim denarios, ſicut antiquitus conſtitutum eſt.“ Aliæ leges in Capitularibus Francorum pro Saxonibus latæ, bovem unum Solido 40. denariorum æſtimant. Modius avenæ, illa ætate forenſe pretium habuit denarium unum, hordei duos, ſecalis, vulgo ſiliginis tres, tritici quatuor denarios, teſte Synodo Francofurtenſi *b*).

Ceterum monetas Francicas, ſive germanicas Sæculi IX. non facile hodie in Pannoniis reperias, ſuntque in ipſa quoque Germania rariſſimæ; forte, quod Byzantinorum numorum, præcipue aureorum, communis in his terris uſus etiamnum permiſſus fuerit, qui in Hungaria haud infrequenter hodieque cum ceteris antiquioribus monetis effodiuntur. Quicquid ſit, commemorandæ tamen erant Conſtitutiones monetales Regum Stirpis Carolingicæ, quia nullum eſſe dubium poteſt, quin hæ pertinuerint ad Pannoniam quoque, utpote horum Regum provinciam usque ad ann. Chr. 900. quo eam Hungari, Arpado Duce, Iſtrum transgreſſi, Germanis, quorum tunc Rex Arnulphus erat, eripuerunt, ſibique in perpetuum vendicarunt, & no-

a) Tit. XXXIII. de interfectorib. Cap. XI.

b) Apud. Heinecc. Cap. 2. p. 588.

& novam non minus in hujus regionis hiſtoria, quam re monetali epocham condiderunt, reliquarum argumentum Diſſertationum. Quibus tamen pro coronide primæ hujus Diſſertationis præmittimus brevem, ac ſuccinctam notitiam duplicis theſauri antiqui, proximis abhinc annis in Hungaria detecti, quam omnibus antiquorum monumentorum cum alibi, tum præcipue in hoc terrarum tractu inventorum curioſis, gratam, acceptamque fore confidimus.

CAPUT SEXTUM.

De duobus antiquis Theſauris, nuper in Hungaria inventis.

§. XLI.

Deſcriptio veteris Theſauri, in Comitatu Kraſznenſi effoſſi.

Theſauros veteres, quos nunc deſcripturus ſum, partim Budæ in Camera Regia, partim Peſtini apud Exc. D. Baronem Ladislaum ab ORCZY Excelſæ Cameræ Regiæ Hungarico-Aulicæ Vice-Præſidem depoſitos, anteaquam hinc Vindobonam ad Cæſaream gazam transmitterentur, vidi, et, quantum per adjuncta rerum, ac perſonarum licuit, contemplatus fui, ſimulque in adverſaria mea retuli.

Priorem in Kraſznenſi Hungariæ provincia, Tranſylvaniæ contermina, ſupra montem Maguram, oppido Somlyo adſitum, fortuito ab ovium paſtoribus effoſſum, Paulus *Peterſzky* Salis Perceptor in oppido nunc laudato, Principum Bathoreorum ſede quondam natali, Budam ad Exc. Cameram Regiam tranſmiſit, cum indice rerum inventarum ſequente:

„Verzeichnis des untern 3. Aug. 1797. zu Szilágyi Somlyó an Magura Berg durch 2. Gaiſzhütters Buben Bokor Simon,

und Bocsko Péter gefundenen, und zufolge hohen Kameral Verordnung ddto. 13. Septembr. 1797. Nro. 12758. durch das K. Somloer Salz-Amt den 20. Septembr. a. c. an das K. Zahl-Amt zu Ofen abgeschickten Goldschatzes, als

N. 1. Ein Goldstück mit der Umschrift; D. N. Valens P. F. AVG.)(Gloria Romanorum. Unten: AN. pond. 23. Loth, 2. drachm.

2. Detto, mit der Umschrift: Fl. Jul. Constantius Nob. Cæs.)(Gaudium Romanorum. Unten: MCONS. p. 14. Loth, 2. drachm.

3. — DN. Valens Max. Aug.)(DN. Valens Victor semper Aug. p. 12. Loth, 2. drachm.

4. — DN. Valens P. F. Aug.)(Gloria Romanorum. Unten: AN. p. 12. Loth, 2. drachm.

5. — DN. Gratianus P. F. Aug. Gloria Romanorum. Unten: TROBS. p. 3. Loth, 1. drachm. 1. den.

6. — DN. Valens P. F. Aug.)(Pietas DDD. NNN. Augustorum: Unten: TESOB. p. 3. Loth, 3. drach. 1. den.

7. Sicut in præcedente. pond. 3. Loth.

8. — DN. Valens Max. Aug.)(Gloria Romanorum. Unten: ROMA. p. 2. Loth, 3. drachm.

9. — Constantius)(Gloria Romanorum. p. 2. Loth, 1. drach. 2. den.

10. Sicut N. 8. pond. 1. Loth, 2. drachm. 2. den.

11. — Constantinus Max. Aug.)(Constantini Aug. p. 1. Loth, 2. drachm.

12. — DN. Valentinianus P. F. Aug.)(Victoria DN. Augusti. Unten: TESOB. p. 2. Loth.

13. — Maximianus Aug.)(Cons. III. PP. Procos. p. 1. Loth, 2. drachm.

14. Goldſtuck ohne Umſchrift mit Edelſteiner geziert, pond. 6. drachm. 2. den.

15. — Goldſtuck mit Umſchrift: Aur. Val. Maximianus P. F. Aug. mit Steiner rund umgefaſt. Unten: unlesbar. p. 3. Loth.

16. Eine goldene Ketten mit Anhang eines unkennbaren runden Steines, und 51. ſtücklein verſchiedener kleinen Anhängen von Werkzeuge. pond. 1. Pfund, 8. Loth, 2. drachm. 2. den.

17. — 24. Stück von kleinen hohlen Goldringen. p. ſimul 8. Loth.

18. — Ein Goldſchlängel mit 2. Augenſteiner. Item: ein Stuck Prözel, und ein Stuck Gold - Blech mit Figuren pond. 2. Loth, 1. drach.

Alles im Gewicht 4. Pfund, 14. Loth, 3. drachm. und 1. den.

Hæc ex Mſpto D. Pauli Peterſzky, mihi communicato, propere deſcripta.

Theſaurus hic menſe Octobri, anno ſupra ſcripto, Buda Viennam translatus fuit ad Muſeum Cæſareum, cui tunc præerat Celeberrimus Abb. Joſephus Eckhel, qui ſine mora præſtantiora hujus Theſauri Numismata in Volumine VIII. Doctrinæ Numorum veterum recenſuit, pollicitus pag. 82. ſe has recentes Muſei Cæſarei opes cum eruditis proxime communicaturum. Sed, proh dolor! eodem quo hæc ſcripſit, anno 1798. vitam cum morte commutavit.

Quæ vero ipſemet de hoc theſauro connotavi, & memoriæ cauſa in adverſaria retuli, hæc ſunt:

Primum de Numis aureis ordine chronologico; *Maximiani Herculei.*

MAXIMIANVS AVGVSTVS. Caput laureatum.

COS. III. PP. PROCOS. Imperator eques habitu pacificatoris. Appendit fere 6. aureos hung.

Alius

Alius ejusdem aureus gemmis rubris in peripheria ornatus. AVREL. VAL. MAXIMIANVS P. F. AVG. Caput laureatum. Aversam in Scheda mea non reperio. Coram me ponderatus æquabat 15. aureos hung.

Constantini Magni.

CONSTANTINVS. MAX. AVG. Caput laureatum.

CONSTANTINI AVG. Duæ Victoriæ stantes lauream simul tenent, cui inscriptum: VOT. XXX. infra: T. pond. fere 8. aur. hung. Describitur idem Vol. VIII. Doctr. Num. p. 82.

Constantii Junioris, qua Cæsaris.

FL. IVL. CONSTANTIVS NOB. CÆS. Protome laureata Constantii, dextra hastam tenentis, læva clypeum, cui insculptus Imperator eques, præcedente Victoria, irruensque hasta protensa in barbaros supplices, quibus adstat turba militum.

GAVDIVM ROMANORVM. Vir paludatus, altiorque stans d. hastam tenet, ejusque capiti manus, superne promicans e nube, coronam imponit. A sinistris adstat vir alter eodem cultu, sed minor, quem Victoria coronat. A dextris tertius eodem cultu, sed præcedente minor, quem stans juxta figura galeata amplectitur. In imo Numismatis segmento: MCONS. *pond.* 74. *aur. hung.* Et hunc reperies apud Eckhel *l. cit. p.* 114.

Aurea hæc maximi moduli moneta prodiit ex Officina Constantinopolitana, uti subscriptio MCONS. indicat. Tres figuræ partis aversæ exhibent Constantii Cæsaris patrem Constantinum Magnum cum aliis duobus filiis suis, Constantino juniore, & Constante.

Ejusdem Constantii jam Augusti.

FL. IVL. CONSTANTIVS P. F. AVG. Caput diadematum cum margaritis.

GLORIA ROMANORVM. Mulier sedens d. Victoriolam, s. hastam, pede proræ navis imposito. pond. 12¼ aur. hung.

Alius

Alius ſimilis, ſed pondere tantum 5¾ aur. hung. quem & Eckhel Doctr. Num. Vol. VIII. p. 116. recenſet.

Valentiniani Senioris.

DN. VALENTINIANVS P. F. AVG. Caput diadematum.

VICTORIA DN. AVGVSTI. Victoria ſedens cum adſtante puero alato tenet clypeum, cui inſcriptum: VOT. V. MVLT. X. infra: TESOB. id eſt: *Theſſalonicæ Officina ſecunda.* pond. 10. aur. hung.

Valentis Auguſti.

DN. VALENS P. F. AVG. Protome diademata cum margaritis.

GLORIA ROMANORVM. Imperator, capite nimbato, togatus in equo lente incedente, cui occurrit mulier ſtolata, & quaſi turrita (ob tres radios ex capite prominentes) dextra tenet extremam cinguli partem ad pedes defluam, ſiniſtra facem ardentem. In inferiore Numismatis ſegmento Mulier ſupina humi jacens dextra tunicam in ſinum colligit, læva, ut videtur, cornucopiæ gerit. Juxta illam hinc A inde N. ſiglæ Antiochenam indicantes officinam monetalem. Adpendit 118½ aureos hungaricos, eſtque hoc Numisma ex omnibus antiquis aureis, hactenus detectis, maximum.

Alius ejusdem Valentis aureus.

DN. VALENS P. F. AVG. Protome diademata cum margaritis, dextra vacua elevata, ſiniſtra globum tenens.

Averſa hujus Numismatis easdem habet figuras, quæ ſunt in præcedente. *pond.* 63. *aur. hung.* refertur & in Doctr. Num. l. cit. p. 153. Col. 2.

Tertius ejusdem Valentis aureus.

DN. VALENS MAX. AVGVSTVS. Protome diademata cum margaritis, d. elata, s. globum, cui Victoriola inſiſtit.

Parte averſa, Epigraphe: DN. VALENS VICTOR SEMPER AVG. Imperator capite nimbato, Sexigis adverſis vectus d.

elata,

elata, s. globum tenet, advolantibus utrinque Victoriis, quæ coronam eidem offerunt. In imo: Literæ R. M. inter quas varia minuta ſigilla. *pond.* 62. *aur. hung.* Vid. ibid. p. 152.

Quartus ejusdem aureus.

DN. VALENS MAX. AVG. Caput diadematum cum margaritis.

GLORIA ROMANORVM. Mulier ſedens in throno, dextra tenet globum, cui inſiſtit Victoriola, ſiniſtra haſtam gerit, dextrumque pedem proræ navis imponit. Infra: ROMA. *pond.* 14. *aur. hung.*

Alius ſimilis $8\frac{1}{2}$ aureorum hung. Ibid. p. 154. Col. 2.

Quintus aureus ejusdem Valentis.

DN. VALENS P. F. AVG. Protome diademata, d. elata, s. globum.

PIETAS DDD. NNN. AVGVSTORVM. Tres figuræ paludatæ ſtantes, haſtam dextra, & ſiniſtra clypeum tenentes, quorum altior eſt nimbatus, qui ei ad lævam adſtat, aliquanto minor, atque iſto rurſus minor alius, qui ad dextram conſiſtit, ſine nimbo uterque. In imo: TESOB. *pond.* $19\frac{3}{4}$ *aur. hung.*

Aliud Numisma ſimile, ſed pond. 15. aur. hung. Vide utrumque deſcriptum cit. Doctr. Num. Vol. VIII. p. 154. & ſeq.

Tres figuræ in averſa repræſentant tres Auguſtos, quos Valens in Imperio conſortes habuit, nempe Valentinianum Seniorem ab anno 364. ad 376. Gratianum ab anno 367. & Valentinianum juniorem poſt ſenioris obitum anno 376. Interitus Valentis, Gothico bello cæſi, pertinet ad menſem Auguſtum anni 378.

Gratiani Auguſti.

DN. GRATIANVS P. F. AVG. Caput diadematum cum margaritis, circa quod XV. capita humana.

GLORIA ROMANORVM. Roma galeata ſedens in throno d. globum, s. haſtam. Infra: TROBS. id eſt: *Treviris in Officina*

ſecunda

secunda signatum Numisma. Alii interpraetantur: *Treviris obsignatum. pond. 16¾ aur. hung.*

Numismatis hujus descriptionem vide etiam *Doctr. Num. Vol. VIII. p. 159. Col. 2.*

Omnia haec Numismata ex illorum sunt genere, quae Augusti partim suis Ducibus in praemium fidei, ac virtutis dare, partim Barbaris Principibus, quorum amicitiam optabant, per legatos suos dono mittere solebant, una cum pretiosis torquibus aureis. Qui ad hunc, de quo agimus, thesaurum pertinet, miri operis, ac formae singularis est. Contorquetur in duos velut circulos oblongos, quorum inferior adpensum habet lapidem pretiosum, globi non mediocris figura, auro inclusum. Topazium quidam, rectius alii crystallum montanam esse credebant. Uterque vero circulus pendentibus undequaque varii generis instrumentis, quorum usus est in vita humana, ex puro auro, exigua forma, fabrefactis, quasi quibusdam insignibus ornatur. Labor est quarti aerae Christianae Saeculi; adpendit libram & 8. semuncias, binasque circiter drachmas ponderis Viennensis. Provincia Krasznensis, in qua hic thesaurus effossus est, pars quondam fuit Daciae Trajanae, sed quam Saeculo IV. Gothi, & his sub Valentis Imperio in Thraciam expulsis, Hunni possederunt. Verisimile est, insignem adeo thesaurum Gothici cujusdam eorum temporum Principis fuisse, conflatum ex muneribus non modo, quae sibi, verum etiam quae suis Majoribus Imperatores Romani inde a Maximiano Herculeo usque ad Gratianum Aug. pacis conservandae causa submiserunt. Defossum fuisse, ne Hunnis praeda fieret, credibile est.

§. XLII.

Alterius Thesauri, in Comitatu Torontaliensi recens effossi, descriptio.

Sequens thesaurus antiquus, qui cistae ferreae inclusus fortuita effossione in vinea quadam Oppidi Szent-Miklos, ad Comita-

tum Torontalienſem ſpectantis, ex terra anno 1799. emerſit, complectitur varii generis vaſa aurea, quorum aliqua ornantur anaglyphis mythologicis. Hæc primum, dein reliqua recenſebo, quæ non quidem ſumma cum exactitudine (omnia enim Vindobonam brevi expedienda, breviſſimo dumtaxat tempore, inter multos alios ſpectatores, contemplari, & opere quaſi tumultuario connotare poteram) ſic tamen ex ipſis, quæ oculis manibusque contrectavi, archetypis deſcripſeram, ut rerum antiquarum curioſi vel hac mea relatione, donec uberior illorum, in Tabulis æneis depingendorum, notitia nobis a doctiſſimo Muſei Cæſarei Vindobonenſis Præfecto communicetur, utcunque contenti eſſe valeant. Ad rem igitur:

I. In Amphora aurea, operis antiqui, ſat elegantis, intra ſpatia circulis clauſa figuræ ſunt ſequentes: 1) Vir equo inſidens galeatus loricatus dextro humero vexillum defert, ſiniſtra manu hoſtem crinibus prehendit. Ex equo, cui idem vir inſidet, in latere pendet caput humanum. 2) Avis aurita expanſis alis, & cauda, unguibus ſtringens, ferensque mulierem nudam, quæ manibus ſupra caput elevatis dextra unum, ſiniſtra alterum ramum pentafolium tenet. 3) Rex barbatus coronatus inſidens animali quadrupedi alato coronato, habenti vultum viri barbati, arcu intenſo emittit ſagittam in adverſum Leonem erectum, invadenti ſimilem. 4) Gryphus cervo proſtrato inſiſtens.

II. Alia ex auro puro Amphora, in qua 1) Avis aurita expanſis alis, & cauda, rapiens mulierem nudam, quæ dextra elevata porrigit in patera eidem monſtroſæ Avi eſcam, vel potum. 2) Altera ejusdem figuræ Avis intra frutices volans, rapiensque mulierem nudam, quæ dextra elevata ramum tenet. 3) Idem repetitur in tertio amphoræ latere. 4. Aliquot figuræ humanæ coronatæ inſidentes quadrupedibus animalibus, humano vultu barbato præditis, alatisque. 5) In collo ejusdem amphoræ, ſive urcei aurei, proſtant tres Grues inter arbuſculas.

III.

III. Aurea ſcutella, in cujus fundo crux æquilatera ſtipitibus latis, quorum extremitates quaſi in tria folia abeunt: circa crucem exſculptam perigraphe introcuſa characteribus græco-barbaris, quales fere apud Montfaucon in Palæographia græca Codices Sæculi circiter ſeptimi præſeferunt, quamque ſic legi: ΜΑΔΙΛΟΝ ΕΑΥΑΤΟC ΑΝΑΠΑΥCΟΝ ΔΩCIC. initio & in fine monogramma. Vocabulum poſtremum *Doſis* donum ſignificat. Senſus forte eſt: Madilon, hoc te refocillet donum.

IV. Alia itidem ex auro ſcutella, in cujus externa ſuperficie exſculptus Pegaſus bovem conculcans. Intus vero hæc epigraphe characteribus græcis paullo melioribus ac in priore; ✛ΒΟΥΛΑ ΖΟΑΠΑΝ. ΤΕCΗ. ΔΥΓΕ. ΤΟΙΓΗ. ΒΟΥ. ΤΑΟΥΛ. ΖΩΑΠΑΝ. ΤΑΓΡΟΓΗΤΖΙΓΗ ΤΑΙCΗ. Vocabulum ΒΟΥΛΑ veriſimiliter abruptum pro ΒΟΥΛΑΦΟΡΟΣ. quod Conſiliarium ſignificat: ΖΟΑΠΑΝ & ΖΩΑΠΑΝ, indubie *Zupan* eſt, nomen dignitatis apud Bulgaros, Servios, nonnullosque alios Slavici generis populos, legiturque apud Conſtantinum Porphyrogenitum *Lib. de Adm. Imp.* ΤΑΟΥΛ. pro ΤΑΥΛΙΟΝ Latine *Stabulum.* In reliquis forte propria intelligi debent nomina, & *Zupanis*, & Præfecti Stabuli Zupanis, qui aureum hoc Vas Domino ſuo fieri fecit, ac obtulit.

V. Aurea patera referens conchæ figuram, in qua inter binos gryphes duæ pantheræ lauream cum palmæ ramo ſimul tenent. Ex characteribus in peripheria præter ✛ DN. reliqui mihi ſunt illegibiles.

VI. Diſcus aureus perforatus absque figuris, apparent tamen in eo characteres ignoti, quaſi Scripturæ cujusdam arcanæ.

VII. Cornu aureum forma tubuli conici. Epigraphe barbara.

VIII. Urceolus aureus, in cujus baſi itidem inſcriptio græcobarbara, quaſi ΕΛΕΟΥ ΚΟΤΥΛΗ. Olei Cotyla, ſeu vaſculum concavum.

IX. Alius ſimilis urceolus ex auro, cui tenuiſſimi characteres inciſi hoc modo $\frac{M8}{M09}$.

X. Aurea ſcutella grypho exſculpto inſignis, nullis literarum veſtigiis.

XI. Item aliud vaſculum anepigraphum, cujus anſa caput bovis inflexum præſefert.

Alia 12. circiter auri fruſta, in quibus nihil peculiari obſervatione dignum reperi.

Univerſus hic theſaurus pondus habuit 35. marcarum, 7. ſemunciarum, & 3. drachm.

Ex inſcriptione vaſculi N. IV. deſcripti veriſimile eſt, hujus theſauri poſſeſſorem fuiſſe Principem quemdam Bulgarorum, qui ante Hungarorum adventum tenuerunt provinciam, quam Banatum dicimus, & cujus pars eſt Comitatus Torontalienſis, in quo hæc, ut ſupra diximus, fortuito effoſſa ſunt.

Ex prædis, & ex donis hunc etiam theſaurum coaluiſſe arbitror. Non omnia vaſcula unius, ejusdemque ſunt ætatis, ſed alia aliis antiquiora, quemadmodum ex anaglyphorum labore vario, & ex characteribus inſcriptionum colligere licet.

Sed hæc hactenus. Ad alteram de re Numaria Hungariæ Diſſertationem progrediamur.



HUNGARICAE
REI NUMARIAE
PARS ALTERA.

SIVE

DISSERTATIO SECUNDA
DE RE NUMARIA HUNGARORUM SUB DUCIBUS, AC REGIBUS PERIODI PRIMAE
ab Anno Christi 900. ad 1301.

INTRODUCTIO.

Gentem Hungaram, quæ ex veteri patria sua ne proprium quidem Numi vocabulum secum attulisse videtur, *a*) proprios jam antea habuisse Numos, quam in Europam commigraverit, novasque in Dacia, ac Pannonia sedes fixerit, ab omni procul est verisimilitudine. At neque ullum extat vestigium monetæ, quam Arpadus, ceterive Duces Hungarorum, Sæculo X. his in terris feriundam curassent. Ponderibus tamen auri, & argenti, facti, infectique, ac hujus cau-

sa

a) Nam hungaricum *Pénz*, Numum, & in genere pecuniam significans, recentius est, suamque debet originem latino medii ævi vocabulo *Pensa*, perinde, ac Slavicum *Penjaz*, & Anglicum *Pence*, immo, & germanicum *Pfenning*.

ſa Numis etiam vicinorum populorum, byzantinis, germanicis, italicis, bohemicis Hungaros jam tum uſos fuiſſe, Annales domeſtici juxta, ac exteri, palam faciunt. Novimus, Hungaros victores annuum auri tributum a Germaniæ Regibus exegiſſe, & Italiam, aliasque provincias pecuniæ cauſa continuis vexaſſe incurſionibus. Caſſinenſes, ut in eorum Chronicis ad ann. 938. refertur, *a*) dederunt Hungaris pro redemptione captivorum: „pocula argentea tria penſo libræ „ unius. Tarenos X. *b*) Planetam diarrodinam de Byzanteis XI. *c*) „ aliam planetam cum liſtis argenteis de Byzenteis XVI. cet.“ Hugo, Rex Italiæ datis, teſte Luitprando *d*) decem numorum modiis, & aliis decem modiis Berengarius perſuaſit Toxi, Hungarorum Duci, ut Italia excederet. Byzantini quoque magnis muneribus pacem cum Hungaris in quinquennium compoſuerunt. Bohuslaus Balbinus præterea ſcribit ad ann. 953. Hungaros, Moravis junctos, Zdiarenſes Bohemiæ fodinas, & alia metallorum loca occupaſſe, decemque amplius annis retinuiſſe. „ Argenti, inquit, Bohemici fama invitati Moravi, & Moravis juncti Hunni, tantis agminibus in Bohemiam ab anno 953. ire cœperunt, ut Boleslaus Princeps nuperis bellis attritus non poſſet obſiſtere, ſuisque ſe munitionibus clauderet. Brevi poſt Zdiarenſes argenti fodinas hoſtes occupavere, dein ad Czaslaviam caſtello quodam exſtructo, omnia per eam viciniam metallorum loca habuerint in poteſtate, progreſſi tandem ad Pragam longius, cæſo Bohemorum exercitu; *Fejérvár*, quaſi urbem albam dicas, ædificarunt, rurſus Zvikoſtio, Boleslai Duce, in

a) Apud Muratorium T. III. Script. Ital. p. 328.

b) *Tarenus* moneta aurea Apulorum, & Siculorum. Vid. Ducangii Gloſſar. hoc vocab.

c) *Diarrodinam*, id eſt, roſei coloris. *Byzanteus*, idem qui Byzantius, vel Byzantinus aureus.

d) Hiſt. Lib. V. Cap. 8. & Cap. 15.

in acie cæſo, exercituque diſſipato, *Belvár*, ſeu *Welvár*, civitatem ad Slanam condidere. Poſt hæc inclinari Hunnorum in Bohemia fortuna cœpit; victus acie ab ipſo Boleslao Gicham Hunnorum Ductor. *Welvárum* occupatum eſt. Stratagema Boleslai nobile, quo in cæcas foſſas, a ſe primo in prælii loco factas, Hunnorum equitatum inſequentem præcipitavit, apud Dubravium narratur. Longum eſſet, quæ in noſtris annalibus de Boleslai victoriis leguntur, memorare. Satis eſt dicere: maximo facto ſanguine, & multis præliis, vix tandem aliquando poſt decem, & plures annos, exactos e Bohemia advenas Ungaros, & ipſa demum Moravia expulſos," *a*)

Amiſſis argenti fodinis in Bohemia, veriſimile eſt, Principes Hungarorum haud multo poſt animum adjeciſſe ad alias propriis in terris quærendas, & aperiendas. Factum id eſſe vel ex hoc arguere licet, quod regnante primo Rege, divo Stephano, *Brecislaus* Moravorum Dux, poſt victoriam de Polonis reportatam captivos in Hungariam, *ad effodienda metalla* venditos, transmiſerit *b*). Et vero ipſa etiam incunabula ſignatæ apud Hungaros monetæ argenteæ, non, ut quidam faciunt, BELAE Primo, ſed jam STEPHANO Primo tribuenda ſunt. Habemus enim hodieque ſuperſtites hujus Regis denarios, a quibus hungaricorum primæ Periodi Numorum ſeries inchoat. Complectitur hæc Periodus Numos ſub Regibus Stirpis Arpadianæ in Hungaria ſignatos, adeoque trium facile Sæculorum, ſcilicet XI^mi^. XII. ac XIII^tii^, non tamen fere alios, quam argenteos, hosque tenues tantum, parvosque, utut duplicis moduli, quorum alii vocabantur *denarii* ſimpliciter, alii *denarii parvi*, parvuli, vel *obuli*, patriove idiomate *Filér* dicti, quod priorum eſſent dimidii. Aureos Hungaricos ex prima hac Periodo ne quæras. Nulli

ſunt;

a) Epit. rer. Bohem. Lib. 3. p. 163.

b) Vid Balbinus cit. Epit. L. 3. Cap. 1. p. 126. Belius T. IV. Nov. Hung p. 569.

ſunt; quicquid aliud opponant nonnulli recentiorum Scriptorum; nullæ quoque majoris moduli monetæ argenteæ, quales in ſecunda, ac præcipue tertia Regum Periodo ſignabantur, unciales, ſemunciales, cet. Neque id mirum: mos enim erat illius ævi rudis, ac barbari, non in Hungaria dumtaxat, verum communiter apud omnes per Europam receptus, ut domi ſolummodo parvæ ex argento monetæ, ſolidæ, aut bracteatæ quotidianis populi uſibus neceſſariæ, cuderentur, major vero pecunia conſtaret ponderibus auri argentique rudis, non ſignati, libero præterea byzantinorum ſolidorum, ubi horum copia ſuppetebat, uſu permiſſo, uti & florentinorum, ſeu florenorum auri, poſtquam hi circa annum 1252. in Italia ſignari cœperunt. Ad hæc: paucitatem numorum, durante prima Periodo ſignatorum, ſublevabant aliæ quædam monetarum exterarum, puta: germanicarum, bohemicarum, & italicarum ſpecies, quas Regum permiſſu acceptare fas erat, quarumque numerus haud contemnendus etiamnum apud nos erui ſolet. Quamobrem, ubi rationem hungaricæ rei monetalis, huic Periodo propriam, uberius exponemus, illic de iſto etiam pecuniæ genere tantisper agendum erit.

Nunc præmittimus ipſorum, qui ex illa ætate ſuperſunt, Numorum deſcriptionem, variis illuſtratam animadverſionibus. In Tabulis æneis proponuntur ectypa ex originalibus deprompta, quibus conſideratis facile patebit ſingularum monetarum forma exterior, & magnitudo, characteres inſcriptionum varii ſub diverſis regibus, & qualecunque demum figurarum Numis impreſſarum artificium. Aſpectus hic Numorum, ab origine ad noſtram usque ætatem in Hungaria ſignatorum, atque ſerie continua, eaque chronologica, iſthic depictorum multos, ut opinor, præcipue rerum patriarum curioſos, & oblectabit, & erudiet.

CAPUT

CAPUT PRIMUM

Numi Regum Sæculi XI. descripti, & illustrati.

§. I.

Denarii argentei S. STEPHANI Regis ab Anno 1000. *ad* 1038.

1. + STEPHANVS REX. Crux, & quatuor triangula, intra corollam. *Tab.* I.

+ REGIA CIVITAS. Crux & 4. triang. intra circulum. *Univ. Pestiens.* *N.* 6.

2. Alii similes, sed in quibusdam REGA pro REGIA. *C. Festetics.* *N.* 7.

3. In alio simili CIVISTVS pro CIVITAS. *ibidem.* *N.* 8.

4. Antica uti N. 1. in aversa: + REGIIA CIVISTVS. *Sic.* Crux cum duplici stipite transverso, & sex triangula, intra circulum oblongum. *Ibidem.* *N.* 9.

Licet in prima Periodo quinque Reges Hungariæ nomen commune *Stephani* gesserint, præsentes tamen denarios ad *Stephanum* hujus nominis *Primum* pertinere, persuadet modulus, forma, typus, illis, quos denarii proximorum Regum, Petri, Samuelis, & Andreæ I. offerunt, simillimus, ab aliis vero Sæculi XII. ac XIII. quibus reliqui *Stephani* Regno Hungariæ præfuerunt, plane diversus. In eadem sunt sententia, quicunque idgenus denariorum meminere, scilicet Mathias *Belius*, a) Godefridus *Schwartzius*, b) RR. Stephanus

a) De vet. Lit. Hunno Scyth. Sect. 3. §. 8.
b) Diss. de Numo Samuelis Abæ. §. 18.

nus *Katona a)*. Unicus fere est Joh. Frid. *Joachim*, *b*) qui subdubitat, an non argenteæ hæ monetæ ad posteriorem *Stephanum* referri debeant, propterea quod nonnulli Scriptores Hungari originem argenteæ monetæ Hungaricæ ad tempora *Belæ I.* Stephano I. posterioris, differant. Quorum quidem Scriptorum, ætate longe posteriorum, nulla jam hodie de hac origine auctoritas est post detectos non *Stephani* modo, verum etiam aliorum, *Bela Primo* anteriorum Regum, denarios hungaricos.

Epigraphe REGIA CIVITAS locum signatæ monetæ *Albam regalem* indicat, utpote quam & Chartuitius, illorum temporum proximus, eodem fere modo appellat, hæc de *S. Stephano* scribens: ,,In ipsa *Regiæ Sedis Civitate*, quam *Albam* vocant, Basilicam condidit — — Corpus *ad Urbem Regiam*, puta *Albam*, perductum.“ Qua inscriptione non minus, ac signo crucis in medio denariorum suorum expresso, imitatus est divus Rex Stephanus consuetudinem Principum Germaniæ a Carolo Calvo introductam, ac longo tempore observatam, qui Capitulo XI. Edicti Pistensis præcepit, ut in denariis novæ suæ monetæ ex una parte nomen suum exprimeretur in gyro, & in medio monogramma ejusdem nominis, ex altera vero parte nomen civitatis, & in medio crux. Præcipue vero ad Bavaricas sui temporis monetas respexisse, ac forte Monetarios etiam ex Bavaria, sibi ceteroquin per Giselam Conjugem maxime amica, accivisse videtur. Tanta est certe inter Stephaneos, quos nunc descripsimus, & Bavaricos ejusdem ævi denarios argenteos, per Joh. Frid. *Joachim T. I. des Groschen Cabinets* p. 563. *seqq.* editos, similitudo, ut id non ex vano conjectare liceat. In Bavaricis nempe Sæculi X. & XI. monetis argenteis, eandem formam, & magnitudinem habentibus, quæ est in hungaricis primi Regis, parte una perinde

a) Hist. Pragm. Hung. P. I. Diss. X. §. 2.

b) Libro: Das neueröfnete Münz Cabinet I. Th. p. 332.

perinde nomen Ducis legitur circa crucem in medio circuli effictam, adjectis pariter ad angulos crucis quibusdam signis, globulorum, vel circellorum, nonnunquam etiam triangulorum, formas referentibus, parte autem altera fere constans est perigraphe: REGINA CIVITAS (vetus *Ratisbonæ* nomen a præterfluente amne REGEN). In medio autem exhibetur frontispicium templi, cui crux insistit. Forma characterum est eadem fere, quæ in monetis *S. Stephani*; & sunt in Bavaricis quoque non absimiles Monetariorum errores, ut REGNA, vel)EGNA, CIVA, vel RCICNV. CIVTVS, quales interdum in nostris Stephaneis observari, supra monuimus. Ceterum Denarii Hungarici primorum Regum nostrorum per hoc potissimum sese distinguunt a Germanicis, quod utraque in parte crucem habeant pro typo principe, eamque non latam, verum ex duabus dumtaxat lineis sese in centro circuli ad angulum rectum intersecantibus, atque ad peripheriam usque ejusdem circuli productis, factam, per quam spatium circulo clausum quadrifariam, seu in quatuor areolas divisum est, & in qualibet areola signum quodpiam, exiguo triangulo simile, apparet, cum in Germanicis, ut modo dictum est, unicam dumtaxat monetæ partem in medio crux occupet, in altera vero parte principem typum vel monogramma, vel templi effigies constituat.

Denarius divi Stephani primo hic descriptus loco, & *Tab. I. N. 6.* delineatus exhibet speciem quamdam crucis duplicatæ, vulgo patriarchalis, ob unum crucis stipitem conjunctum cruculæ, quæ inter initium, & finem perigraphes ceteroquin pro more illius ævi exprimi solet. Hanc forte Godefr. *Schwarzius* vidit formam crucis geminæ in denariis primorum Hungariæ Regum, sic scribens: „Vidi numulos argenteos Stephani, Andreæ, Belæ, Ladislai, geminæ crucis imagine notatos, quos Stephani Sancti Sæculum attingere, variis haud difficulter probari posset rationibus.“ Certe aliam

illam geminæ crucis figuram, quæ reipſa in altero Sancti Stephani denario *Tab. I. N. 9.* intra circulum expreſſa proponitur, vix ille viderit, immo non vidiſſe affirmare auſim. Eſt enim typus hic in denariis divi Stephani rariſſimus, neque, quod ſciam, in monetis ſeu Andreæ, ſeu Belæ, aut Ladislai unquam viſus.

§. II.

De Numo aureo S. STEPHANI Regis, qui in Muſeo Ser. Ducis Saxo-Gothani adſervatur.

Numum aureum bracteatum divi Regis STEPHANI, quem in Cæſareo Muſeo Vindobonenſi extitiſſe narravit *Moſerus*, *a*) non aliud eſſe, quam *Heræi* figmentum, oſtendit Daniel *Cornides* in Epiſtola exegetica ad Ganoczium p. 136. ſeq. Verum extat alius aureus, non bracteatus, ſed ſolidus hujus inſcriptionis ac typi:

+ STEPHANVS REX. Protome Regis coronati, nimbatique, dextra pectori admota, paludamento humeris ſuperjecto.

+ PANNONIA. Protome Reginæ ſtolatæ, coronatæ, manibus vacuis ante pectus compoſitis, nimbo caput ambiente. *Aur.*

Tab. I. N. 10. *Muſei Duc. Saxo-Goth.* Vid. hic Tab. I. N. 10.

Meminit aurei hujus Numiſmatis Godefr. *Schwarzius* in ſua de Samuele Rege Hung. Diſſ. p. 53. his verbis: „Numus, quem in regii apparatus Numophylacio Gothano vidi, — — — ex auro puro conflatus, numum noſtrum aureum quarta parte excedens, in diſco antico ſpectandum exhibet buſtum Regis coronati, globum regium in dextra tenentis, cujus præterea caput circulus ambit, cum perigraphe: STEPHANVS REX. In parte poſtica buſtum feminæ potius,

a) Vid. Joh. Peter von Ludvig Einleitung zu den deutſchen Münzweſen mitlerer Zeiten, p. 67. Not. 15. Ulm 1752.

potius, quam viri, coronatæ, circulo pariter quoad caput circumdatæ, manibus infra pectus complicatis, cum perigraphe: PANONIA pro PANNONIA. De quo rarissimo monumento dispiciant doctiores."

Consultus a me D. Jul. Car. SCHLAEGER, Musei ac Bibliothecæ Saxo-Gothanæ Director, ea fuit humanitate, ut hoc Numisma, illico summa fide, & accuratione depictum, mihi transmittens, binas ad me dederit literas, In his, quæ Gotha die 15. Nov. 1783. datæ sunt, omnes hujus monumenti peristases, simulque suum de illo judicium aperit hunc in modum: „Numismatis, inquit, descriptio, quam Reverendus Schwarzius cum republica literaria communicavit, tantum abest, ut veritati omni ex parte sit consentanea, ut potius binos, eosque sic satis graves contineat errores. Alter commissus est circa numuli materiam, quam non esse obryzum, quo nomine artis periti aurum designant excoctum, vel primo aspectu, oculis etiam fugitivis patefacit color helvinus, seu luteolus, quippe qui præsentiam argenti, larga admixti manu, apertissime manifestat. Ut tibi eo certiora de substantia, nec non de pondere numismatis referrem, in consilium vocavi virum, qui judex in hac causa sedere potest, nempe Serenissimi Heri mei argyrognomonem. Hoc magistro didici, numum quidem quarta parte hodiernis aureis hungaricis esse ponderosiorem, sed auro constare viliore etiam illo, quo in excudendis florenis aureis mei utuntur concives, quodque octodecim solummodo est caratorum. In alterum errorem Schwarzium abripuit tuberculus, in medio D. Stephani apparens pectore, imminensque extremis manus dextræ digitis, quippe quem pomum imperiale reputavit, licet perexiguæ, hujus nempe, quam adpingo [•] sit magnitudinis, adeoque punctum potius Grammaticorum repræsentet, quam memoratum majestatis insigne, quod designare eo minus potest, quoniam crucis, unde globi crucigeri

accepit nomen, nec vola appareat, nec veſtigium ullum. Ego tuberculum monetarii culpa adeſſe arbitratus, in transmiſſa nuper numuli delineatione nolui exprimere. Ceterum non longe abſum, quin perſuaſum habeam, numulum noſtrum reponi poſſe neque inter æs circumforaneum, ſive monetas uſuales, neque inter Numismata mnemonica, ſed ex eorum eſſe genere, qui vulgo appellantur nunc amuleta, nunc phylacteria. Perducor in hanc ſententiam partim viliore, quo conſtat, auro, partim binis, quos ſiſtit, Sanctis, in quorum clientela cum tuis popularibus vivis, hinc nempe divo Stephano, indeque diva Maria Deipara, verum antiquorum more, absque Ieſulo adumbrata."

Schlægeri igitur judicio, Aureus hic, de quo agimus, Numus ætatem primi Regis Hungariæ nequaquam ſapit. Idem ſentit *Cornideſius* hac præcipue de cauſa, quod in hoc Numismate caput Regis nimbo, ſanctitatis indice, circumdatur. Neque enim, inquit, *a*) par eſt credere divum Regem ſemetipſum in vita adhuc ad inſtar Sancti effigiaturum fuiſſe." RR. vero *Katona* arbitratur, hoc Numisma ſub Carolo Roberto, vel aliquo ejus ſucceſſore procuſum fuiſſe, ad eum, ait, *b*) modum, quo in ſecunda Regum Periodo complures aureos effigie Sancti Ladislai ſignatos habemus. *Schlægerus*, ut jam ex ejus epiſtola intelleximus, pro antiquo amuleto potius vel phylacterio, quam pro moneta, vel Numo mnemonico eum fuiſſe ſignatum cenſet. Sed veriſimilius apparet, aureum hunc Numum ex officina cujusdam impoſtoris, quales Sæculum præcipue XVI[tum] multos tulit, prodiviſſe. Tuberculum, quod in medio conſpicitur, indicium eſt improbæ fuſionis. Aurum vilius lucri majoris cauſa adhibi-

a) Genealog. Reg. Hung. Sæculi XI. p. 83. & Epiſt. ad Ganotzi reſp. p. 138.

b) Hiſt. Reg. Hung. T. II. p. 173. ſeq.

hibitum; Effigies Sancti Stephani, & Giselæ Reginæ (hanc enim, utut sanctæ instar adumbratam, potius quam Deiparam Virginem in hoc Numo repræsentari autumo) magis affabre, quam ut Sæculo XI. conveniat, exsculptæ, & character inscriptionum non illi ætati respondens, imposturam redolere videntur. Epigraphen + PANNONIA callidus artifex mutuatus est ex denariis argenteis proximorum S. Stephano Regum, & modulum ipsum, ut incautos facilius falleret, maluit byzantinis, quam florenis aureis accommodare. Quo & nimbus capiti tam Regis, quam Reginæ circumdatus pertinet, nam & Principes Byzantini in nonnullis aureis suis inveniuntur nimbati, ut notarunt, Ludewigius, in vita Justiniani Aug. p. 672. Not. 1113. Ducangius Diss. de Num. infer. ævi Num. XV. Eckhelius in Catal. Musei Cæs. variis locis, & Doctr. Num. Vol. VII.

Ne autem Gothanum hunc aureum pro mnemonico, sub initium secundæ Regum Periodi, signato, habeam, hæc faciunt: primum, quia ex Numis infra describendis patebit, Numismata mnemonica apud Hungaros non prius occurrere, quam sub finem Periodi Secundæ. Deinde, quia, si hic aureus in memoriam, ac venerationem Sancti Stephani Regis, & Virginis Deiparæ procusus fuisset, tam Stephanus titulum *Sancti* in antica Numi haberet, quam & parte aversa non hæc sola epigraphe + PANNONIA. sed præter hanc, vel hujus potius loco, legeretur SANCTA MARIA. In communibus aureis hungaricis Periodi Secundæ, imagine Sancti Ladislai Regis insignitis, nunquam nomen *Ladislai* sine præfixo titulo *Sancti* legitur, utut non desit etiam circa Regis caput circulus, sive nimbus, Sanctitatis index: & in altera Numi aurei parte nunquam omittitur nomen alterius, qui aureum illum signari jusserat, Regis. Unde patet Gothanum Sancti Stephani aureum nequaquam conferri posse cum aureis hungaricis effigie Sancti Ladislai signatis. At neque idem præsefert formam amuleti, aut phylacterii cujuspiam

sive

ſive ex illo genere, quæ ſuperſtitioſe ad arcendos morbos geſtabantur, ſive ex alio a ſuperſtitione immuni. Prioris quippe generis phylacteria conſiſtebant partim in faſciis, vulgo ligaturis variis, partim in myſticis quibusdam figuris, vel characteribus, & inſolitis inſcriptionibus; quæ ab Eccleſia Orthodoxa ſemper improbata, ac damnata fuiſſe conſtat ex variis Conciliorum, ac Pontificum Romanorum Conſtitutionibus, non minus quam ex Codice Theodoſiano, & Capitularibus Francorum. Altera vero non aliud erant, quam thecæ, in quibus Chriſtiani ſalvificæ crucis, vel Sanctorum reliquias, memoriæ, ac venerationis cauſa, condebant. Hoc ſenſu phylacteriorum cum laude meminerunt Gregorius M. Lib. XII. Epiſt. 7. Theophanes p. 375. Chronicon Virdunenſe p. 167. cet. Vid. Ducangii Gloſſar. Vocab. *Phylacteria.* Quamobrem cum aureus Gothanus nec perforatus, nec anſula pro geſtamine inſtructus, nec intus ita cavus ſit, ut ſacra quæpiam Lipſana continere potuerit, non video, quanam ratione in phylacteriorum, vel amuletorum numero, uti doctiſſimus Schlægerus voluit, habendus eſſet. Ex auro viliore, & imaginibus Sanctorum nullum duci poteſt argumentum. Hæc enim non ſunt amuletorum, aut phylacteriorum ſic propria, ut non etiam in monetis tam genuinis, ac ſinceris, quam confictis interdum reperiantur.

§. III.

De Luckiano S. STEPHANI Numo argenteo.

Tab. I. N. 11. Quem *Tab. I. N.* 11. ſiſtimus Numum argenteum æri inciſum, qui ſic habet: SANCTVS STEPHANVS. Caput Regis barbati, diademate, ex duplici unionum ſerie facto, revinctum, cum lorica ad pectus.

ALEMA-

ALEMANIA. Crux æquilatera ſtipitibus latis, & quatuor globuli ad ejusdem crucis angulos. Omnia in circulo. *E Muſeo Luckii apud Mart. Schædelium a)*. Vid. Tab. I. N. 11. *Tab. I. N.* 11.

Numulum hunc, utut in Germania percuſſum, quemadmodum inſcriptio averſæ partis indicat, Schædelius tamen cum Berneggero Magiſtro ſuo ad Sanctum Stephanum Hungariæ regem pertinere arbitratur. Effigies enim cum perigraphe SANCTVS STEPHANVS in hoc Numo expreſſa non Levitam Protomartyrem Stephanum, ſed Regem hujus nominis exhibere videtur, diadematum, loricatum, habitu Imperatorum ævi Conſtantiniani, ac Theodoſiani. Quia tamen perigraphe capitis hujus ad nomen *Sancti Stephani* non addit *Regis* titulum, & averſæ partis inſcriptio eſt *Alemania*, opinor, non Regem Hungarum, ſed Levitam protomartyrem, tutelarem nonnullarum Germaniæ urbium Sanctum intelligi oportere. Superſunt complures hodieque Metenſium, & Noviomagi, liberarum quondam Imperii Romano-Germanici Civitatum monetæ aureæ, & argenteæ parte una nomen & effigiem Sancti Stephani Protomartyris exhibentes, *b)* verum, ut fatear, habitu longe diverſo. Sunt, qui Luckianum Muſeum, unde Berneggerus Numum hoc loco deſcriptum acceperat, ſpuriis mercibus abundaſſe referant.

§. IV.

Denarii PETRI Regis, qui anno 1038. *coronatus*, 1040. *exauctoratus*, 1044. *reſtitutus*; 1047. *oculis privatus*, *deceſſit*.

+ PETRVS REX. Crux, & 4. triangula intra corollam.

+ PAN-

a) Disquiſ. hiſt. pol. de Regno Hung.

b) Vid. Du Val Monnoies en Or et en Argent du Cabinet de ſa Majeſté l' Empereur cet.

✠ PANNONIA. Similis crux cum totidem triangulis intra circulum. *Univ. Pest.* Vid. Tab. I. N. 12.

Tab. I. N. 12. Alii similes, sed in quibus PETVS errore incisoris. *C. Georgius Festetics.* Vid. *Tab. I. N.* 13.

N. 13. *Pannoniam* Numis primorum Hungariæ Regum inscriptam Schwarzius interpretatur Hungariam *a*). Felmerus locum percussæ monetæ eundem, qui in S. Stephani denariis *Regia Civitas* dicitur. *b*) Alii villam, cui nomen *Pannonia* fuerit, in provincia Jaurinensi infra montem S. Martini sitam. Fit hujus villæ mentio, sed subobscura, in Literis fundationalibus Abbatiæ, & Monasterii Benedictinorum S. Martini his verbis: *in monte supra Pannoniam.* Clarior vero ejusdem memoria in diplomate S. Ladislai, per Andream II. transumpto, ubi sic legitur: *primum prædium est Pannonia, ubi Monasterium est c*).

§. V.

Denarii SAMVHELIS Abæ ab anno 1041. *ad* 1044.

✠ REX SAMVHEL. Crux, & 4. triang. intra corollam.

✠ PANONEIA. *Sic.* Eadem Crux, & 4. triang. intra circulum. *Univ. Pest. & alibi.* Tab. I. N. 14.

Tab. I. N. 14. Denarium hujus inscriptionis ac typi Hanovius cum Discipulo Godefrido Vogt retulit ad *Samuelem* non Hungarum, sed Bulgarum *d*). Errorem dedocuit Schwarzius, *e*) prælucente Anonymo

---

a) Diss. de Numo Samuhelis.

b) Apud Joachim Münz Cabinet P. II. Suppl. p. 328.

c) Vid. Nic. Schmidt P. I. Episc. Agr. p. 131. & Katona T. II. Reg. Hung. p. 641.

d) In Dissertatione, cui titulus: „Samuelem Regem Pannoniæ speciminis dialectici loco e Numo argenteo exhibitum, Præside M. Mich. Christ. Hanovio cet. tuebitur Gabr. Gotfried Vogt. cet. Gedani 1749.

e) Diss. de Samuhele Rege Ung. Lemgoviæ 1761.

mo Belæ Regis Notario, *a*) ostenditque *Samuhelem* Pannonici hujus denarii non alium esse, quam *Obam* Notario, ceteris vero Scriptoribus rerum hungaricarum vulgo *Abam* nuncupatum. Nempe *Oba*, seu *Aba* fuit antiquius, idque gentile, *Samuel* autem recentius, & ex pietate, dum sacro lustratus fonte paganis ritibus renunciasset, adsumptum nomen Principis hungari, divo Regi Stephano affinitate juncti, & in Regno post exauctoratum Petrum successoris. Sic enim intelligendus est laudatus Belæ Notarius in sua de VII. Ducibus Hung. historia Cap. XXXII. hæc scribens: „*Tunc dux Arpad, in silva Matra dedit terram magnam Edunec, & Edumernec, ubi postea Pota nepos eorum castrum construxit, ex quorum etiam progenie longo post tempore rex SAMVEL descendit, qui pro sua pietate OBA vocabatur.*" Relativum *qui* hoc loco est auferendi casu pro *quomodo*. Sic enim tollitur ambiguitas dictionis, neque est necesse cum Schwarzio, & Cornidesio adserere, *Samuelem* Regem, de quo nobis est sermo, propter suam erga subditos pietatem vocatum fuisse a populo *Obam*, *Abam*, seu *Apam*, id est, *Patrem*: id quod ceteroquin testimoniis aliorum Scriptorum, ipso Belæ Notario antiquiorum, adversatur quam maxime, qui uno quasi ore omnes *Abam* Hungariæ Regem crudelitatis incusant, magisque, ut Tyrannum, quam Patrem suorum depingunt. Sed ad Numum revertamur. SAMVHEL cum adspiratione in eo legitur; OBA vel ABA nunquam. Ex adverso Scriptores antiqui, præter Belæ Notarium, nemo alius inter primos Hungariæ Reges nominat *Samuelem*, sed hujus loco est apud Hungaros Chronographos *Oba*, vel *Aba*, apud exteros autem *Uban*, *Urban*, *Ovo*. In postica Numi Samuhelis parte scriptum est PANONEIA, indubie pro *Pannonia*, vitione Incisoris, an alia de causa? incertum.

Extat

a) Cap. 32. de Ducib. Hung.

Extat in Museo R. Univ. Pest. Numisma, in memoriam recuperatæ Budæ signatum, cum hac lepida inscriptione: QVEN A REGE QVO DICTVM: LEOPOLDI ARMIS ADDICTVM. Anno 1686. 2. SEPT. Quod esse potest argumento, quam pronum sit ineptire, adfinitatibus vocabulorum abutendo.

§. VI.

Denarii ANDREÆ I. Reg. ab anno 1046. *ad* 1060.

Tab. I. N. 15. 1. ✠ REX ANDREAS. Crux linearis & 4. triang. intra corollam.

✠ REGIA CIVITAS. Similis crux cum totidem triang. intra circulum. *R. Univ. Pest.*

N. 16. 2. ✠ REX ANDREAS. Crux intra circulum, ex pluribus quasi radiis divergentibus formata in medio habens circellum: ambiente Numi limbum fascia.

✠ PANONEIA. Crux linearis, cujus stipites in medio circellus, seu anulus jungit, & 4. triangula in totidem areolis. Omnia intra circulum. *Ibidem.*

His similes denarios *Andreæ I.* Regis Hungariæ ediderat *Joachim* quoque in opere, cui titulus: *Das neu eröfnete Münz Cabinet: P. I. Tab. XXXIV. b. n.* 5. *& p.* 333. Item alius quidam Auctor Dresdensis similes vidit in Museo Ser. Electoris Saxoniæ, ediditque in Supplemento II. ad Syllogen Grossorum (des neu eröfneten Groschen Cabinets Zweites Supplement). In uno ab Joachim edito legitur ANDRIAS mendose.

Dubitabam aliquando, an non alter horum denariorum potius ad *Secundum*, quam ad *Primum Andream* referri deberet, immo an non recentioris esset fabricæ ob quædam ornamenta, quæ in aliis primorum Regum nostrorum denariis non reperiuntur. Sed,

postea-

posteaquam inter argenteas Sæculi XI. monetas, quæ anno 1781. in agro villæ *Felsalu* Comitatus Gömöriensis fortuito effossæ erant, utriusque hujus generis denarios *Andreæ* Regis inventos accepi, de antiquitate simul, & eorum sinceritate desii dubitare. Dedi autem operam, ut omnia inventionis nunc memoratæ adjuncta resciscerem ex eodem, qui pro veteri amicitia non modo primus hac de re ad me perscripserat, verum etiam ex qualibet inventorum specie unum alterumve Numum ad me trasmiserat. Erat is Joannes *Miller*, Presbyter quondam S. I. apostolicis missionibus clarus, haud ita pridem rebus humanis exemptus. Postrema ejusdem epistola ex pago *Harkáts* Provinciæ Gömöriensis, die 16. Novembr. anno 1782. in hoc negotio ad me data, hujus est tenoris: „Ex inventis, & submissis alias Numis nullus hic amplius superest. De quibus hoc referre, scio, nuperna occasione me tibi misisse ex omni specie aliquos, nec memini ullum hos inter *Andrea I.* posteriorem fuisse. Ad hæc, Numi hi æstate anni præteriti fuere inventi in agro possessionis *Felsalu*, dum Parens rusticus agrum, recenter a dumeto, & truncis arborum exustis purgatum subararet. Filius enim aratrum secutus, observavit primus in sulcis vomere factis apparere numulos. Substiterunt, eodemque in loco non profunde infra terram absque ullo vasculo plures, & plures invenerunt, una cum quibusdam annulis, aut potius ansulis argenteis, prout veteres Hungari in chlamydibus pendulis gestare solebant ex ejusmodi circulis confectas catenas. Ad rumorem inventorum numorum concurrerunt Zingari vicini, & pastores, ex quibus quidam decem, viginti numos alii plus minus se in eodem loco in terra, inter pulveres, cribris etiam percolatos, invenisse retulerunt. Facta est ibidem, quam ipsemet vidi, fossa profundior, sed nihil amplius est inventum. In hoc loco stabat olim Tilia jam ambusta, quam Rusticus jam antea radicitus evulsam applicuit pro limite agri sui extirpatitii, atque ita fieri poterat, ut illo jam Sæ-

culo,

culo, ad quod hi Numi pertinent, hanc pecuniam aliquis tempore belli ſub radice hujus Tiliæ abſconderit. Numos iſtos (ducentis vix plures fuerint) Domina quædam a Ruſticis redemit, atque Eccleſiæ Harkácsienſi pro Calice donavit. Quorum partem aliquam cum tu ſeptem florenis commutaveris, gratum accidit Eccleſiæ, & Domino Parocho „ — Numi, quos commutaveram, fuerunt partim Hungarici, partim Bohemici, & Moravici. Ex hungaricis nulli erant alii præter denarios argenteos, nominibus Regum *Stephani*, *Samuhelis*, & *Andreæ*, typisque prorſus talibus, quales hactenus iſthic deſcripſimus, inſignitos; ex Bohemicis vero, & Moravicis poſtremum ætate obſervavi denarium argenteum *Wratislai* Ducis Moraviæ, procul dubio ejus, qui *Andreæ I.* Hungariæ Regis gener fuerat. In antica hujus denarii legitur diſtincte WRATISLAVS DVX. circa figuram Ducis cum vexillo ſtantis rudiſſima cælatura. In averſa: S. PETRVS. & effigies S. Petri pectore tenus, eadem artis ruditate. Atque hæc ſunt, quæ pro antiquitate, & ſinceritate duorum, diverſi generis denariorum, *Andreæ Primo* adſcriptorum viſum eſt adnotare.

Obſervari præterea velim, ſolum hucusque eſſe *Andream I.* in cujus denariis variat averſæ inſcriptio. Nec enim Sancti Stephani Regis denarius adhuc repertus eſt cum inſcriptione PANNONIA, vel PANONEIA, & neque ſeu *Petri*, ſeu *Samuelis* denarium ejusmodi habemus, in cujus parte averſa legeretur REGIA CIVITAS.

§. VII.

Denarii BELAE I. qua Ducis primum, dein qua Regis ab Anno 1060. *ad* 1063.

Tab. I. N. 17. 1. + BELA DVX. Crux intra corollam, & ad oppoſitos crucis angulos aliæ binæ cruculæ, ad tertium vero angulum apparet exiguum triangulum.

+ PANNO-

+ PANNONIA. Crux & 4. triangula intra circulum. *C. Georg. Festetics.*

Similem alium denarium possidet *R. Univ. Pest.* in hoc tamen diversum, quod ad angulos crucis in circulo exsculptæ non tam cruculæ, quam lunulæ observentur. In utroque autem denario typus aversæ aberrat a medio. Animadverti præterea potest forma crucis quasi duplicatæ in utraque horum numulorum facie, quod non alia, quam compendii causa factum esse videtur. Cum enim ceteroquin ad initium Perigraphes præponenda fuerit crucula, Incisor stipitem unum crucis majoris, in medio circuli expressæ, produxit ultra peripheriam, additaque prope extremitatem lineola transversa simul novam effinxit cruculam, simulque crucem majorem, patriarchalis instar, gemino stipite transverso formavit. Consilio, an casu id factum fuerit, non discepto: sed solummodo id affirmo, crucem patriarchalem, quam Sylvester II. Pontifex Romanus cum corona divo Regi Stephano transmisit, nondum Sæculo XI. immo nec XII. tamquam regni Insigne in monetis, vel sigillis communiter, & lege quasi recepta, fuisse adhibitam.

2. + BELA DVX. Crux, & alternæ ad crucis angulos duos cruculæ, reliquis angulis vacuis. Omnia intra corollam.

+ DANNONIA. *Sic.* Crux, & 4. triangula intra circulum. *Arg. den. perforatus Musei Klimoniani Quinque Ecclesiensis.* *Tab. I. N. 18.*

Si verum est, *Belam I.* erepto Andreæ, & Salomoni Regno, sese non amplius Ducem, sed Regem nuncupasse, oportet hos denarios, in quibus *Ducis* titulum habet, signatos fuisse ab anno 1050. ad 1058. Nam isto dumtaxat temporis intervallo *Belæ* Duci, ex Polonia cum liberis suis revocato, bene convenerat cum fratre suo Andrea Rege, qui tertiam illi cessit Regni sui partem, eundemque antea, quam sibi *Salomon* filius nasceretur, quasi Regni consortem habuit, sibique successorem designavit. Cujus rei evi-

dens

dens habemus argumentum in privilegiis id temporis datis, quibus Rex *Andreas* cum fratre suo *Adalberto* (hoc erat *Belæ I.* nomen in baptismo acceptum) subscriptus legitur. Vid. *Pray* Annal. Reg. Hung. P. I. p. 60.

Tab. I. N. 19. 3. + BELA REX. Crux & bini globuli intra corollam.

Epigraphes loco vestigia introcusa aliquot literarum. Crux in medio circuli, & lacinia quædam quasi temere facta, cedente infra typarium bracteola argenti signanda. *Arg. C. Festetics.*

Alius denarius argenteus apud Excell. Comitem Franciscum SZÉCSÉNY, melius conservatus, in cujus aversa est epigraphe. + PANNONIA. Typus autem utriusque partis idem, qui in denariis *S. Stephani* esse solet.

Alter hic *Belæ* Regis denarius, mihi non visus, e Catalogo solum Musei *Szécsényiani* nuper mihi innotuit. Quatuor Hungariæ Reges in prima Periodo *Belæ* nomen gesserunt, ex quibus priores tres nullo vocabulo, vel numero suis in monetis, quoti essent, indicant, sed præsentes Numos ad *Belam I.* pertinere, manifestum est ex ipsa eorum forma, typoque primis Regibus nostris, qui Sæculo XI. floruerunt, in ipsorum monetis proprio. Id nihilominus mirum est, in superstite *Belæ Primi* moneta nihil omnino tale occurrere, ex quo illum rei monetalis hungaricæ instauratorem fuisse existimare possis, quam tamen laudem illi tribuit Joannes de Thurocz *P. II. Chron. Hung. Cap. XLV.* hisce verbis: „Bela, inquit, vocatus Benin — — — tenuit regnum pacifice, sine molestatione hominum, & quæsivit bona gentis suæ. Inter cetera siquidem peritiæ suæ argumenta, fecit fabricari Numos magnæ monetæ ex purissimo argento. — — — Argenteos etiam denarios, ut supra dictum est, cudi fecit, quorum quadraginta Byzantius censeretur.“

Hac Thuroczii narratione inducti posteriores quidam Auctores arbitrati sunt Regem hunc non instauratorem, sed primum

signatæ

ſignatæ apud Hungaros monetæ argenteæ auctorem fuiſſe. In quem errorem lapſi ſunt non modo Michael *Siglerus* in ſua Chronologia ad ann. 1060. verum etiam doctiſſimi Præſules *Moſoczius*, & *Telegdius*, Decretorum, quæ Corpus Juris Hungarici conſtituunt, compilatores, ac editores. In hoc enim Opere hæc inter cetera ſcribunt: Bela Primus, frater Andreæ, ubi Regni habenas, fratre e medio ſublato, conſecutus eſt, primus ex argento puro puſtulato pecuniam cudi fecit, ad morem aliarum gentium. Quod a vero alienum eſſe, poſt inventos Regum Belam antecedentium argenteos denarios, nemo eſt hodie, qui non videat. De Numis etiam *magnæ monetæ*, quos idem Chronographus Belam I. fabricari feciſſe ſcribit, non ſic intelligendum eſt, quaſi hoc loco ſermo foret de Numis majoris cujuſpiam moduli, quam tunc fuerint communes *denarii hungarici*; quod quidem ipſemet eodem Chronicorum Capite Thuroczius non obſcure declarat, hæc verba ſubjungendo: *argenteos etiam denarios, ut ſupra ſriptum eſt, cudi fecit, quorum quadraginta Byzantius cenſeretur.* Quo igitur, inquies, ſenſu ſcripſerat *Numos magnæ monetæ*, ſi non alii, quam communes denarii erant? quia nempe haud multo poſt Belam tempore cœperunt in Hungaria ſignari longe minores Numi, communium videlicet denariorum dimidii, quales iſthic Tab. I. N. 24. aliisque compluribus, etiam Tabulæ II. Numeris, exhibentur. Itaque ut hi *parva*, ita illi *magna moneta* dici potuere. Daniel quidem *Cornides* in ſua Epiſtola exegetica ad RR. Ant. *Ganotzi* p. 30. & ſeqq. poſtquam variis documentis oſtendiſſet nullos omnino magni moduli numos tempore Belæ I. in uſu fuiſſe, in eam demum inclinabat ſententiam, ut crederet eo Chronici Thuroczianí loco irrepſiſſe mendum Librarii, ſcriptumque fuiſſe ſolummodo per incuriam, Numos *magnæ*, pro *parvæ* monetæ. Quam tamen conjecturam interpretatio nunc propoſita, opinor, facit ſuperfluam, ac inanem.

§. VIII.

Denarii arg. SALOMONIS Regis ab Anno 1063. *ad* 1074.

1. + REX SALOMON. Protome adversa Regis coronati, dextra ritu benedicentis elevata, sinistra crucem, an globum crucigerum? tenentis, typo rudissimo.

+ PANONIA, in medio Numi literis incisis. Typus nul-

Tab. I. lus. *C. Festetics.* Vid. Tab. I. N. 20.

N. 20. 2. + SALONONIS RE. *Sic.* Protome, ut in præcedentis antica.

+ DANONIA. *Sic.* in medio Numi, ut in aversa præced.

N. 21. Nullus typus. *Univ. Pest.* Vid. Tab. I. N. 21.

3. SALOMONI RE+ Stans Rex coronatus paludatus ambabus manibus elevatis, & expansis, in area hinc & illinc incerta quædam signa. Opere omnia rudi, ac horrido.

PANNONIA. *Sed literis confusis.* Typus in medio duplicatus consuetæ in circulo crucis, & cruculæ supra positæ ad initium perigraphes, cedente, ut videtur, argentea numuli signandi bractea

Tab. I. infra marculum, quo signabatur. *Argent. perforatus Musei Quinque*

N. 22. *Eccl.* Vid. Tab. I. N. 22.

4. Vix legibile nomen SALOMONIS, ob literas partim inversas, partim non integre expressas. In medio effigies Regis stantis eodem habitu, gestuque, uti in denario præcedente.

In aversa parte rursus confusa perigraphe, PANNONENI. literis informibus pro PANNONIA vel PANONEIA. Crux, &

N. 23. 4. triangula intra circulum. *C. Festetics.* Vid. Tab. I. N. 23.

Nunc primum in monetis hungaricis effigies Regis occurrit. Nemini autem Regum Hungariæ magis, ac Salomoni conveniebat, ut in suis Numis coronatus, regioque amictus apparatu adumbraretur. Ternis enim vicibus sacra Regni corona vertici illius

fuit

fuit solenniter imposita; bis videlicet in civitate Alba-Regali, tertium vero Quinque Ecclesiis. Qua de re vide Joan. de *Thurocz* Chronic. Hung. *P. II. Cap.* 41. *&.* 47.

In prioribus *binis* denariis Salomon Rex pomum crucigerum, Regni insigne, gestare videtur, dextramque attollit erectis tribus digitis, ritu benedicentis, an potius jurantis, se regnaturum secundum præscripta legum.

In *tertio* Numo idem Salomon effingitur elevatis, expansisque manibus ambabus, qui apud veteres Christianos orantium ritus erat.

Numulo *quarto* similem edidit Frid. *Joachim* (in dem neu eröfneten Münz Cabinet P. II. p. 21.) sed, quia ob epigraphen, Literis partim inversis, partim extra seriem retrusis, deformatam, non *Salomonis*, sed *S. Ladislai* monetam esse arbitratus est, idcirco imaginem ibidem non Regis, sed Virginis illius, quam a S. Ladislao e manibus militis Cumani ereptam *Bonfinius* Dec. II. Rer. Hung. Lib. III. narrat, videre sibi visus est. Hujus quidem rei a divo Ladislao gestæ memoriam conservat Sigillum Comitatus Nitriensis, & iconem Sigilli editam habemus in Cerographia Hungariæ p. 142. Tab. III. N. XVIII. sed Sigillum re gesta longe posterius esse, ex artis Heraldicæ historia certum est. De Numo autem, qui reipsa est *Salomonis*, utut is permitteretur Sancti *Ladislai* esse, quisquamne sibi persuadeat, rudissimo illo rei monetalis ævo vel in mentem venire potuisse divo Regi, ut præclarum hoc facinus, priscorum Romanorum exemplo, monetæ suæ insculpi, atque sic ad posterorum memoriam transmitti juberet.

Animadvertendum est denique, *Salomonis* numos in prima Regum nostrorum Periodo esse postremos, in quibus parte altera nomen PANNONIA occurrit. Cœpit hæc epigraphe, ut vidimus, in *Petri* Regis denariis, & continuata est usque ad *Salomonem*. Con-

jectura Friderici *Joachimi* L. sup. cit. P. I. p. 333. *Pannoniam* pro Hungaria in denariis illo ævo signatis idcirco inscriptam fuisse, quod Rex *Petrus* exosum fecerit *Hungariæ* nomen, ab *Angaria* illud derivando. *Dictitabat* enim (uti Chronica Thurocziana P. II. Cap. XXXV. referunt) *hoc nomen Hungaria derivatum est ab angaria, & ipsi debent angariari.* Hæc, inquam, conjectura eo minus est vero similis, quo certius constat, *Pannoniæ* nomen uti ante *Petrum*, sic post hunc etiam idcirco ab Hungaris diu retentum fuisse, quod id vetustius, ac regionis, quam occuparunt, magis proprium videretur. Ceterum & regionis, & populi, qui eam incoluit, jam tum promiscua fuit appellatio, Pannoniæ, & Ungariæ, Pannoniorum, & Ungrorum, Ungariorum, Ungarorum, sæpe & Hunnorum, testibus documentis Sæculi XI. ac XII. Sed, an Pannonia in monetis hungaricis, ut provincia, vel potius ut civitas, aut villa, seu locus percussæ monetæ inscribatur? sub lite est, quemadmodum in animadversionibus nostris ad *Petri* Regis denarios notatum est.

§. IX.

Monetæ GEYSAE I. Regis, ab Anno 1074. *ad* 1077.

1. + CIEVSA RE. Crux formæ peculiaris in quadrato, quasi e duobus sceptris gemmatis, quorum extremitates in lilia desinunt, effícta. Litera A in Numulo situm habet inversum. Pars aversa nullam habet epigraphen. Sed in medio est crux cum quatuor globulis intra corollam: & extra hanc 4. lunulæ, & totidem stellulæ. *Arg. minimi moduli, seu obulus. C. Festetics.* Vid. Tab. I. N. 24.

Tab. I. N. 24. 2. Nulla epigraphe. Crux recruciata (sive cujus extremitates desinunt in alias minores cruculas) intra spatium quadratum. Omnia quasi e gemmis vel globulis composita. Præterea ad 4. angulos crucis sunt totidem globuli. In aversa iterum nulla inscriptio, sed

intra circulum granitum 4. cruculæ, & 5. globuli. *Obulus arg. Ibid.* Vid. Tab. I. N. 25. *Tab. I. N. 25.*

Alterum hunc numulum anepigraphum ideo solum ad *Geisam* refero, quod forma, typoque ad priorem accedat proxime. Illi, qui hic priore loco describitur, similem protulit & Weszprimius Centur. 2. Biogr. Medic. Hung. P. II. p. 226. ubi & alios GAIAZ inscriptos commemorat, & Regi *Geisæ Primo* tribuit. Quos tamen numulos, modo per Auctorem rite lecti sint, adjudicare *Geysæ Secundo* mallem. Immo & nostri, quos hic descripsimus, & edidimus, rectius forte ad *Secundum*, quam *Primum Geisam* referrentur, eo, quod minimi moduli sunt, quales primum sub Colomanno Sæculo XII. ineunte in Hungaria signari cœpisse videntur. Idem Biographus Medicorum Hung. *l. cit. p.* 229. *Fig.* 1. & 2. edidit binos alios numulos, quorum unus epigraphen habet parte antica: CEHANVS REX. postica LADLAVS REX. Alter autem inscriptus est, hinc GAITIHA REX. inde LADISLAVS REX. Sed neuter potest, mea quidem sententia, pertinere ad *Geisam Primum* vel hac sola de causa, quod in iis *Ladislaus* jam Regis titulum habet, quem non prius certe, quam ab obitu Geisæ primi, fratris sui, sumpserat. Itaque ad posteriores S. Ladislao Reges referri debent, quos paullo infra determinabimus. Id nihilominus fatendum est, *Geisæ* nomen in monumentis medii ævi mirum in modum sæpe depravari. In nostro numulo scribitur *Cieusa*, in literis Gregorii VII. appellatur *Geusa*. In excerptis e Chronico *Jordani* apud *Muratorium* T. IV. Antiquit. Ital. medii ævi p. 965. pro *Geisa* legitur *Zecha*, & alio errore huic tribuuntur, quæ ad *Belam* Geisæ patrem pertinent. Andreas vero *Dandulus* nomen quidem *Geisæ* rectius, male tamen & hic quoad res gestas *Geisam I.* cum *Bela I.* confudit hisce verbis: „Salomon tandem Rex a fratribus expellitur. Geisa autem regnavit. Tunc populus ille quasi fidem reliquit, postea rediit. Hic constituit omnia fora fieri Sabbato,

to, & Bisantia currere fecit.„ *a*) Biographus Medicorum Hungariæ complura alia depravati nominis *Geisæ* adducit exempla, *Czirbesio* suggerente; *b*) hujusmodi sunt: *Kautse Rex Ungarorum* in Necrologio Admontensi Col. 204. *Rex Deviæ* in Chronico S. Vincentii p. 75. &c. Similia collegit & Chrysostomus Hanthaler *T. I. Fastorum Campililiensium p.* 113. ex Chronicis Reichersbergensi, Leobiensi, & Lamberti Schafnaburgensis, hanc demum subjungens animadversionem: Scriptorum medii ævi, si Ungaros excipias, nullum esse, qui Salomonis æmulum *Geisam* appellet, sed vel *Joam*, vel *Jojadam*, vel *Jessen*, immo & *Lottschum*, aut *Lotiscum* &c. Quamquam de postremis vocabulis res non ita habet, his enim non *Geisam*, sed hujus fratrem *Ladislaum* designari, certum est. Quidam e recentioribus Scriptoribus patriis existimant hungaricum nomen *Geisæ* derivatum a *Győzöm*, *vinco*, idque illi gentile fuisse, quemadmodum Regi Samueli nomen gentile *Aba* fuit, lustratum autem sacro fonte *Geisam* aliud *Magni* accepisse. Atque istud quidem ex proprio Geisæ diplomate innotuit, quo Abbatia Sancti Benedicti juxta Granum fundata est, in hoc enim hæc leguntur verba: *Ego Magnus, qui & Geisa, Hungarorum dux, postea vero gratia Dei rex consecratus c*). Datum fuit diploma anno 1075. quo & primum coronatus fuit *Geisa*, etsi jam anno superiore a suis Regem proclamatum fuisse constet. A coronatione igitur *Geisæ* usque ad ejusdem obitum unus dumtaxat annus integer effluxit, & pauci insuper menses, nam obiit 25. Aprilis anno 1077. Quæ forte causa fuerit, cur hujus Regis monetæ rarissimæ sint hodie. Paucas enim in tam brevi Regno signaverit, immo, quia villa Pannonia,

---

a) Danduli Chronic. Parte X. Capitulo VII. Extat apud Muratorium T. XII. Script. Ital. Col. 244.

b) Biogr. Med. Cent. 2 P. II. p. 225. seq.

c) Vid. Steph. KATONA T. II. Reg. Hung. p. 282. & 366.

nia, in qua tunc monetæ hungaricæ fabrica erat, in poteſtate *Salomonis* manſit, ſubdubito, ſintne aliqui Numi Regis *Geiſæ I.* nomine procuſi? quippe, quos hoc loco recenſui, ſpectata, ut ſupra dixi, horum forma, & modulo exiguo, magis *Geiſæ* Secundo, quam *Primo* convenire videntur.

§. X.

Denarii arg. S. LADISLAI Regis ab Anno 1077. ad 1095.

1. LADISLAVS RE+. Crux recruciata, ſtipitibus ultra peripheriam circuli, cui inſcripta eſt, productis, & quatuor aliæ cruculæ in area circuli ejusdem.

+ LADISLAVS REX. Crux & 4. triangula in circulo. *C. Feſtetics.* Vid. Tab. I. N. 26. *Tab. I. N. 26.*

Multiplicatæ in hoc denario cruculæ, pietatis Chriſtianæ ſigna, in memoriam revocant titulum *Chriſtianiſſimi*, Ladislao I. datum in Synodo Szabolcsenſi, exordio Decretorum, Anno 1092. conditorum, quod ſic ſonat: *Præſidente Chriſtianiſſimo Ungarorum Rege Ladislao a*).

2. + LADISCLA+VS RE. Caput coronatum rudiſſimi operis, intra circulum granulatum.

REX. LADISLAVS. (*Literis quibusdam inverſis*). Crux & 4. triangula in medio circuli. *Ibidem*, *&* *R. Univ. Peſt.* Vid. Tab. I. N. 27. *Tab. I. N. 27.*

Epigraphe anticæ eſt *Ladisclaus* pro *Ladislaus*. Sed videtur C. lunula eſſe potius ſic interjecta, uti + crucula ibidem inter A & V. Nam, ut mox videbimus, in aliis monetis plures hujusmodi

---

a) Vid. Corp. Jur. Hung. T. I.

di interpunctiones, nomen Ladislai incommodantes, occurrunt. Fatendum est nihilominus, superesse alia etiam Sæculi XI. & sequentis documenta, in quibus hic Rex promiscue *Ladislaus*, *Ladisclavus*, & *Wladisclavus* vocatur. Apud *Cinnamum* Scriptorem coævum legitur *Irene* (al. Pyrisca, seu Prisca) *Wladisclavi Hungariæ Regis filia a*). Felicianus Archiep. Strig. in Adjudicatoriis anno 1133. *Regnante*, inquit, *Ladisclavo nobilissimo Rege*. Etymologiam hujus nominis non esse petendam ex idiomate græco, ut fit *P. II Chronicor. Thurotzii Cap. LVI.* verum e Slavico, noverunt linguæ periti *b*). Erat Sanctus *Ladislaus* matre Polona prognatus, quæ hoc illi nomen apud suos usitatum, in baptismo conferri voluit.

3. LADISLAVS RE+ (*sparsis intra hanc epigraphen quinque lunulis*). In medio tres cruces, an potius clavæ, aut sceptra? circulo granulato inclusæ.

Tab. I. N. 28. Idem nomen in aversa *sed corruptis literarum elementis*. Crux, & quatuor triangula in circulo. *C. Festetics*. Vid. Tab. I. N. 28.

Sunt, qui per tria sceptra, in præsente numulo, existiment repræsentari tria Regna, Hungariam nempe, & quæ huic sub divo Ladislao accessere, Croatiam, Sclavoniam. Quod si foret (præter morem Sæculi XI.) signari oportebat monetam hujus typi intra annos 1091—1095. post factam nempe dictorum Regnorum accessionem.

4. LADISLAVS RE+. Tres cruces, media longiore.

Idem

---

a) Vide Tom. I. Script. Leibnitzii p. 785.

b) Papebrochius *Act. SS. T. V. Junii p.* 1319. referens, quæ in Thuroczianis Hungarorum Chronicis de origine nominis *Ladislai* legerat, subjungit: „Nugas has etymologicas rident eruditi, tantoque magis, quanto certius tenent *Slavicæ* originis nomen esse, & ex ejus linguæ radicibus petendam onomatopæiæ rationem.“

Idem nomen in aversa. Crux, & 4. triangula in circulo. *Ibidem.* Tab. I. N. 29. Tab. I. N. 29.

5. Nulla epigraphe. Tres cruces media longiore, & signa quædam in area quasi dominicæ passionis.

In aversa, pro epigraphe sunt obscura tantum nominis Ladislai vestigia. *Obulus arg.* Ibidem. Vid. Tab. I. N. 30. Tab. I. N 30.

Elegans est in monetas divi Ladislai, tribus crucibus insignitas, animadversio Canonici PRAYI Diss. de S. Ladisl. p. 18. Not. (1). „Quid si, inquit ille, numus cum triplici cruce, nomen *Ladislai* referens, in hunc finem cusus fuerit? Sunt enim permulti ex eruditis domesticis, qui triplici illa cruce, tamquam Calvariæ montis symbolum Palestinæ sit, profectionem Jerosolymitanam indicari existiment.“ In hac igitur sententia Sanctus Ladislaus monetas hujusmodi postremo Regni sui anno 1095. quo sacram parabat expeditionem, procudi fecisset.

6. LADIS'LA'V RE+. *Sic.* In medio corolla, seu circulus granulatus, in quo est Crux, quæ stipite uno ultra peripheriam producto in aliam desinit cruculam. Adsunt & quatuor consueta triangula.

In aversa, pro epigraphe occurrunt vestigia characterum introcusa. In medio circulus, in quo crux, & quatuor triangula. *Ibid. & Univ. Pest.* Vid. Tab. I. N. 31. Tab. I. N. 31.

Tametsi hic numus utcunque tenui constet bractea, & in aversa perigraphen habeat introcusam, non tamen pertinet ad vulgare illud bracteatorum, & cavorum numorum genus, quod Sæculo XII. circiter in Suecia, vel Dania exortum, brevi per omnem fere Germaniam invaluit. In his enim tenuissimi folii numis argenteis pars una convexa, altera vero tota cava fuit, etiam quoad figuras in medio expressas.

In genere de Numis Sancti Ladislai observandum. Inscriptio partis aversæ constans est LADISLAVS REX, tametsi idem nomen jam in antica occurrat. PANNONIA vero, vel PANONEIA vel REGIA CIVITAS, quas epigraphas in monetis præcedentium Hungariæ Regum vidimus, jam non amplius inscripta reperiuntur.

Numum *Ladislai*, in quo cernitur Michael draconem confodiens, non ad primum hujus nominis Regem, sed ad quartum pertinere, adversus Frid. Joachimum suo loco probabimus.

CAPUT SECUNDUM.

Numi Regum Hungarorum Sæculi XII.

§. XI.

Monetæ COLOMANI Regis, ab Anno 1095—1115.

Omnes hujus Regis monetæ moduli sunt exigui: magnitudine Denariorum, quales S. Stephanus, ceterique post ipsum Sæculi XI. Reges habent, nullus hactenus *Colomani* detectus est. Idem prævie notandum de monetis Regum sequentium Sæculi XII. Præterea in omnibus numulis suis, qui nobis usque nunc innotuerunt, *Colomanus* inscribitur vel *Calman*, vel *Columbanus*, parte antica; in aversa vero, *Ladlaus Rex*. En exempla cum animadversionibus.

1. CALMAN RE+. Caput regis coronatum opere rudissimo.

LADLAVS RE+. *Literis tenuissimis fugitivis.* In medio circulus, in quo crux, & 4. globuli. *Obul. arg. C. Festetics.* Vid. Tab. I. N. 32. *Tab. I. N. 32.*

Colomanus patrio idiomate *Kalman* uti hodie, sic olim; teste Simone de Keza, Joanne de Thurocz, & Steph. Verböczio. Id pro

numu-

numulis minimi moduli commodius erat. Qua de cauſa *Ladlaus* etiam pro *Ladislao* ſcriptus, ex hungarico *Lazlo* mutato z in d, ut ſæpe in aliis vocabulis factum. *Ladlai* nomine intelligi nequit in hoc numulo *Ladislaus* Colomani filius, utpote infantili ætate extinctus, intelligendus itaque *S. Ladislaus*, Colomani vel *patruus*, ut antea creditum fuit, vel *pater*, quemadmodum jam communius creditur, tenebris luce ſanioris criticæ feliciter diſſipatis. Nec tamen credibile eſt, hunc numulum vivo *S. Ladislao* procuſum eſſe, cum & nomen, & caput coronatum *Colomani* partem occupet anticam, locumque nobiliorem.

2. CALMAN RE+. In medio circulus granulatus, in quo ſunt quatuor cruculæ circa centrum puncto notatum.

LADLAVS RE+. *Literis* S *&* R *non integre exſcupltis.* Circulus in medio, in quo crux, & quatuor triangula. *Comitis Vitzay.* Tab. I. N. 33. *Tab. I. N. 33.*

Hunc numulum primus edidit RR. Georg. PRAY in ſua Diſſertatione hiſtorico-critica de S. Ladislao Hung. Rege, Poſonii 1774. pag. 100. in qua poſtquam invictis argumentis contra opinionem hactenus receptam oſtendiſſet, Colomanum non Almi Ducis, ſed Sancti Ladislai filium fuiſſe, in eam demum ſententiam delapſus eſt, ut ſimul exiſtimaret, eundem vivo adhuc patre Regem ſi non coronatum, certe deſignatum fuiſſe. Non piget viri celeberrimi verba, quæ ad propoſitum numulum pertinent, hoc loco exſcribere. " Nec dubito, inquit, huc pertinere numum argenteum cujus typum hic exhibeo, quive utriusque nomen una ex parte LADLAVS, ex alia vero CALMAN refert; non quod hunc ab Ladislai obitu memoriæ cauſa Colomanus feriundum curavit; nec enim numi, quem ex uſitata Regni moneta fuiſſe conſtat, exiguus modulus pro dignitate utriusque Regis futurus erat; ſed quod vivo Ladislao Colomanus jam Hungariæ Rex a patre deſignatus erat, cujus

 rei

rei exemplum in numo æreo, qui Belam IV. cum Stephano filio refert, exſtantiſſimum habemus. " Sententiam hanc, a RR. Ant. *Ganotzio* acerrime poſtmodum oppugnatam, non modo Auctor ipſe, verum & Daniel *Cornides*, ac Steph. *Katona* ſic tuiti ſunt, ut, licet non omnibus forte, quod ad Colomanum vivo jam patre coronatum attinet, perſuaſerint, numos tamen Colomani, neglectos antehac, deſpectosque, majore dignos attentione fecerint, ſimulque multorum populariū ſtudia excitarint ad quosvis deinceps priſcorum Hungariæ Regum Numos, non aureos tantum, ſed & argenteos, quamcumque exiles, rudisve fabricæ, diligentius deinceps colligendos, conſervandos, ac perluſtrandos.

3. ✝ CALMAN RE. *Sparſis inter hujus nominis literas quatuor lunulis.* Crux inſerta corollæ, & 4. lineolæ in totidem areis.

LADLAVS RE✝. In medio circulus, in quo 4. triangula.
Tab. I. N. 34. *C. Feſtetics.* Vid. Tab. I. N. 34.

Similes lunulas intra perepigraphen ſparſas vidimus in Denariis *S. Ladislai*, Tab. I. N. 27. & 28. propoſitis.

4. CALMAN REX. In medio ſpecies quædam ſcuti quatuor hemicyclis deſcripti, in quo exigua crucula, & circa hanc 4. globuli. In averſa, pro epigraphe ſunt confuſa quædam literarum veſtigia. In medio circulus, in quo crux, & 4. triangula. Ibidem.
Tab. II. N. 35. Tab. II. N. 35.

5. COLVMBANVS RE✝. *Literis L, V, A, & S. ſic inverſis, ut* COΓAMBVNVZ *legendum videatur.* In medio circulus granulatus, in quo crucula æquilatera ſtipitibus paullo latioribus.

Averſæ inſcriptio propter L inverſum, & A omiſſum, & alias literas male effictas, illegibilis eſt: utcunque tamen apparet, conſuetam & illic deſtinatam fuiſſe epigraphen *Ladlaus Rex.* In medio typus quoque crucis & triangulorum in circulo, confuſus. *Ibi-*
Tab. II. N. 36. *dem.* Tab. II. N. 36.

6. ✝ CO-

6. + COLVMBANVD. Litera L, V, & A ſic in Numo inverſæ, ut legendum appareat COLAMBVNVD In medio circulus granulatus, in quo crucula, & quatuor globuli.

— — LADISLADV RE +. *Sic.* In medio circulus, in quo crux, & quatuor triangula. *Comitis Vitzay.* Editus a RR. D. *Pray* P. II. Hierarchiæ Hung. p. 108.

De hoc Numo Auctor nunc laudatus l. cit. ita differit: „ Inſcriptio Numi ab ſe loquitur. LADISLADV RE. tum COLVMBANVD. Ne cui imperfectum nomen, aut inverſæ literæ fraudi ſint, moneo. Norunt eruditi ex domeſticis, quam crebro hæc in Numis hungaricis non modo Sæculi XI. ſed ſerius etiam occurrant, quin ne ſigilla quidem ab hujusmodi mendis immunia ſunt. Redeo ad Inſcriptionem. LADISLAV demta litera S. occurrit in Numis plus vice ſimplici, puta: in Ludovici I. & Mariæ I. Quod autem in Ladislai nomine litera D adjecta ſit, nihil itidem mirum videri debet. Græci id VLADISLABVS, Dalmatæ contra VLADISLAVVS ſcribunt, quin propterea alius ab S. Ladislao intelligatur. Pariter RE ſine X. viſitur in Numo Sigismundi, aliorumque: ſolum vero R ad nomen Regis deſignandum reperitur in Numis Ludovici I. & Mariæ ejus filiæ. Quod ſi autem crucem, quæ ad decuſſatam proxime accedit, in Numo expreſſam, velimus, ut aliqui faciunt, pro litera X ſumere, habebimus integram Inſcriptionis lectionem, LADISLADVS REX. Averſæ in Numo partis inſcriptio eſt: COLVMBANVD. ſuppleri debet adjecto S, ut in nomine Ladislai factum eſt, quod etiam in aliis Numis non infrequens eſſe, jam monui. In hunc modum legam COLVMBANVS. Ne hoc quidem inuſitatum eſt. In literis Colomani Regis de anno MCVIIII. quibus Diploma græcum Sanctimonialibus de valle Veſprem a S. Stephano Rege olim datum, per Simonem Epiſcopum Quinque Eccleſienſem tranſumi, & in Latium converti fecit, ſemel, ac iterum id nomen occur-

occurrit: *præcipiente Christianissimo Rege COLVMBANO*: et, *Simone Quinque Ecclesiensi Episcopo — — veritatem rei Christianissimo Regi COLVMBANO referente.* Odericus Vitalis, Scriptor Colomanno Regi Synchronus, hunc exserte COLVMBANVM itidem appellat. — — Nihil igitur novum, aut insolitum est in nomine COLVMBANVS, ut hoc titulo Numus non genuinus habeatur. Quid sola litera D. quæ in duobus Numis exstantissima est, indicet, credo quemvis, ut Numum inspexerit, confestim intellecturum, per eam *Ducis* nomen, ac dignitatem designari, quemadmodum solitarium R. nomen Regis indicare solet. Certe Ducis titulum Colomano, dum hic anno 1094. itaque vivo Ladislao, contra Volodorum in Russiam copias duceret, non solum Dlugossus, sed & Michovius diserte tribuunt, ut adeo nemini dubium esse possit, quin litera D in Numo expressa *Ducem* indicet. His ex ipsius Inscriptionis natura explicatis, ita rationem ineo. Numus hic, & alter ei simillimus, non fuit Ladislao fatis functo in ejusdem memoriam, ac venerationem a Colomano cudi jussus, tum quod Numos memoriales ævum illud non novit, tum quia Ladislaus *Regis*, Colomanus autem *Ducis* titulum gerunt, quod sane Colomano ab Ladislai obitu minime congruebat. Vivo igitur Ladislao hic Numus cusus est, itaque inter ordinarias Regni monetas reponendus.“

Sententiæ huic, qua parte probatur, Numum hinc COLVMBANVD inde LADISLADVS RE. inscriptum pro sincero, & genuino habendum, & *Columbanum* in hoc Numo esse *Colomanum*; item *Ladislaum* partis aversæ non alium esse, quam Sanctum *Ladislaum*, Colomani patrem, ultro libensque consentio. Sed, ut credam, in Numulo *Vitzaiano* inscribi *Columbanum Ducem*, nondum *Regem*, ac præterea omnes *Colomani* monetas, sive *Calman*, sive *Columbanus* inscriptas propter nomen *Ladislai Regis* parte altera expressum, sub ipso Sancto Ladislao, non autem ab hujus obitu sub

Rege

Rege Colomano ſignatas fuiſſe, hæc, inquam, ut credam, adduci nequeo. Nam 1) non usquequaque certum eſt, in Numulo *Vitzaiano* COLVMBANVD eſſe pro COLVMBANVS DVX, cum conſtet, Monetarios Sæculi XI. in exſculpendis literarum formis technicis perſæpe, ac turpiter aberraſſe, & alias aliis mendoſe ſubſtituiſſe. Ita ex c. vidimus in quibusdam Numis Belæ I. & Salomonis Regis, ſcriptum DANNONIA pro PANNONIA. & in ipſo hoc Numulo Vitzaiano LADISLADVS pro LADISLABVS, vel LADISLAVVS. Poterat ergo etiam in antica ejusdem Numuli poſt COLVMBANV litera D pro S, vel, quod magis ſuſpicor, pro R, caſu, aut per incuriam Monetarii irrepere. Et vero etiam in Feſteticsiano numulo, quem hic Tab. II. N. 36. æri inciſum damus, poſt COLVMBANV ſequitur inverſa forma Litera S, & poſt hanc fragmentum literæR, quod pro D accipi non poſſe, monet ſequens illico ibidem E litera, diſtinctiſſime ante cruculam, quæ vicem X agit, expreſſa. Atqui Numulus *Feſteticsianus* metallo, forma, typoque eſt ſimillimus *Vitzaiano*: Igitur, quemadmodum in illo *Columbanus* feliciter habet *Regis* titulum, ita cenſendum eſt, in iſto etiam, ut ut D pro R mendoſe ſubſtitutum ſit, *Columbanum* non *Ducem*, ſed *Regem* intelligi debere. 2) In omnibus monetis ſive *Calman*, ſive *Columbanus* inſcriptis, conſtanter hoc nomen parte ornatiore, in qua ſcilicet circulus eſt corollæ inſtar effictus, gemmatus, vel granulatus, & quæ nobis pars antica vocatur, occurrit, nomen vero *Ladlai*, vel *Ladislai Regis* in parte averſa tantum, minusque ornata legitur. Præterea ſunt Numi, æque Colomani, & Ladislai Regis nominibus notati, in quibus eſt Caput coronatum Regis Colomani, nullus autem ex hoc genere inventus eſt, qui Caput Ladislai referret. Unde arguere licet omnes idgenus Numos non, uti prætenditur vivo Sancto Ladislao, ſed ab hujus dumtaxat obitu regnante Colomano procuſos fuiſſe. 3) Nuspiam a Scriptoribus coævis, vel

ætate

ætate proximis traditum eſt, *Colomanum* a patre ſuo in Regni conſortium admiſſum, ipſoque vivente coronatum, & pro juniore Rege, nam & hoc prætendunt juniorum nonnulli, habitum; immo uno quaſi ore complures antiqui Auctores perhibent, ne quidem fuiſſe deſignatum. Igitur ex hoc etiam capite minor, ne dicam, nulla eſt veriſimilitudo, Numos, de quibus agimus, ſub Sancto Ladislao cuſos eſſe.

Quid igitur, inquies, ſibi vult nomen *Ladislai Regis* altera horum Numorum parte conſpicuum? Ajo: juſſu, vel permiſſu Regis Colomani pro Numis, in uſum conſuetæ monetæ ſignandis, retentus eſt averſæ typus integer, una cum inſcriptione, qualis adhibebatur tempore Sancti Ladislai deceſſoris ſui. Factumne id fuerit ad captandam populi, cui gratiſſima fuit glorioſiſſimi, ac ſanctiſſimi Regis memoria, benevolentiam, an alia de cauſa? non inquiro; verum id obſervo, hanc inſcriptionem nominis *Ladislai* cum eodem typo averſæ continuatam fuiſſe etiam poſt Colomanum ſub hujus filio *Stephano II.* ac poſtea diu intermiſſam, donec in Periodo ſecunda *Ludovicus I.* legem tuliſſet, ut poſthac in monetis hungaricis, præcipue *aureis*, parte altera & nomen Sancti *Ladislai*, & hujus effigies exprimeretur.

Supereſt, ut illos etiam Numos, quos celeberrimus Biographiæ Medicorum Hungariæ Auctor *Steph. Weſzprémius* Cent. II. Parte II. p. 228. deſcribit, & Regi Colomano tribuit, in examen vocemus. Præmiſſa mentione numulorum ignotorum, utpote omni inſcriptione carentium, & inter hos unius, in quo nihil aliud præter effigiem *Columbæ* invenitur, ſubjungit, hunc forte *Colomani* eſſe, dicti *Columbani*. Conjecturam hanc, arbitror, poſſe refelli vel ſola inſpectione duorum numulorum Tab. II. N. 54. & 55. a nobis hic exhibitorum. Eadem enim *Columba* eſt in numulo anepigrapho, quæ præcedit in altero Regis *Belæ* parte averſa. De utroque hoc

numu-

numulo agemus in monetis *Belæ Quarti.* *Columbæ* numulo sic obiter commemorato, progreditur laudatus Biographus *l. cit.* ad alios his verbis: „Sed tenemus manibus alium, qui certo est *Colomani Regis, & Episcopi Varadiensis Fig. V.* cujus in postica parte visitur crux simplex super vertice templi cum erectis duabus a latere turribus, in antica vero effigies viri pontificalibus induti, & mitrati, dextra pedum pastorale, sinistra Evangeliarium tenens, cum epigraphe, hoc inverso literarum ordine ER ΝΑΩVAC, id est: CALMAN RE. supple REX.“ Operæ pretium esse censuit *D. Weszpremius*, ut Lectoribus suis ipsum hunc Numum argenteum, quem tam certo sciret esse *Colomani* Regis Hungariæ, ejusdemque simul Episcopi Varadiensis, accurate ex archetypo delineatum sisteret, quod & præstitit pagina sequente l. cit. *Fig. V.* Sed

Neminem fore arbitror, qui fabellam de Episcopatu Regis Colomani, ab hodiernis Criticis explosam, numismatico hoc documento, per D. Wespremium suggesto, resuscitare velit. Nec enim hic Numus inter hungaricos habendus est, utut multi ejusdem generis cum alia medii ævi pecunia haud infrequenter in terris hungaricis effodiantur, sed est vel germanicus, vel italicus, a Principe ecclesiastico signatus. Utriusque partis effigies ac typus, qualis in hoc Numo est, observatur in denariis medii ævi Coloniensibus, Aquilejensibus, & Frisacensibus, cum inscriptionibus non raro sic expressis, ut vix, aut ne vix quidem legi possint. — Sed præterire nequeo illa etiam, quæ ibidem *cit. pag.* 228. idem Biographus Medicorum de Numis, ad Colomanum spectantibus, refert: „Non absimiliter, inquit, iste quoque Colomani denarius meus cum effigie Angeli alati sedentis, & pedes decussatim collocantis, postica vero parte virum quempiam Sanctum, forte S. Petrum veste talari indutum, claves utraque manu tenentem, exhibens tali inverso literarum ordine XAMVA). In hoc vero ejusdem moduli Numo alte-

ro vir sedens, pontificalibus, & pallio Petri indutus, & mitra tectus, dextra apertum Evangeliorum codicem, sinistra pedum pastorale tenens, derasis reliquis, his notatus conspicitur in peripheria characteribus: PTOCP. C. +. in postica visitur Ecclesia Basilica duarum contignationum variis ornata columnis, hoc adjecto lemmate: OC T. A. OCOL. non ausim adfirmare, postremis his literis A. COL. Archiepiscopatum *Colocensem* designari posse." — Modestia postremae hujus conjecturae laude digna est. Alioquin enim vel hac de causa nullam habet verisimilitudinem, quod nulli unquam Episcopo, vel Archiepiscopo Hungariae jus feriundae proprio nomine monetae concessum fuerit a Regibus nostris. Quapropter satius est conjectare, an non illa monetae ecclesiasticae epigraphe, sive, ut Weszpremius dicere maluit, hoc adjecto lemmate: OC TA OCOL. significetur MONETA *COLoniensis*. Quam apud Hungaros Saeculo XII. & seq. in usu fuisse, vel ex Privilegio Belae III. & Andreae II. Saxonibus Transylvanis dato, de quo infra agetur, certum est, ac indubitatum. Descriptioni posteriorum horum numulorum nulla delineatio est ab Auctore adjecta. Sed neutrum numulum ad Regis Colomani monetam spectare, quicquid aliter sentiat Biographiae laudatae Auctor, vel nuda eorum descriptio, sat aperte prodit.

§. XII.

Obuli argent. STEPHANI II. Regis, ab Anno 1115—1131.

1. CEHANVS RE+. Crux, & 4. triangula intra corollam.

Tab. II. N. 37. LADLAVS RE+. Crux, & 4. triang. intra circulum. *Univ. Pest.* Vid. Tab. II. N. 37.

Tab. II. N. 38. 2. Similis praecedenti, sed perforatus, non integer, & cum epigraphe minus legibili. *Klimonian. Quinque Eccl.* Tab. II. N. 38.

Tab. II. N. 39. 3. Alius typo simili, sed in quo perigraphes locum occupant lineolae, vitio Incisoris. *Ibidem.* Tab. II. N. 39.

Hujus

Hujus inscriptionis Numulos Biographus Medicorum Hung. I. supra cit. 225. refert ad *Geisam I.* opinionem, ut scribit, Baronis *Cothmanni* secutus. Daniel vero Cornides (ungrisch. Magazin 3. B. p. 365. seqq.) ad *Stephanum III.* cum patruo suo *Ladislao II.* simul, ut ipse existimat, regnantem. Sed certum prope, ac indubitatum est, hanc monetam a *Stephano II.* Colomani filio, S. Ladislai nepote, signatam fuisse.

Quod *Cehanus* in his numulis non *Geisam*, sed *Stephanum* significet, res dubio caret, cum constet in aliis etiam illius ætatis monumentis promiscue *Stephanum*, *Chepanum*, *Cepanum*, & *Cephanum* scribi. *Stephanus* de Hedervara Comes Bacsiensis in Literis ann. 1203, & 1207. modo *Cephanus*, modo *Chephanus* est. Apud Math. Belium in Adparatu ad Hist. Hung. p. 259. seqq. in libro ineuntis Sæculi XIII. *de ritu explorandæ veritatis per judicium ferri candentis*, leguntur iidem *Cepani*, qui *Stephani*. Pagus *Chepanfalva*, in Scepusiensi provincia, germanis est hodie *Stephansdorf*. Addo in præsentibus numulis *Cehanum* etiam hac de causa non posse pro *Geisa* sumi, quia hoc regnante *Ladislaus* adhuc *Dux* erat, *Rex* vero nonnisi post fratris *Geisæ* obitum; est vero in hac moneta *Ladlaus Rex*. Hæc sunt, quæ *Cothmanianæ* apud Weszpremium opinioni adversantur. *Cornidesianæ* vero sententiæ pro *Stephano III.* & *Ladislao II.* fundamenta subruuntur, primum negata hypothesi, quam hic Auctor contra historiæ veritatem assumit, de duobus his Regibus ita reconciliatis, ut vel modico tempore simul regnaverint; deinde argumento ex causis artis monetalis deprompto, quod nempe numuli, *Cehanus* hinc, & *Ladlaus* alia ex parte inscripti, modulo, fabrica, typo, ceterisque adjunctis consideratis, ad monetam *Colomani* proxime accedunt, quodque typus, & inscriptio aversæ, qualis sub *Sancto Ladislao* cœpit, & sub hujus filio *Colomano* continuabatur, deinceps etiam sub nepote Sancti Ladislai, *Stephano II.* retineri potuerit,

1. Aug. 48

tuerit, atque adeo reapſe retentam eſſe credibile ſit, ſive caſu, ſive ex propoſito, ad perpetuandam tanti Regis in ipſa moneta uſitata memoriam.

§. XIII.

Numuli arg. BELAE II. Regis, ab Anno 1131—1141.

1. BELA REX. Caput coronatum rudiſſimi operis.

In averſa, perigraphen ſupplent lineolæ vario ſitu, præcedente crucula. In medio circulus, in quo crux, & 4. triangula. *C. Feſtetics.* Vid. Tab. II. N. 40.

Tab. II. N. 40.

Numulus iſte quoad Caput anticæ, & averſæ typum, quin modulo ipſo, totaque fere fabrica ſimillimus eſt numulo *Colomani* Tab. I. N. 32. hic propoſito; ideoque ad *Belam II.* cognomento *Cæcum*, utpote Colomano proximum id nominis Regem, ſpectare nihil ambigo. Lineolæ in parte averſa procul dubio ſupplent conſuetam adhuc LADLAVS REX epigraphen, quam literis exprimere in exiguo hoc numulo rudior artifex non potuerit.

2. BELA REX. Caput nudum barbatum, circulo incluſum.

In averſa eædem literæ, idem Caput, ſed omnia introcuſa. *Numulus argenteus bracteatus. Univ. Peſt.*

3. Rex coronatus ſedens d. ſceptrum liligerum, s. globum crucigerum, in area hinc B. inde R. cum duobus utrinque punctis.

In averſa. Idem Rex, eædem literæ. Omnia introcuſa. *Arg. bracteatus. Ibidem.* Vid. Tab. II. N. 41.

Tab. II. N. 41.

4. Antica eadem, quæ in præcedente.

Averſa penitus vacua. *Argenteus numulus heterotypus. C. Feſtetics.* Vid. Tab. II. N. 42.

Tab. II. N. 42

Numulos bracteatos, literis B & R notatos Daniel *Cornides* in Geneal. Reg. Hung. p. 85. ad *Belam Primum* retulit, ſed ſerius in epiſtola reſponſ. ad Ant. Ganotzi mutavit ſententiam, cenſuitque

suitque magis eos convenire posteriori cuipiam Belæ, vel *Secundo* videlicet, vel *Tertio*, *Quartove*, idque primum ideo, quod in iis effigies Regis est *sedentis*, quo situ Principes Europæi in monetis suis ante Sæculum XII. signatis nondum sunt observati. In monetis ait, non sigillis. Deinde hac etiam de causa, quod, cum antiquissimi bracteati Daniæ, Germaniæ, Bohemiæ, & Poloniæ ultra Sæculum XII. non adsurgant, vix verisimile videatur, existere aliquem bracteatum Hungariæ, qui omnibus hucusque notis antiquior foret. Demum, ne idgenus bracteatos *Belæ Primo* tribuat, movetur illa insuper observatione, quod spectatis Chronici Thurocziani verbis P. II. Cap. XLV. *Bela Primus* nullos alios, quam solidos denarios ex argento feriri curaverit. Anno superiore complures hujusmodi monetæ bracteatæ, moduli exigui, fortuito sunt in ipsa hac Pestiensi urbe, in qua hæc scribo, effossi, his numulis, quos num. 2. & 3. descripsi, per omnia similes. Iisdem permixtos vidi tales quoque, qualem isthic Tab. II. N. 68. delineatum proponimus anepigraphum, figura crucis duplicatæ, super altari erectæ, insignitum cum duabus rosis ad basim, non tamen, ut iste est, parte aversa vacuos, sed eandem crucis, & altaris, rosarumque figuram introcusam, seu cavam, referentes. *Tab. II. N. 68.*

§. XIV.

De monetis GEISAE II. Regis, ab Anno 1141—1161.

Numulos inter monetas *Geisæ Primi* Cap. præced. §. IX. recensitos, opinor, potius ad *Geisam Secundum* pertinere, quemadmodum jam antea monui. Primus enim Geisa modico tempore, & quidem fere, ut æmulus dumtaxat Salomonis, alter vero annis viginti regnavit sine æmulo. Adhæc modulus exiguus monetæ magis proprius est Sæculo XII. quam XI^{mo}. Sed summæ sunt raritatis ho-

die numuli, in quibus *Geisæ* nomen occurrit, quacunque demum ratione depravatum. Quænam hujus causa? non aliam puto magis verosimilem, quam, quod numulorum bracteatorum postremis Belæ II. annis introductus, sub *Geisa II.* continuatus esse videatur ita, ut Monetariis permissum fuerit hoc minutissimæ genus monetæ sine literis, sine inscriptionibus, quæ alioquin maximam facessebant molestiam, procudere. Itaque cum inscriptionibus nominis Regii nonnisi pauculos excuderint, ad quorum numerum obulus ille argenteus, quem Biographus Medicorum Hung. pag. 229. Fig. 2. edidit, referatur per me licet, si non ut certus, saltem cum aliqua verisimilitudine. Est autem hujusmodi:

1. Supp. I. 66

ΓΑΙΜΙΗΑ. RE (hoc *Weszpremius* legit: GAITIHA REX.) intra perigraphen quatuor cruculæ, lineolis connexæ cum Cruce majore in medio circuli expressa.

LADISLAVS RE+. (hoc nomen sat commode legi potest) In medio circulus, in quo crux, & 4. triangula. *Arg.*

Supponitur primum elementum esse Γ græcum, quartam vero literam M pro T. — Ad *Geisam Primum* hic numulus referri nequit, eo quod in ejus aversa *Ladislaus* est *Rex*, quem hic titulum nonnisi ab obitu fratris sui *Geisæ* sumpserat. Ad *Secundum* vero *Geisam* ut spectet, non repugnat, quin ostendit potius, typum aversæ cum inscripto Ladislai nomine *Geisam Secundum* exemplo Colomani, & Stephani II. adhuc retinuisse.

§. XV.

STEPHANVS III. ab Anno 1161—1173.
LADISLAVS II. ab Anno 1162—1163. *per* 6. *menses.*
STEPHANVS IV. ab Anno 1163. *per* 5. *menses.*

Trium horum Regum nullos certos habemus Numos. Nam eos, qui hinc CEHANVS REX, inde LADLAVS REX inscribuntur, quos-

quosque Daniel *Cornides* adjudicat *Stephano III.* & *Ladislao II.* non ab his, sed potius a *Stephano II.* fuisse procusos, ostensum est *§pho* XII. Causa raritatis monetarum, sub tribus his regibus signatarum, præter illam, quam præcedente *§pho* de usu bracteatorum attulimus, hæc etiam esse potest, quod, qui hos Reges secutus est *Bela Tertius*, omnes fere illorum numos, ob lucrum Cameræ, conquiri, & in novas suas monetas, pro more sui temporis, refundi, conflarique forsitan jusserit.

§. XVI.

Monetæ arg. BELAE III. ab Anno 1174 *ad* 1196.

1. Angelus hasta confodiens draconem.

In aversa est sola Epigraphe: X BELAE REG. postrema litera G in medio numi expressa. Legendum est + *Belæ Regis.* intellige: *Moneta. Univ. Pest.* Vid. Tab. II. N. 43. *Tab. II. N. 43.*

Sub hoc primum Rege in monetis hungaricis cœperunt exprimi imagines Sanctorum. Secutus est hac in re *Bela III.* exemplum aliorum sui temporis Principum Christianorum. In pecunia Imperatorum Orientis observatur primum effigies *Christi* sub Michaele I. vel altero hujus nominis circa annum Chr. 811—836. *Deiparæ* autem sub Joanne Zemisce 969—975. *Sancti Georgii* sub Alexio I. Comneno 1081—1118. *S. Eugenii* sub Manuele I. Comneno 1143—1188. *Angeli* sub Isaacio Angelo anno 1185—1195. id est tempore *Belæ III.* Regis Hungariæ. *S. Demetrii* sub Theodoro Duca, qui circa annum 1228. Thessalonicæ Imperii Sedem fixerat, *S. Michaëlis* Archangeli sub eodem. In proposito *Belæ III.* numulo est *Michaël* Archangelus draconem confodiens, eadem prope forma expressus, qua est in Sigillo authentico Capituli Veszprimiensis, & qua olim forma in Basilica Weszprimiensi depictus colebatur.

2. Rex

2. Rex coronatus ſedens d. ſceptrum, s. globum crucigerum.

Averſæ partis aream ſola epigraphe occupat, BELA REX, literis in tres ordines diſtributis. *Univ. Peſt.* Vid. Tab. II. N. 44.

Tab. II. N. 44. Etiam in bulla aurea Belæ III. quæ ex diplomate anni 1195. pendebat, antica exhibet Regem coronatum ſedentem cum ſceptro liligero in dextra, & globo crucigero in ſiniſtra manu. Averſa vero nudam epigraphen habet literis ad eundem modum, ut eſt in numulo nunc deſcripto, per tres ordines diſpoſitis SIGILLVM BELE. Ectypum bullæ hujus communicavit Abbas, & Can. PRAY in Manuſcripto ſuo de Sigillis Regum, & Reginarum Hungariæ.

3. BELA REX. In medio Scutum, cruce patriarchali inſignitum.

In averſa parte ſubſtructio quædam (Aram exiſtimo, ſed quæ in hoc noſtro ectypo non rite diſcernitur, niſi imago invertatur) inſiſtit quinque fulcris, infra quæ cernitur lunula inter binos globulos. Supra vero eſt crux inter duos globulos, & binas Stellas. *Ibidem* Tab. II. N. 45.

Tab. II. N. 45.

Hæc moneta inter hungaricas eſt prima, in qua occurrit crux patriarchalis, Regni Hungariæ inſigne, ſcuto triangulari inſcripta. Ceterum ſi *Felmerum*, qui hunc numulum *Belæ II.* vel *III.* eſſe conjectat, excipias, alii præeunte Ill. Franc. Carolo *Palma*, potius *Belæ Quarto* adſcribunt, propterea quod in ipſis adeo Sigillis crux ejusmodi in Scuto heraldico Hungariæ non prius, quam ſub *Andrea II.* Hieroſolymitano, Belæ Quarti patre, hactenus inventa ſit. Mihi tamen hic numulus Belæ Tertii eſſe videtur, quia Bela IIII. in ſuis argenteis monetis, præter morem aliorum primæ Periodi Regum, ſeſe diſerte *Quartum* profitetur, modo nota numerali ſuo nomini adjecta, modo ipſum *Quartus* vocabulum addendo, ut *ſequ. Capite* obſervabimus. Quid quod crucem duplicem, vulgo Patriarchalem, in ipſis adeo Sancti *Stephani* denariis quibusdam jam ſupra vidimus, utut nondum ſcuto formæ heraldicæ impreſſam.

4. Ca-

4. Caput coronatum, ad humeros fere expressum.

BELA. Literis intra crucis in medio positæ angulos inscriptis. Cruci superponitur circulus, in quo R & quatuor globuli. *C Festetics.* Vid. Tab. II. N. 46. *Tab. II. N. 46.*

Tam forma literarum, quam typus Capitis, & crucis, temporibus Belæ III. magis, quam priorum id nominis Regum convenit.

5. BELA. Literis, intra crucis in medio sitæ brachia exsculptis, extremitates ejusdem crucis majoris junguntur cruculis minoribus.

In aversa parte, circulus, in cujus medio litera R. *Numulus æreus. Univ. Pest.* Vid. Tab. II. N. 47. *Tab. II. N. 47.*

Situs literarum epigraphes hic est, ut æque ABEL ac BELA legi possit. Similem æreum numulum *Abelis* inter Danicos editum esse a Th. *Bircherod* in specimine rei monet. vet. Danorum p. 97. memini ante complures annos Danielem *Cornidesium* mihi perscripsisse.

6. BELA REX. * Effigies Regis in throno arcuato sedentis coronati, cum sceptro crucigero in manu sinistra.

+ MONETA REGIS P. HVNGARIA. Crux lata æquilatera, corollæ superposita cum 4. Stellulis intra crucis ejusdem brachia. *Univ. Pest.* Vid. Tab. II. N. 48. *Tab. II. N. 48.*

Hoc numulo alter antiquior, in quo vocabulum HVNGARIA occurreret, nondum repertus est. An corolla circa medium ex ipsa pendeat cruce, ut nonnulli asserunt, præsentis numuli typus non sat aperte prodit. Epigraphe + *Moneta Regis Pro Hungaria* indicare videtur, cusas fuisse a Regibus nostris eodem tempore alias quoque monetas pro aliis provinciis, ad coronam Hungariæ pertinentibus; exempli causa *pro Sclavonia.* Reipsa enim exstant Numi cum epigraphe hac: MONETA REGIS P. SCLAVO NIA. Quos tamen primum sub Carolo Roberto sub initium secundæ Regum Hung. Periodi recensebimus; ut ut horum aliqui jam ante Carolum signati fuerint. Fieri potest, ut præsens numulus non ad *Tertium*, sed ad

Quartum Belam pertineat, quoniam, uti alio loco dicemus, Numi *pro Sclavonia* vix ante hunc Regem signari cœperunt.

§. XVII.

Moneta EMERICI Regis ab 1196. *ad* 1204.

✠ MONETA REGIS HVNGARIE. In medio Corona regia.
E. R. Caput coronatum imberbe. *Den. arg. Musei Klimoniani Quinque Eccl.* Vid. Tab. II. N. 49.

Tab. II. N. 49. Regis hujus Numi adeo hodie rari sunt, ut præter hunc nullus alius notus sit. Immo de hoc etiam, sitne EMERICI Regis, an potius ELISABETHAE Reginæ? disceptatur. Literæ enim E & R. utramque admittunt interpretationem, & vultus imberbis æque feminæ, ac viri esse potest. Præterea coronæ in antica depictæ forma, ipsaque denarii fabrica ætatem Caroli Roberti, & Ludovici I. hujusque matris Elisabethæ spirare videntur. Accedit, quod Rex Emericus Henricum sese appellet in bulla aurea, per Cl. *Schwartnerum* Introd. ad Diplom. Hung. edita Tab. I. Fig. 4. Sed quamquam hæc ita sint, non desunt tamen rationes, quibus hic Numus *Emerico* Regi vindicari possit. Nam primum anticæ partis inscriptio diserte loquitur hanc monetam esse *Regis Hungariæ*, non vero Reginæ, & parte altera nihil certi occurrit, cur vultus Capitis coronati feminæ censendus sit potius, quam viri imberbis. Igitur siglæ E. R. verisimilius in hoc denario *Emericum Regem* quam *Elisabetham Reginam* significant. Nec enim hic Rex in omnibus documentis perinde, ac in cit. bulla aurea *Henricus*, verum etiam in quibusdam *Emericus* scribitur, uti videre licet in iis, quæ apud RR. *Katona* T. IV. Reg. Hung. p. 502. & seqq. occurrunt. Adde: Numum hunc, quod ad Caput, & nomen, titulumque, initialibus dumtaxat literis expressum, attinet, non multum abludere ab *Andreæ II.* fratris Emerici, denario mox describendo.

CAPUT

CAPUT TERTIUM.

Numi Regum Sæculi XIII.

§. XVIII.

Monetæ ANDREAE II. Regis, ab Anno 1205—1235.

LADISLAVS III. quoniam ab obitu EMERICI patris sui paucos supervixit menses, eosque fere extra Hungariam, dubium est, an ullas signaverit monetas. Mater *Constantia* infantem ad Leopoldum Austriæ Ducem subduxit metu ANDREAE, qui mortuo Infante regio coronatus, diuturnum habuit regimen, multosque procul dubio feriundos curaverit Numos, ex quibus tamen paucos admodum habemus superstites. Binos hoc loco sistimus diversi typi, nempe:

1. A. R. Protome Regis coronati, pectore tenus.

In aversa: stans agnus cum vexillo crucigero. *Den. arg.* e Museo Exc. Com. Joan. Nep. ESZTERHÁZY. Vid. Tab. II. N. 50. *Tab. II. N. 50.*

Siglæ A. R. legendæ sunt ANDREAS REX. Quo nomine non *primus* utique, sed *secundus*, vulgo *Hierosolymitanus*, post suum e Palæstina reditum appellatus, intelligi debet. Nec enim præsens moneta quidquam commune habet cum iis, quas *Andreas I.* Sæculo XI. cudi fecit. Agnus vexillifer in hoc denario symbolum est Dominicæ Resurrectionis, cujus ob venerationem mysterii Rex *Andreas II.* ad sacram expeditionem profectus erat. Apud Gallos monetæ, Paschali idgenus *Agno* signatæ, vocabantur *Agnelli*, & earum origo referabatur ad *S. Ludovicum IX.* nostris Regibus *Andreæ* I^{mo}. & *Belæ* IV^{to}. Synchronum, in historia bellorum, pro recuperatione Terræ Sanctæ gestorum, notissimum. De hac origine nullum videtur dubium spectatis verbis unius Edicti monetalis de die 22. Jan. 1310. a *Le Blanc* e Regio Tabulario Parisino producti, quæ sic habent:

Agnels que nous faisons forger comme au temps de S. Louis pour XVI. sols. &c. Sed monetæ *Ludovici IX*, hujusque Successorum *Philippi IV. Ludovici X. Caroli IV, Johannis, & Caroli VI.* Regum Franciæ, imagine *Agni* signatæ, *aureæ* erant; nostri vero Reges *Andreas II. Bela IV.* & paullo serius *Carolus Robertus*, *Agnum* in argentea dumtaxat moneta sua expresserunt *a*).

2. + ANDREAS REX. Figuræ loco in medio Denarii sunt Literæ A B C in orbem dispositæ.

In aversa, perigraphes locum occupant globuli. In medio Numi Castellum cum tribus turribus. *Den. arg. Musei Klimoniani Quinque Ecclef.* Vid. Tab. II. N. 51. *Tab. II. N. 51.*

Cum in hoc Numo literæ ABC non in una serie locatæ, sed in orbem dispositæ sunt circa medium, variis, ut vario accipi possunt ordine, conjecturis, & interpretationibus præbent idcirco locum. Binas libet adducere ex Literis, quas bonæ memoriæ Daniel Cornides multis abhinc annis ad me dederat. Priores ex Transylvania anno 1779. in hæc verba scripsit: „ Mitto tibi hujus generis typum, ut eo facilius de re omni possis existimare. Olim putabam *Belam*, *Colomanum*, & *Andream*, filios videlicet *Andreæ II.* literis BCA designari, idque eo magis, quod Bela, Colomanusque, vivente adhuc patre, ille Hungariæ, hic Haliciæ Rex fuerit inauguratus, tertius vero filius Andreas magnum quodpiam itidem sibi potuit polliceri. Quarto Regis Andreæ II. filio *Stephano* locus in hoc Numo esse non potuit, quippe posthumo. Nugis his meis calculum suum adjecit Celeb. *Joachimus in dem neueröfneten Münz Cabinet P. II. p.* 330. Nunc longe aliud mihi sedet. Quid ipse de litera-

a) Aurei Francici *Agno* signati videri possunt in Ducangii Glossario ad Scriptores mediæ, & infimæ latinitatis voc. *Moneta.* Ubi in Tabulis æneis depicti exhibentur.

terarum BCA significatione censeas, fac sciam." — Alteram interpretationem aliis literis haud multo post indidem ad me datis ita complexus est: „Literis ABC in orbem positis, quæ in area partis aversæ nonnullorum Andreæ II. denariorum visuntur, nomen Præfecti monetarii, itemque Loci percussæ monetæ designari conjicis. Libenter equidem tuo te patior abundare sensu: mihi tamen longe videtur probabilius, tres illas primas Alphabeti latini literas, ceu probitatis argenti signum quoddam, ut passim alibi, ita & in Hungaria fuisse adhibitas. Fidem opinioni meæ facit Tilemannus *Friesen* in Münzspiegel L. III. Cap. XI. ubi hæc legas: *in dieser Zeit ist von Kayser Heinrich dem andern Bischoff Meinhard zu Würtzburg die Münzgerechtigkeit gegeben, und sonst Veränderung in den Pfennigen geschehen, dass dieselben so dünne nicht mehr, sondern etwas kleiner, und dicker, an etlichen Orten das ABC geschlagen.* — Hac igitur Cornidesii opinione posteriore, ABC in hoc denario est signum probitatis argenti. Quod si est, quidni liceat porro conjectare, an non ipse quoque gradus probitatis exprimatur hisce literis? quinam id vero? scilicet ABC interpretando *Ad Belæ Constitutionem*, vel *Argentum Belæ Combustionis*. Nam Rex *Andreas II.* in suo anni 1222. Decreto Articulo 32. præcipit, ut illo anno denarii sui tales cuderentur, quales erant tempore Belæ Regis, id est, si *Belam Primum* intellexit, quemadmodum intellexisse vulgo creditur, *ex purissimo argento*. Probationem argenti vocabant *Combustionem* illa ætate. Qua de re agetur Capite sequente. Sed utrum denarii *Andreæ II.* literis ABC notati reapse purissimo constent argento, cum ad manum non sit, in quo periculum faciam, non habeo quod affirmem. Id constat, sub hoc Rege multos in rem monetalem abusus irrepsisse, donec Judæi & Ismahelitæ a Præfecturis Camerarum serio excluderentur, multasque deterioris notæ monetas turpis lucri causa procusas fuisse.

His

His conjecturis, quandoquidem nihil adhuc de vera literarum ABC. in hoc Numo significatione adduci potuit, quod omni ex parte satisfaciat, unam insuper, quæ forte verisimilior apparebit, adjicere liceat. Tres hæ literæ hoc situ sunt, ut etiam pro BAC sumi possint; atque sic sumptas nunc interpretor BACH, vel BACS, Oppidum sede quondam Episcopali illustre, locum procusæ præsentis monetæ. Favet huic interpretationi utcunque hæc observatio, quod in Decreto Caroli Roberti mentio fiat antiquorum denariorum *Pachiensium* his verbis: „& quod universos *denarios antiquos*, aut Viennenses grossos, tam Boëmiales, quam *Pachienses*, & alios cujuscunque formæ extent — — in formam denariorum nostrorum redigi facere teneantur."

De Numis *Andreæ II.* ex ære Cyprio signatis, agetur post descriptos *Belæ IV.* Numos æreos. Numismatis vero aurei, pro ELISABETHA Andreæ hujus filia recentius procusi, descriptionem, ad finem præsentis Capitis rejicere visum est.

§. XIX.

Monetæ BELAE IV. Regis, ab Anno 1235—1270.

1. VNGARIE. Rex coronatus sedens d. globum crucigerum, s. crucem longam, seu sceptrum crucigerum.

✠ REX BELA QVARTVS. In circulo Agnus capite nimbato crucem longam dextro pede sustinens. *Den. arg. Univ. Pest.* Vid. Tab. II. N. 52.

Tab. II N. 52.

Ex omnibus non primæ tantum, verum & secundæ Periodi Regibus Hungariæ hic unicus est, qui in moneta sua, quotusnam esset ejus, quod gerebat, nominis, aperte exprimi voluit, permagno legentium commodo; nec enim disceptationi locus relinquitur, ad quotum Belam præsens denarius pertineat, cum in eo diserte legatur

gatur QVARTVS. Agnus paſchalis in Denario *Andreæ II.* ut vidimus, vexillifer eſt, in hoc *Belæ IV.* crucifer; nulla enim lacinia de cruce pendula iſthic obſervatur. Inter liberas, regiasque Hungariæ civitates reperio binas, in quarum ſigillis idem agnus cum vexillo repræſentatur, Trenchinium nempe, ac Debrecinum. Vid. *Cerographia Hung. Tab. IV. N. IX. & N. XXIV. p.* 171. & 189.

Similem huic noſtro Denarium *Belæ Quarti* edidit & *Joachim* cum nonnullis obſervationibus in Supplemento ad Groſchen Cabinet P. I. p. 335. Tab. XXIV. N. 17. & P. II. p. 328.

2. Nulla epigraphe in antica. In medio autem Gryphus gradiens.

In averſa: ✠ MONETA BELE REGIS IIII. Numerus hic IIII. in medio eſt inter aſtrum deſuper, & lunulam creſcentem infra, duosque globulos in lateribus. *Obolus argent. Klimonian. Quinque Eccl.* Vid. Tab. II. N. 53. *Tab. II. N. 53.*

Opinione *Felmeri* apud Joachim l. cit. P. II. p. 26. Gryphus Ducatum Styriæ, ſtella, & luna Bosniam, provincias ſub Rege Bela IV. adquiſitas, indicant. Mirum, ſi jam Bela IV. res a ſe geſtas in Numis monetæ uſitatæ exprimere cœpiſſet. Verum conſtat, inſigne Ducatus Styriæ Pantheram eſſe coronatam, flammas eructantem, additisque capiti cornibus Tauri horridam. Scutum, Panthera hujusmodi inſignitum, *Aquilinus Julius Cæſar* præfigit ſuis Annalibus Ducatus Styriæ, adjectis hiſce verſibus:

Styria, Alexandri Pantheram emblema Monarchæ,
Fert clypeo, Styriæ ſceptra Monarcha tenet.
Arma parit, ferri mater, ſibi cornua Tauri
Hoſtibus iratis, illa ſit ira, ſuis.

Præterea ſtella, & luna, etſi occurrant in Sigillo majeſtatico Belæ IV. quod Ad. *Kollar* in libro de Jure Patronatus Reg. Hung. p. 42. edidit, non tamen inter ceteros Regnorum titulos invenitur *Bosniæ* mentio, quia nempe ſigna hæc non ita ſunt *Bosniæ* propria, ut non alio

etiam

etiam sensu in Numis, & Sigillis adhiberi possint. Quonam ergo, inquis, sine in hac Belæ IV. moneta Gryphus est? Ajo: Sæculi morem fuisse, ut in monetis alia inter signa sæpe etiam animalia diversi generis, vera & fabulosa, exprimerentur, Agni, Gryphi, Sphinges, Dracones, Leones, Aquilæ, Columbæ &c. nullo certo sensu, sed causa varietatis tantum, quoniam illis temporibus quovis fere anno novam placuit signare monetam, veteri abolita, propter Cameræ lucrum, de quo nobis in hoc opere alibi agendum erit.

3. ✠ REX. BELA. K. Caput Regis coronatum, pectore tenus. In aversa sine inscriptione Aquila, an Columba? incertum.
Tab. II. N. 54. *Obolus arg. Univ. Pest.* Vid. Tab. II. N. 54.

Laudatus *Felmerus* apud Joachim l. cit. P. II. p. 23. præsentem numulum largitur *Belæ Secundo*, duabus de causis, primum, quia nomini *Belæ* subjungitur nota quædam, similis literæ H, quam esse numerum romanum II. suspicatur: dein quia Regis vultus in hoc numulo juvenilis est, qui propterea nec *Belæ Tertii*, nec *Quarti* esse potest, sed solius Belæ II. qui anno ætatis suæ vicesimo obiit. Utrumque tamen criterium fallax est; nam quæ nota nomen Belæ subsequitur, non H est, sed inversum K pro Θ ad significandum *Quartum* verisimilier adhibitum. Vultus autem juvenilis indicio est, hunc numulum primis *Belæ Quarti* annis procusum fuisse. Adde fabricam hujus monetæ, spectatis figuris, longe commodiorem esse, quam ut Belæ Secundi temporibus congruat. Nimium quoque est, quod idem *Felmerus* asseverat, aquilam, in aversa exstantem, priscorum Hungariæ Regum insigne fuisse, quamvis id auctoritate *Bonfinii*, qui Dec. 2. Lib. 9. scribit, Carolum Robertum Struthione pro aquila usum fuisse, firmare videatur. Certe Sigilla Regum primæ Periodi minime id ostendunt. In monetis autem utut nonnunquam tempore Belæ IV. usque ad Carolum Robertum aves compareant, ad gentilitia tamen Regum insignia tam parum pertinere

videntur,

videntur, quam alia, quæ in aliis eorundem Numis occurrunt, animalia, de quibus paullo ante dictum est, pro arbitrio dumtaxat adsumpta fuisse.

4. Nulla epigraphe. In medio ales expansis alis.

In aversa est eadem figura, sed introcusa. *Numulus argenteus bracteatus Comitis FESTETICS.* Vid. Tab. II. N. 55. *Tab. II. N.* 55.

Effigies alitis per omnia similis illi, quam in præcedente moneta vidimus, causa est, cur & hunc bracteatum numulum, licet omni destitutum inscriptione, inter monetas *Belæ Quarti* recensere visum sit.

Primum bracteati cavique numuli hungarici exemplum produximus Cap. præced. §. XIII. in monetis *Belæ Secundi.* De origine bracteatorum, cavorumque idgenus numorum variant sententiæ. Tilmanus Frisius in laudato Speculo Monetali Lib. 3. Cap. 3, & 4. audet affirmare, hoc monetæ genus jam sub ipsum æræ Christianæ initium quibusdam Hispaniarum populis fuisse familiare, & ad Gothos, Slavos, Germanosque Sæculo VI. & VII. propagatum esse. Testes nominat Strabonem, Methodium, Procopium, Cassiodorum, apud quos tamen nihil omnino huc pertinens reperire est.

Alii bracteatos, cavosque hujus generis numos in Suecia, regnante *Biorno,* sub finem Sæculi VIII. ortos, inde in Daniam Sæculo IX. ac per Germaniam Sæculo X. diffusos arbitrati sunt. Vid. *Histoire & Memoires de l' Academie des Inscriptions, & des belles lettres Tom. XXIII. p.* 212. Christophorus *Olearius* hoc argumentum pertractans, in *Isagoge ad Numophylacium bracteatorum,* sic scribit: „Quando hi Numi primum fuerint percussi, nullibi certum colligere licuit tempus. Ex Numis ipsis hactenus observatum, jam *Othonis* tempore tales fuisse formatos.“ Intelligit Auctor hoc loco Magnum Othonem Germaniæ ab anno 936. ad 973. Imperatorem, consentitque *Sperlingius* initia idgenus bracteatorum non posse ul-

tra Othonem Magnum promoveri. Vid. *Ejusd. Epist. de Num. bract. orig.* Qui tamen, & cum illo *Ludewigius*, hisque recentior Adauctus *Voigt* fatentur, ne unum quidem ex hoc bracteatorum genere hactenus innotuisse, quem certo constet *Othonis* Magni ætate, aut sub finem Sæculi X. aut saltem circa initium Sæculi XI. fuisse procusum. Igitur e sententia *Sperlingii*, vix hæc moneta in Germania ante Sæculum XII. invaluerit. Quos enim *Olearius* Sæculi XI. esse arbitrabatur, eos omnes non dubiis indiciis Otho *Sperlingius* ad Sæculum partim XII. partim XIII. immo & XIV. ac XV. reduxit. Ceterum quod ad XI. Sæculum attinet, post inventos in Abbatia Gengenbachiensi anno 1736. veros idgenus bracteatos Imperatorum Germaniæ *Henrici II.* & *Conradi II.* nec non *Verneri*, his Imperatoribus coævi Episcopi Argentoratensis, Numos, dubitare non amplius licet, quin usus *bracteatorum* in Germania jam circa ipsum Sæculi XI. initium viguerit. Numos nunc memoratos cum observationibus *Schoepflini* vide supr. cit. *Tomo XXIII.* Actorum Parisiensium p. 212.

§. XX.

De monetis ex ære Cyprio signatis sub Regibus ANDREA II. BELA IV. STEPHANO V.

Agendum nunc est de peculiari Numorum *cupreorum*, in prima Regum Periodo, Sæculo XIII. signatorum, genere, quorum ingens hodieque superest numerus. Magnitudo, ac figurarum typus, qualem *Tab. II. N. 56. & 57.* oculis subjicimus, constans est in omnibus, nempe duo Reges coronati sedentes cum Sceptro liligero in dextra, & pomo crucigero in sinistra, unam Numi partem occupant, alteram vero Icon Mariana, quam talem esse, nisi constans itidem perigraphe: ✝SANCTA MARIA✝ doceret, ob summam figuræ deformitatem, vix ullus crederet. Non minor est ruditas, ac barbaries in figuris Regum, & characteribus inscriptionum, ad eorun-

Tab. II. N. 56. & 57.

dem

dem latera conſpicuarum, quæ ſæpe in aliis aliæ reperiuntur, ac in multis quidem tam confuſæ, ut ægre poſſint literarum elementa diſcerni, ex quibus nomina amborum Regum erui oporteret. Orbibus ſunt non omnes planis, nam occurrunt etiam parte una convexi, altera concavi ad modum græcanicorum medii ævi Numorum, qui *Caucii*, *Scyphati*, vel etiam *ſquifati*, ab exteriore forma ſua, nuncupati fuerunt. — Vulgus illiteratum Turcicas eſſe monetas, quibus Majores ſui Sæculo XVI. aſſueverunt, primo adſpectu opinatur; doctiores formam in iis Byzantinorum agnoſcunt, ſed, poſtquam in compluribus nomen *Belæ Regis*, non abruptum veluti in propoſito *Tab. II. numismate* 56. ſed integre ſcriptum detexerunt, legeruntque, citra omnem jam controverſiam cupreas hujus generis monetas pro hungaricis habent, quæ tempore *Belæ Quarti*, cum filio *Stephano* regnantis, cuſæ, ſignatæque fuerunt.

Exſtant enim reapſe, & non paucas propriis vidi oculis, in quibus REX BELA in dextro, & REX STS. in ſiniſtro margine, juxta Reges in throno ſedentes, diſtincte legitur. Compendio STS. indicari *Stephanum* facile intelligitur. Quocirca mihi nullum eſt dubium, quin etiam hæc numismata ærea, quæ hic *Tab. II.* N. 56. & 57. depicta exhibemus, eosdem Reges *Belam IV.* hujusque filium *Stephanum V.* Regni conſortem repræſentent, ut ut in priore ſcriptum eſſe videatur a dextris REX REA a ſiniſtris REX ∾ TS. in poſteriore autem a dextris CP AL. a ſiniſtris CN & lunulæ quædam vario ſitu. Quæ non aliud ſunt, quam menda rudiſſimi, atque ut ſuſpicor, græci inciſoris. In aliis ſimilibus Numis obſervavi etiam alterius partis epigraphen, non rite expreſſam, veluti SANCTIA pro SANCTA, & in uno SNRΓATRA pro SANCTA MARIA. Teſtor nihilominus, me, utut permultos hujus generis Numos (nam Peſtinum præcipue, ac Buda iis abundat) manibus oculisque pertractaverim, ne unicum tamen deprehendiſſe, in quo ad imagines

 duorum

duorum Regum sedentium distincte sculptum apparuisset, hinc R∾A. inde vero RE∾B. quibus procul dubio siglis indicaretur *Rex Andreas*, *Rex Bela*. Quas tamen siglas adesse in isto, qui apud *Joachim* in Museo Grossorum (*Groschen Cabinet* 2. *Band. Tab. XXXVI. N.* 4.) editus est, & ipse *Joachim* ibid. pag. 648. affirmat, & alius quidam in Viennensibus Indiciis (*K. K. privilegirte Anzeigen II. Jahrgang XIII. Stück* 1772. p. 97.) fidenter asseverat, eaque de causa uterque aliis persuadere nititur, primum cupreæ hujusmodi monetæ, adeoque simul iconis Marianæ, in eadem exsculptæ, Auctorem fuisse non *Belam Quartum*, sed hujus patrem *Andream II. Hierosolymitanum*. Quam quidem sententiam citra omnem tergiversationem amplecterer, modo præter Joachimicum, in quo, uti depictus *l. cit.* proponitur, literas quidem video a dextris A∾CA, a sinistris vero RC∾B. non tamen, uti prætenditur, hinc R∾A. inde RE∾B. modo, inquam, præter hunc alius ex hoc genere mihi innotesceret, in quo vel hæ siglæ, nullis aliis interceptæ, apparerent, vel nomen Andreas integre, veluti BELAE nomen in quibusdam, exprimeretur. Donec vero tale numisma producatur, communi adhærere malim opinioni, quam & Ill. Episc. Franc. Car. PALMA quondam sequebatur, hæc in suo Heraldicæ Regni Hung. Specimine p. 50. scribens: „Si Cimeliis, inquit, quæ mihi videre, accuratiusque licuit perlustrare, fides, primus omnium in domestica Periodo effigie Mariana insignis apparet *Belæ IV.* Numus. Est ille formæ lenticularis, operisque rudissimi. Parte altera *Belam* Regem cum *Stephano* filio refert; altera Deiparam Virginem, quæ dextra sceptrum liligerum, sinistro autem sinu, quantum ego quidem assequor, divinum puerum sustinet, cum epigraphe *Sancta Maria a*). Authorne iconis hujus *Bela IV.* dici possit, an secus; non ego

---

a) Effigies Deiparæ in omnibus his, quos vidi, Numis est sine Jesulo, uti etiam in monetis byzantinis medii ævi.

ego hic jam diſputo: illud certum, Numum hunc illius in divinam Matrem pietatis luculentiſſimum eſſe monumentum." Eodem hoc libro Illuſtr. hic Auctor Samuelem *Timonem*, & alium quemdam Cerographiæ Hung. Auctorem, qui imaginem Deiparæ jam ſub divo Rege *Stephano* non in vexillis modo, ſignisque militaribus, verum etiam in Numis fulſiſſe, & quidem ſub Sancto *Ladislao* jam in aureis etiam rutilaſſe aſſeruerunt, refellit.

Quæri ſolet præterea, quas cauſas habere potuerint ſive jam *Andreas II.* ſive poſt hunc *Bela IV.* cupreas procudendi monetas, ſignandique hujuscemodi imaginibus. Si de *Andrea* ſit ſermo. Rex hic poſt ſuum ex Palæſtina reditum rationes ærarii ſui adeo perturbatas invenit, ut datis ad ſummum Pontificem literis queſtus fuerit, ſuos theſauros per abſentiam ita fuiſſe direptos, ut nec annorum quindecim ſpatio quavis adhibita diligentia reparari poſſe ſperet *a*). Hæc igitur prima potuit eſſe cauſa inducendæ pecuniæ cupreæ ob argenti ſignandi inopiam. Altera vero, ſtudium forte imitandi hac in parte Imperatores Orientis, quibus adfinitate jungebatur. Secum enim adduxerat *Mariam*, Theodori Laſcaris filiam, quam *Belæ* primogenito ſuo deſpondit. Ex eadem imitatione procedere poterat, cur in his ſat magni voluminis Numis parte una ſuam, ſuique filii Regis junioris, altera vero Deiparæ Virginis effigiem eſſe voluerit. Certe omnia in his monetis imitationem conſuetudinis byzantinæ eorum temporum redolent, ipſum æs cyprium, magnitudo Numi, forma modo plana, modo lenticularis; effigies duorum Principum ſimul regnantium, ornatus regius unionibus diſtinctus, totius denique picturæ modus artificem græco-barbarum ſpirat, diverſum certe ab illo, qui pro argenteis Andreæ, & Belæ monetis typaria paraverat. Quæ vero cauſæ *Andream II.* inducere poterant

ad

---

a) Vid. KATONA T. V. Reg. Hung. p. 299. ſeqq.

ad ſignandas hujus generis ex ære monetas, iisdem, aut ſimilibus cauſis reapſe hujus filium Belam IV. inductum fuiſſe, ut cuſionem cuprearum idgenus monetarum permitteret, aut juberet, credere licet, præcipue ſi id poſt illatas a Tartaris Regno Hungariæ clades factum eſſe cogitemus. Neceſſitas impulerit, ut argenti defectus ære Cyprio ſuppleretur. Græcum in hoc morem imitari uxor græca perſuaſerit: fors & hoc illius datum eſt nomini, ut *Mariana icon* imprimeretur novæ monetæ cupreæ, & parte altera filius Regni conſors, poſt ſimultates, ac diſcordias ſibi per matrem conciliatus, ſecum in eadem moneta effigiaretur. Sed, quicquid ſit, Numi ſuperſtites, id quod nullis aliis monumentis conſignatum eſt, certos nos reddunt, tempore *Belæ IV.* cupream monetam apud Hungaros in uſu fuiſſe, nec enim credibile eſt, hos Numos illa ætate ſolius memoriæ cauſa, miſſilium inſtar, fabrefactos fuiſſe. Ceterum, qui *Belam IV.* ſecuti ſunt Reges, a cuſione cuprearum monetarum, abſtinuere.

Numophylacium R. Univerſitatis Peſtienſis poſſidet Numiſma unum argenteum, forma, modulo, typo cupreis numis, de quibus nunc egimus ſimile, ſed, ut mihi videtur, manu recentiore fuſum, ex argento admodum impuro.

§. XXI.

Obulus arg. STEPHANI V. Regis, ab Anno 1270, 1272.

Rex coronatus ſedens d. globum crucigerum, ſ. ſceptrum in cruculam deſinens. In area tres ſtellulæ, & ſigla K.

In averſa, Numi medium occupat epigraphe: STEPHAN

Tab. II. N. 60. REX. & quatuor roſæ. *Univ. Peſt.* Vid. Tab. II. N. 60.

Similem numulum argenteum *Felmerus* non *Quinto*, ſed *Tertio Stephano* tribuit, binis de cauſis, quod nempe fabrica numuli

Stephano

Stephano Quinto vetustior appareat, quodque tres illas, quæ circa Regis effigiem visuntur, stellulas ad gentilitia Agnetis Austriacæ, Stephano Tertio nuptæ, insignia pertinere existimat. Sed hoc alterum nullo probari posse documento, ipse *Joachimus*, numuli Felmeriani, & observationis ejusdem editor, notavit *cit. Supplem. P. II. p.* 27. Quod vero ad fabricam hujus monetæ attinet, pro *Quinto* magis, quam *Tertio* Stephano criterium esse potest. Nam & Regis effigies, & literæ nominis tam commode in hoc numulo exprimuntur, ut verisimile non sit, artem monetariam in Hungaria jam sub Stephano *Tertio* istum attigisse gradum. Stellulæ in area anticæ, perinde ac rosulæ in aversa, literis Nominis Stephanei additæ, arbitraria sunt ornamenta, cruculis, quibus antea spatia in Numo vacua repleri solebant, substituta. Sigla K. indicat *Kremnicium*, signatæ monetæ locum, quæ nunc primum, deinceps vero, in secunda ac tertia Periodo sæpissime in monetis hungaricis comparebit. Exstat apud Car. *Wagner* P. I. Analect. Scepus. p. 191. privilegium anni 1271. quo *Stephanus V.* permittit, ut nova sua moneta esset *combustionis quintæ*, id est, ex argento, quinta parte cupri temperato.

§. XXII.

Monetæ LADISLAI Chuni, Regis ab Anno 1272—1290.

1. LAZLA. Singulis literis per unam stellulam, vel flosculum dispunctis. In medio Avis, columba forte potius, quam Aquila.

In *aversa*: Quadrupes animal, incertum cujus generis. Infra quod stella, & in latere circellus, vel globulus. *Obol. arg. Klimon. Quinque Eccl.* Vid. *Tab. II. N.* 61. *Tab. II. N.* 61.

Epigraphe hujus numuli LAZLA est hungarica pro LADISLAVS. Hoc nomen Sæculo XIV. Hungari scripsere LACZLO, uti ex P. II. Chronici Thurocziani colligere licet, ubi LXXVII^{vo} Capiti

piti hic titulus præfigitur: *De coronatione Regis Ladislai Quarti*, *filii Regis Stephani Quinti*, *qui KWN LACZLO dictus*. Conſtat Literam A in multorum vocabulorum pronunciatione ſono ad O accedere apud Hungaros; igitur ſcriptum in præſente numulo LAZLA pronunciandum videtur LAZLO, idem quod LADLAVS in antiquioribus, quas præc. Cap. deſcripſimus, monetis, ubi de uſitata literæ D & Z permutatione dictum eſt. Exteris etiam Scriptoribus interdum *Lazlaus* pro *Ladislao* uſurpatur. Ex. c. In Chronico Neoburgenſi ad *Annum* 1161. *&* *ſequ.* de *Ladislao II.* Hungariæ Rege ſic ſcriptum eſt: *Lazlaus frater defuncti Regnum invadit.* Et poſt pauca: *Lazlaus obiit* a).

Sed, quid cauſæ eſt, quod præſens numulus *Quarto* potius *Ladislao*, cognomine *Chuno*, quam vel *Secundo*, vel *Tertio* adſcribendus videatur? Nempe priores illi duo, vix deguſtato Regno, e vivis exceſſere, ideoque dubium eſſe poteſt, an illorum nomine Numi aliqui procuſi fuerint; Ladislaus vero Chunus annis 17. & paullo amplius regnavit. Deinde operis ratio, quæ in hoc noſtro numulo elucet, Chuni potius, quam cujuscunque alterius ex prima Periodo Ladislai ævum ſapit. Alitis figura ſimillima eſt ei, quam *Bela IV.* Ladislai Chuni avus in nonnulis monetis ſuis habet. — *Felmerus* apud *Joachim* l. ſupr. cit. floſculos cum ſtellulis, quibus epigraphe LAZLA interpungitur, pro liliis habet, putatque iis deſignari nexum Ladislai Chuni cum Domo Andegavenſi ob connubium Eliſabethæ, ex Carolo I. utriusque Siciliæ Rege, & Beatrice Provinciæ, & Forcalqueri in Gallia Comite, progenitæ.

Quam conjecturam ſi *Felmero* licuit formare ex meris literarum per ſtellulas, & floſculos interpunctionibus, an non potiori jure affirmare licebit animal illud quadrupes ignotum, quod in parte averſa medium hujus numuli occupat, itidem heraldicum eſſe, *Leo-*

nem

a) Vid. *Chron. Neob.* apud *Pez* T. I. *Scriptorum Auſtriac.*

nem ſcilicet *Cumanum* ruditer effictum. *Cumania* enim, vetus Hungariæ provincia, pro armis ſuis Leonem habet erectum inter ſtellam, & lunam, teſte Petro de Rewa *Monarch. & S. Coron. Centur. VII.* & Auctore Cerographiæ Hung. p. 61. Habuit vero Ladislaus IV. matrem Cumanam, rebusque Cumanorum adeo delectabatur, ut *Chunus*, ſive *Cumanus* vulgo fuerit appellatus. Opinioni huic favere videtur, ſubjecta Quadrupedi animali ſtella, & ad latus quidpiam lunæ plenæ non abſimile.

2. REX LADISLA. Caput Regis coronatum.

In averſa parte: Angelus haſta confodiens Draconem, in area B. *Obolus argent.* editus ab Joachim T. II. Groſchen Cabinet Tab. XXXVI. N. 2. & deſcriptus *ibidem* p. 641. *ſeqq.*

Typum Angeli, ſive Michaelis Archangeli, haſta Draconem confodientis vidimus in uno ex numis *Belæ III.* qui hic *Tab. II. N.* 43. depictus eſt; nunc igitur altera jam vice in monetis hungaricis hic Sanctus hac forma recurrit. At vero *Joachimus l. cit.* poſteriorem hunc numulum arbitratur eſſe antiquiorem, Sæculi nimirum XI^mi^, & pertinere ad *S. Ladislaum I.* idque, quod mireris, propterea, quod elegantior ſit, quam ut Sæculo XIII. conveniat. Quaſi vero ars figuras in Numis exſculpendi Sæculo *Undecimo* perfectior fuiſſet, quam *Tertiodecimo.* Conferantur, quæſo, in Tabulis noſtris imagines Sæculi *Undecimi* depictæ; in monetis *Salomonis Tab. I. N.* 20. 21. *& ſeqq.* & *Sancti Ladislai* N. 27. cum his, quæ Sæculo *Tertiodecimo* in Numis *Belæ III.* Tab. II. N. 43. 44. 46. 48. *Andreæ II.* N. 50. *Belæ IV.* N. 52. 53. 54. *Stephani V.* N. 60. conſpiciuntur, & primo ſtatim intuitu, quantum ſua opinione fallatur *Joachimus*, patebit. Sed ignoſcendum eſt viro de Numismatica Hungariæ non male merito. Nam, ut ſuo ſe prodit indicio, de arte ſculptarum in monetis imaginum, Sæculo *Tertiodecimo* propria, unice ex cupreis *Belæ IV.* & *Stephani V.* Numis, de quibus

§. XIX. egimus, quosque *Tab. II. N.* 36. & 37. delineatos exhibemus, judicium tulit, argenteis aliis, quos commemoravimus, penitus neglectis, ac posthabitis. — Sigla B prodit hunc numulum fuisse *Budæ* signatum. Quod *Joachimus* cum ignoraret, de *Bruxellis* Brabantiæ cogitavit, non ausus tamen Bruxellensem certo affirmare ob *Ladislai* Regis nomen parte altera inscriptum. Vid. *Neu-eröfnetes Groschen Cabinet T. II. p.* 646.

§. XXIII.

Monetæ ANDREAE III. Veneti, ab Anno 1290—1301.

1. ✝ REX ANDREA. Circulus granulatus, in quo caput imberbe Regis coronati.

In aversa parte. Caput, ornatu, ut videtur, muliebri. *Obolus argenteus. C. Festetics.* Vid. Tab. II. N. 62.

Tab. II. N. 62.

2. REN (*mendose pro REX*) ANDREAS. In medio circulus granulatus, in quo Protome Regis coronati d. globum crucigerum, sinistra Sceptrum itidem crucigerum tenentis.

In aversa: Duo capita coronata, inter quæ crux lata insistens coronæ supra literam M positæ. *Obol. arg. Ibidem.* Vid. Tab. II. N. 63.

Tab. II. N. 63.

E solis fere caussis artis monetalis, exeunti Tertiodecimo Sæculo propriæ, hos numulos non primo, nec secundo, verum Tertio Andreæ, cognomine Veneto, adscribo. Quamquam nec alia desunt indicia. Videtur enim in parte aversa prioris Numi caput esse Thomasinæ *Maurocenæ*, matris Andreæ III. & in aversa posterioris monetæ crux gentilitia *Maurocenorum* ob literam coronatam M. cui insistit; capita vero duo coronata eorum esse Regum Hungariæ arbitror, ad quos *Andreas III.* originem suam per Patrem suum *Stephanum* referebat, scilicet *Andream II.* qui avus, & *Belam IV.* qui

pa-

patruus suus erat. Opinioni huic utcunque favent, quæ *Bonfinius* Dec. 2. Lib. IX. in laudem *Andreæ III.* cognomine Veneti, scribit his verbis: „Cum, inquit, a Stephano, Andreæ regis filio, & Thomasina Maurocena natus esset, gentilitia matris insignia usurpavit, & crucis tantum circulum, ut a ceteris Maurocenorum agnosceretur, inseruit. Parentis nobilitatem usque adeo præveneratus, ut rerum potitus, humilioris fortunæ insignia, præ matris amore, & illius urbis reverentia non spreverit.“ — Nullus quidem in hoc, de quo nunc agitur, numulo insertus est cruci circulus, qualem *Bonfinius* commemorat, sed suis in sigillis *Andreas III.* hoc discerniculo interdum fuit usus, idque exemplo *Andreæ II.* Hierosolymitani, avi sui, fratrisque *Stephani V.* ac decessoris sui *Ladislai* Chuni, inter quorum sigilla certum est inveniri nonnulla, quæ parte aversa crucem & quidem geminam, cum circulo adpenso exhibent. Ectypa idgenus sigillorum vidi in collectione *Prayana* T. III. p. 117.

§. XXIV.

Recensio Numorum, nullo Regis nomine inscriptorum, ad primam tamen Periodum spectantium.

1. - - - NGARIE. Protome Regis coronati.

Lupus, uti apparet, agnum depascens. *Den. argenteus. C. Festetics.*

2. Vir stricto acinace cum leone decertans.

MOITA VNGARIE. *Sic.* Crux lata æquilatera, & quatuor globuli. Omnia intra corollam. *Obol. arg. ibidem.*

3. Duo capita coronata, inter quæ crux longa cum basi arcuata, in medio habens circellum. Epigraphe nulla.

In parte aversa leo erectus. *Obolus argenteus. Univers. Pest.* Vid. Tab. II. N. 58. *Tab. II. N. 58.*

 Nonnul-

Nonnulli hunc numulum ad *Belam IV.* cum *Stephano* filio regnantem referunt. Ipse suspicor esse *Andreæ III.* Veneti ob circellum cruci affixum, & ob aliquam cum numulo eadem Tab. II. N. 63. proposito similitudinem, spectatis duobus capitibus coronatis cruce intermedia, quem ad Andream III. præcedente §pho retuli.

4. Caput coronatum supra crucem patriarchalem inter binas turres conspicuum, sine inscriptione.

Tab. II. N. 64. In aversa parte, Sphynx coronata, alata. *Obol. argent. Univ. Pest.* Vid. Tab. II. N. 64.

Numulus hic ob formam crucis patriarchalis existimatur esse *Belæ Tertii*, vel *Quarti*.

5. Sceptrum situ horizontali inter binas cruces, lunulis impositas, & duo S, quorum unum supra, alterum infra sceptrum est.

Tab. II. N. 65. Parte aversa. Sceptrum in duo quasi lilia, circulo inclusum. *Obulus argent. ibidem.* Vid. Tab. II. N. 65.

Ob literam S hic numulus tribui potest *Stephano III.* vel *IVto*.

6. Sceptrum situ horizontali, supra quod in area tres cruculæ media majore, forma consueta, duabus vero aliis minoribus superne arcuatis, juxta tres globuli, ac duo veluti clavi. Infra sceptrum quasi L I. inter duas cruculas.

In aversa, in medio rursus quasi L & I sed sic juncta, ut quasi V. formare videantur, juxta sunt 5. globuli. Omnia circulo

Tab. II. N. 66. inclusa. *Obol. arg. Ibidem.* Vid. Tab. II. N. 66.

7. Sceptrum crucigerum cum corolla in medio, juxta sceptrum duæ cruculæ, & quatuor lunulæ, totidemque globuli.

In aversa: Crux lata æquilatera, & quatuor globuli in cir-

Tab. II. N. 67. culo. *Obol. arg. C. Festetics.* Vid. Tab. II. N. 67.

8. Crux patriarchalis, erecta super altari, forma insolita constructo.

Pars

Pars aversa penitus vacua. *Obol. arg. Ibidem.* Vid. Tab. II. N. 68. *Tab. II. N. 68.*

9. Alius similis, sed bracteatus, atque altera parte cavus, eandem utrinque crucis patriarchalis figuram exhibens. *Musei Univers. Pest.*

Inventi sunt nuper Pestini similes cum aliis bracteatis, *Belæ* nomen præseferentibus.

10. Crux lata æquilatera, & quatuor lunulæ cum totidem globulis.

In aversa: Crux circulo inclusa, & 4. globuli in majore circulo concentrico. *Obol. arg. Ibidem.* Vid. Tab. II. N. 69. *Tab. II. N. 69.*

In Russica moneta argentea idgenus globuli exprimuntur ad indicandum valorem. Idem ne censendum sit de globulis argenteæ monetæ hungaricæ in prima Periodo signatæ? penes alios arbitrium esto.

§. XXV.

Numus aureus de obitu ELISABETHAE Regis ANDREAE II. filiæ.

ELISABETA. FILIA. ANDR. REG. VNGAR. OBIIT. MARB. M. CC. XXXI; Protome Elisabethæ capite velato, coronato.

+ DISPERSIT. DEDIT. PAVP: IVST. EIVS. MANET. IN SECVL. SECVLI. Templum cum turribus. *Com. Festetics.* Vid. Tab. II. N. 70. *Tab. II. N. 70.*

Aureus hic Numus ex eorum est numero, quos Pragensis quidam Judæus Sæculo XVII. adjutus a quodam Christiano, clam fabrefecit, & pro antiquis genuinis divendidit, capitis idcirco, ut quidam affirmant, damnatus. Vid. *Tenzelii* Supplem. II. Hist. Gothanæ p. 570. *Koehlers* Münzbelustigung T. I. p. 90. & 427. item T. VI. p. 138. Adaucti *Voigt* T. II. der bœmischen Münzen p. 170. & 172. K. K. Anzeigen VI. Jahrgang p. 3. & seqq. Ex hac Impo-

storis

storis officina Numismata XXI. imaginibus diversarum illustrium personarum insignita prodiisse dicuntur, scilicet Constantini Magni, Caroli Magni, Henrici VI. Alberti I. Caroli IV. Elisabethæ &c. Haud facile est, omnia simul conquirere. Conservari merentur artis falsariorum causa, sed spurias inter merces reponenda. Præsens aureus fertur non plures, quam 5½ ducatos hung. appendere, & auro constare longe infra horum probitatem.

Annus obitus Sanctæ ELISABETHAE Hungaræ MCCXXXI. rite notatus est in hoc Numismate. Filia fuit *Andreæ II.* Hierosolymitani ex prima Conjuge *Gertrude*, in lucem edita 1207. Nupsit *Ludovico VI.* Thuringiæ Landgravio 1221. *Wartburgi.* Mortuo in sacra expeditione marito 1227. secessit *Marburgum*, ubi Nosocomio, ac Templo ædificato, profusis in egenos opibus, mortalitatem exuit 1231. quarto post anno Sanctis solemniter per Gregorium IX. adscripta. Vid. PRAY Vita S. Elisabethæ viduæ Landgraviæ Thuringiæ &c. ex MSS. Codicibus eruta. Tyrn. 1770. in 4*to.*

CAPUT QUARTUM.

De ratione totius Rei Monetalis Hungaricæ in prima Periodo Regum.

§. XXVI.

De ratione ponderum monetalium in genere, & speciatim LIBRAE.

Numorum descriptio, quam præmisimus, ad cognoscendam totius rei monetalis rationem, quam Reges Stirpis Arpadianæ tenuerunt, minime sufficit, sed necessaria est insuper doctrina ponderum, valorisque denariorum, & legum, si quæ supersunt ex illa ætate, in monetæ cudendæ negotio latarum, expositio. Quamobrem ne hæc Dissertatio altero velut lumine orba sit, jam his quoque rebus aliquam, pro virium tenuitate, affundere lucem satagam.

Libræ

Libræ modum ſub Sancto Rege Stephano, ac deinceps aliquamdiu, arbitror duplicem fuiſſe, unum ſcilicet in judiciis pro pecuniariis mulctis præſcriptum, alterum vero pro vulgari in quibusvis negotiis ponderatione auri argentique determinatum. Sit nunc de priore ſermo. Privilegium *S. Stephani* Cœnobio Benedictinorum S. Martini in monte Pannoniæ anno 1001. datum prævaricatoribus mulctam dictat *centum libras auri optimi* perſolvendas, medium Cameræ Regiæ, ac medium Monaſterio, ſuisque Rectoribus *a*). Id nonnemini (ſive is Cl. *Benczur*, ſive, ut ſuſpicio erat, doctiſſimus *Cornides* fuerit) adeo nimium pro Sæculo XI. videbatur, ut ex hoc etiam capite authentiam Privilegii impugnandam ſuſceperit. Quid ita? nimirum Stephaneas illas libras hodiernis Vindobonenſibus, quibus in Hungaria utimur, pares fuiſſe opinatus eſt; quodque mirum! non ille ſolum, ſed & alii quidam, utut Privilegii defenſores. Quod patet ex *Agamanthis Palladii reſponſis ad dubia Anonymi adverſus Privilegium S. Stephani*, ubi pag. 260. ſcriptum eſt, dictatas pro mulcta *centum libras auri optimi* valorem habere *ſedecim millium aureorum.* Qui calculus aliter ſubſiſtere nequit, quam ſi *libra* Privilegii Stephanei ſupponatur par omnino fuiſſe hodiernæ *Vindobonenſi*, quæ 16. unciis, ſive 32. ſemunciis, vulgo *lothonibus*, conſtat, & in qua uncia una capit 10, *ſemuncia* vero 5. ducatos hungaricos. Atqui idem S. Stephanus Rex, Privilegii alterius, quod anno 1008. Eccleſiæ Veſzprimienſi elargitus eſt, violatores plecti vult perſolutione *octo millium librarum auri cocti*, *b*) quod in hypotheſi nunc dicta efficeret 1280000. ducatos hung. Hoccine credibile? — Verum ajunt: Stylus medii ævi in comminatoriis idgenus formulis nullum ſæpe tenet modum. Eſto: modus tamen libræ veteris ut germanicæ, ita

&

a) Vid. KATONA T. I. Reg. Hung. p. 96.

b) Ibidem p. 148. & apud *Roka* in Vit. Præſulum Veſzprim. p. 12.

& Hungaricæ certo non idem erat, qui hodiernæ Vindobonensis. *Libra vetus Franconica*, sub Regibus Carolingicis, quibus & Pannonia Sæculo IX. parebat, constitit *unciis* XII. tantum, non vero XVI. uti nostra hodie: præterea & *unciæ* veteres hodiernis erant leviores. *Viginti denarii* efficiebant *unciam*; *duodecim* autem *Solidum* unum; atque sic in unam libram Franconicam imputabantur non plures quam 20. Solidi, denariorum 12. singuli; & numerus 240. denariorum erat libræ pondus, valorque in *argento*. Idem erat pondus *libræ auri*, sed valor duodecuplus, si purum erat aurum, & dividi solebat in 72. Solidos auri, denariorum argenteorum 40. singulos, quia *sex auri byzantini* appendebant unam unciam, sexies autem duodecim producunt 72. Fuerunt autem aurei byzantini Sæculo XI^mo^ hodiernis hungaricis si non leviores, vix tamen, aut ne vix quidem graviores. Ponamus jam, divum Regem Stephanum libram suam ad normam Franconicæ instituisse: quidni enim id supponere liceat, cum satis vel ex Libro Decretorum ejusdem constet, Capitulares Francorum leges in omnibus fere ordinandæ rei publicæ institutis ipsum præ oculis habuisse. Quod si autem est: quis jam non videt, quanto in errore sint, qui *Stephaneas* illas *centum libras auri* ad rationem hodiernarum librarum Vindobonensium exigant. Tantum enim has inter, & illas discrimen intercedit, quantum inter 16000, & 7200. aureos. Atqui & aliud præterea animadvertendum est, Germanis alias etiam illo tempore *auri libras* longe minores, in quibus nempe 72. aurei non per 40, sed per 12. tantum denarios computarentur, in usu fuisse, atque talibus reapse libris mulctas pecuniarias definivisse. Testatur id Jus feudale Saxonicum ab Joachimo p. 156. *in dem Unterricht von Münzwesen* laudatum, quod sic habet: „Zwölff Gulden zu Buss, der soll jeglicher zwölff silberne Pfenning werth seyn — — — Ein Gulden für 12. silberne Pfenning, und dieser Gulden 72. machen ein Gewicht Goldes, und das Gewicht heisst Libra.“

Libra.“ Aurei ſolidi 72. per 12. denarios computati æquivalent 864. denariis. Hæc vero Summa denariorum non plures quam $21\frac{3}{5}$. ſolidos auri per 40. den. numeratos efficit. Hoc igitur tunc fuit pretium pœnalis libræ auri. Ducantur $21\frac{3}{5}$. idgenus ſolidi in 100. & obtinebimus 2160. aureos hujusmodi, valorem nempe quæſitum Stephanearum 100. librarum auri pro mulcta impoſitarum, in hac nempe hypotheſi, quod divus Rex Stephanus in iſto etiam genere pœnalis libræ auri vicinos Germaniæ Principes imitatus fuerit. Quantum rurſus diſcrimen inter 16000, & 2160. aureos! — Ceterum *P. Adauctus Voigt T. II. Bohemicar. Monet.* p. 28. affirmat, pœnalem auri libram hac etiam leviorem aliquando in uſu fuiſſe, nimirum 12. dumtaxat ſolidis, denariorum 40. ſingulis, definitam, ut adeo 100. hujusmodi libræ auri puri non plures, quam 1200. aureos ſignificaverint Id certum eſt, medio illo ævo apud unum eundemque populum extitiſſe libras diverſorum ponderum. Charta anni 1180. ex Tabulario Meldenſi a *Ducangio* producta meminit libræ ad *parvum*, & ad *magnum pondus*, ita ut hoc illius triplum fuerit. Apud Gruterum Theſ. Inſcript. p. CXX. N. *9.* proponitur *ponderis ænei* figura cum hac inſcriptione: PONDVS CAROLI; quod ponderare dicitur tres uncias, & ſcripula viginti, id eſt, quam proxime uncias quatuor, ſeu tertiam majoris libræ, de qua paullo ante dictum eſt, partem, adeoque ipſam illam libram ad *parvum pondus* appellatam. Neque ſpernenda eſt illorum opinio, qui exiſtimant in privilegiis, ac diplomatibus Sancti Stephani per *ſingulas* auri *libras* ſingulos dumtaxat *ſolidos aureos* intelligi oportere; *a*) ideoque 100. *libras* eſſe *centum aureos* tantum, & illa *octo millia librarum auri* non

plus

a) Vid. P. Innocent. *Simonchics* Diſſ. de Numiſmatica Hung. Diplomaticæ accomodata p. 252. ſequ.

plus efficere, quam 8000. *aureorum*. Favet huic opinioni hæc obſervatio, quod S. Stephanus Lib. II. Decret. Cap. XV. pro homicidio voluntario *centum decem penſas auri* jubeat perſolvi; interpretes enim hoc loco intelligunt totidem *aureos byzantinos*, tametſi *penſa* ſecus pro pondere accipi ſoleat, ſerius quidem pro pondere *unciæ*: ſed ſub divo Stephano ſub initium Sæculi XI. etiam pro pondere minimæ cujusdam *libræ*, unicum dumtaxat valentis aureum byzantinum, ſumptam fuiſſe *penſam* quidni cogitare liceat? — Hæc interea: nam de varia diverſis temporibus *penſæ hungaricæ* ſignificatione alio agetur loco.

Ceterum his ita diſcuſſis, & expoſitis nondum utique intelligitur, quanti reipſa ponderis fuerit alia libra, non pœnalis, ſed communis, forenſis, qua illo ævo aurum, argentumque in Hungaria expendebatur. Nam, quæ hactenus diſceptata ſunt, non tam pondus ipſum, quam valorem libræ auri, denariis argenteis æſtimatum, determinant. Ad hoc igitur probe intelligendum, animadvertere imprimis oportet, hungaricam Sæculi XI. libram, non uti hodiernam in 16. uncias fuiſſe diviſam, ſed in 12. tantum more veteris Romanæ, & Franconicæ. Deinde unciam habuiſſe pondus *ſex ſolidorum auri*, ſive *byzantinorum*, qui Sæculo XI. longe, quam antea leviores erant. An recte hodiernis aureis hungaricis, quorum decem ſunt in uncia, æquiparentur, non ego hic jam diſcepto, ſed moneo dumtaxat, *denarium* fuiſſe partem *viceſimam* unciæ in libra Franconica. De pondere igitur libræ Hungaricæ, quam S. Stephanus procul dubio ad normam Franconicæ inſtituit, cenſeo judicium prudens ferri poſſe ex pondere ſuperſtitum S. Stephani denariorum. Sunt hi ex puriſſimo argento, atque ideo ut valorem, ita & pondus illud, quod communi *denarii* nomine veniebat, habuerint eſt neceſſe. Hoc exploravi, inſtituto, ac ſæpius coram aliis etiam repetito cum trutina examine, & comperi *quatuor d.narios* Sancti Regis Stephani,

phani, qui in Museo R. Univ. Pest. adservantur, esse quam proxime in æquilibrio cum aureo communi hungarico. Consectarium fuit, *viginti* idgenus *denarios*, id est, *unciam* veteris libræ Stephaneæ non multo plus adpendisse, quam hodiernos *quinque aureos*, sive *semunciam* Vindobonensis libræ nunc usitatæ. Dico, *non multo plus*, hac de causa, quod argenteos illos denarios Sancti Stephani, cum quibus experimentum factum est, utut appareant integri, per decursum tamen octo Sæculorum de suo pondere aliquantum amisisse credi potest. Hoc libræ monetalis pondus, a divo Rege Stephano constitutum, perseverasse sub reliquis Sæculi XI. Regibus, argumento mihi sunt denarii Sancti *Ladislai* pondere pares denariis Sancti Stephani. Postmodum vero sæpius immutatum, & in secunda Regum Periodo auctum fuisse inde constat, quod *auri Marca* in Tripartito Juris hung. per Verbőczium tempore *Wladislai* II. concinnato, æstimetur 72. *florenis auri.* Quid vocabulo *Marcæ*, hujusque *Fertonum* veniat, sequens *§phus* docebit.

§. XXVII.
De MARCIS, & FERTONIBUS.

Sunt, qui vocabulum *Marcæ*, seu *Marchæ* pro pondere non ante, quam sub Philippo Germaniæ Rege adhiberi cœpisse arbitrentur *a*). Antiquius esse, & in Gallia jam sub Philippo I. circa Ann. 1073. in usum venisse probat le Blanc *b*). In Hungariæ vero diplomatibus jam Ann. 1036. & seq. de *marcis argenti aurique* legimus *c*). Vocabulum hoc, origine teutonicum, significat *bessein*, sive

a) Vid. *Ducangii* Glossar. Voc. *Marca.*

b) Traité de Monnoies p. 150.

c) Vid. *Katona* T. I. Reg. Hung. p. 433. ubi *S. Stephanus* diplomate anni 1036. Monachis Ecclesiæ Ravennatensis annuum vectigal assignat

five pondus *octo unciarum*, adeoque selibram, postquam recentiore instituto libra in sedecim uncias dividi cœpit. In ponderatione auri, & argenti jam dudum, ut apud alias Europæ gentes, ita apud Hungaros quoque frequentior est *Marcæ*, quam *libræ* usus.

Ferto, vel *Fertum*, e germanico *Ferting*, quadrans est unius marcæ, sive pondus duarum unciarum. Quantum seu *Marca*, seu *Ferto* auri, argentique valuerit in prima Regum Periodo, ex his, quæ de variis *libræ* generibus supra disseruimus, colligendum est. Juvat nihilominus hoc loco adnotare, *Marcas* æque, ac *Fertones* non raro idealium instar Numismatum usurpari consuevisse, & *Marcam* quidem in fine Periodi primæ, & in sequente Periodo quam sæpissime significasse quatuor florenos auri, *Fertonem* autem unum idgenus florenum. Qua de re, uti etiam de variis marcarum in Hungaria usualium speciebus, magis idoneus erit locus agendi in proxima hujus Operis Dissertatione.

§. XXVIII.

De PENSIS, ac reliquis Periodi primæ ponderibus monetalibus.

PENSA vocabulum mediæ, & infimæ latinitatis, a pendendo, seu ponderando, derivatum, in hungaricis primæ Periodi documentis, perfrequens. *Pensas auri*, quæ Lib. 2. Decret. S. Stephani occurrunt, *Sambucus*, pluresque alii *numos aureos*, denariorum 40. singulos, interpretantur, & eodem sensu intelligi volunt *pensas*, sine addito *auri* vocabulo in Decretis Regum S. Ladislai, & Colomani memoratas. Verisimilius tamen est, *pensas auri* tempore Sancti

Stepha-

viginti quinque Marchas puri argenti. Idem in alio Anni 1037. Abbatiæ Bankobeliensi dato, violatoribus privilegii mulctam imponit *viginti marcas purissimi auri.*

Stephani significasse determinata quædam per legem *pondusćula auri*, byzantinis aureis nonnihil graviora. Videtur enim una hujus generis *pensa auri* valuisse argenti solidos $3\frac{3}{4}$, sive denarios 45. En argumentum! In Decreto S. Stephani Regis si conferatur Caput XVI. cum Capite XXXVII[mo], evidens fit, unam *auri pensam* pretium fuisse unius *juvenci a*). At vero ex ejusdem Decreti Capite XXX[mo] eruitur, *juvencum* unum in argento æstimatum fuisse *solidis* $3\frac{3}{4}$, hoc est, 45. *denariis b*). Nam non alii illic solidi quam 12. denariorum, ut in Lege pœnali esse solebant, intelligendi sunt. Igitur *pensa auri*, quæ regnante divo Stephano pretium erat unius juvenci, fuerit oportet pondusculum auri valore 45. denariorum *c*). Paullo serius tamen *pensa* Numi idealis instar ad significandam summam, sive numerum 40. denariorum adhiberi cœpit: quod a temporibus *Belæ I.* repeto, qui postea, quam decrevisset liberum per Hungariam *aureorum byzantinorum* usum, & *aurei* hujusmodi valorem 40. *denariis* monetæ hungaricæ definivisset, testibus Chronographis, Simone de Keza, & Johanne de *Thurocz*, mox eo ipso id effecerit, ut posthac *pensæ* vocabulum non amplius pro 45. sed jam pro 40. denariorum numero adsumeretur. Itaque tenendum est, in Decretis S. Ladislai, & Colomani pensam non plures, quam 40. denarios, id est, unum aureum solidum significare, & hoc fuisse judiciale pretium juvenci in Lege, quæ habetur Lib. 3. Decr. S. Ladislai Cap. XXIX. his verbis: „Si quis servum fugitivum, vel quodcunque perdi-

a) Vid. in Corp. Jur. Hung. Lib. 2. Dec. S. Steph. Cap. XVI. pro homicidio voluntario mulcta est *centum decem pensarum auri.* Capite autem XXXVII. homicidium voluntarium luitur persolutione totidem, id est, *centum decem juvencorum.*

b) Cap. XXX. Sedecim juvenci æstimantur *solidis sexaginta.* Unus itaque juvencus valet solidos $3\frac{3}{4}$. Nam $\frac{60}{16}=3\frac{3}{4}$.

c) Idem sentit P. Innocentius *Simonchics* e S. P. cit. Diss. p. 158.

perditum, quærere voluerit, a nemine prohibeatur. Si quis autem prohibuerit, vel quærentem verberaverit, *decem juvencis mulctabitur, valentibus decem pensas.* Equidem non ignoro sententiæ meæ adversari peritissimum Juris Hungarici *Szegedium*, qui in *Vit. & Decret. Reg. Hung.* p. 132. scribit in hac Lege unumquemque juvencum *decem pensis* æstimari. Nam, ait ille, in Verböcziano Trip. Jur. Hung. P. I. Tit. 133. Juvenci, seu bovis pretium legale est *Marca gravis ponderis*, valens 4. florenos, seu 400. denarios, qui utique conficiunt *decem pensas* denariorum quadraginta singulas. Ita sane: sed Verböcziana bovis æstimatio pertinet ad ætatem *Wladislai II.* non vero Sancti *Ladislai*, qui quatuor fere Seculis præcesserat; & in hujus lege non est scriptum; *decem juvencis mulctabitur*, quorum unusquisque valet decem pensas, sed *valentibus decem pensas*, seu, qui simul sumpti valent decem pensas, adeoque unus unam pensam, seu unum solidum auri denariis 40. computatum, quali solido quondam reipsa bos unus æstimabatur, uti constat ex Capitularibus Francorum, aliisque documentis in prima hujus Operis Dissert. Cap. V. §. XL. laudatis. In recentioribus quidem Corporis Juris Hungarici editionibus ab anno, ni fallor, 1751. ad hanc S. Ladislai Legem, de qua nunc agimus, adjecta est sub Lit. D. hæc Glossa: *Decem pensæ, quævis 40. denariorum, faciunt Marcam unam gravis ponderis, seu flor. 4. Itaque mulcta 10. juvencorum, est mulcta 40. flor. Juvencus enim, aut bos æstimabatur ad 1. Marcam gravis ponderis. P. II. tit.* 133." Verum hæc Glossa e *Szegedio* sumpta est. In antiquioribus enim editionibus, ex c. 1696. non invenitur, sed ejus loco alia est, eaque, opinione mea, melior, nimirum hæc: *Etiam de jure civili fugitivum occultans, viginti solidis tenetur. C. de Jer. fug. l. quicunque. Solidus autem est aureus Romanus.* cet. Optima vero ibidem est Nota marginalis hæc: *Vide Decr. S. Stephani lib.* 2. *cap.* 25. Reipsa enim S. Ladislaus legem condens de servo fugitivo, vel perdito,

dito, non tam respexit ad vetustiorem legem Juris Civilis Romani, quam ad recentiorem hanc Sancti Stephani, qua is, a quo percussus fuerit servum fugitivum quærens, condemnatur ad pendendam mulctam *decem juvencorum*. Quod cum ita sit, rursus patet, sensum Legis *Ladislaianæ* de decem juvencis valentibus decem pensas, non hunc esse, quasi quivis juvencus decem pensis æstimaretur, sed potius hoc fuisse pretium judiciale decem juvencorum simul sumptorum, adeoque unius juvenci unam pensam; quoniam, ut supra demonstratum est, etiam lege *Stephanea* non majus erat unius pretium juvenci. Respexit autem *S. Stephanus* hanc legem condens non tam ad antiquius Jus Civile Romanum, quam ad recentius Francorum, quo ita prorsus, ut jam diximus, in mulctis æstimari solebat juvencus, seu bos unus.

Pensa ergo 40. denariorum sub Regibus Sæculi XI. valebat juvencum, valebat unum auri solidum. Sed hic *Pensæ* valor decursu temporis decrevit, ejusque ratio ad *marcam* sensim magis, ac magis fuit immutata, postquam denarii leviores, & ex argento minus puro cudi cœperunt. *Pensa* 40. denariorum puri argenti, quales ex uncia *viginti* tantum signabantur Sæculo XI. æquabat quadrantem marcæ argenti puri, at vero *Pensa* totidem denariorum, sed jam leviorum, & ex argento minus puro percussorum Sæculis posterioribus non amplius quartam, sed quintam, sextam, dein octavam Marcæ partem efficiebat. Literæ Capituli Zagrabiensis de anno 1272. & Nicolai Bani de anno 1279. *a*) commemorant marcas denariorum Zagrabiensium, & Banalium, quarum singulæ quinque pensis computabantur. In altera autem Regum Periodo Decretum Caroli Roberti meminit marcæ montanæ pensarum duodecim, & alterius communis marcæ Budensis octo pensarum, hoc modo, ut appa-

a) Apud *Kerchelics* Not. prælim. de Regnis Dalmatiæ, cet. pag. 128.

appareat *penſæ* vocabulum ad unciam marcæ deſignandam adhibitum fuiſſe. Sed hanc, uti & alias quasdam de *Penſis hungaricis* obſervationes uberius pertractandas reſervamus Diſſertationi proximæ.

Auri *unciam* Hungaris *Obon* fuiſſe dictam, e ſolo Cencio Pontificis Romani Camerario, Decimarum in Hungaria Collectore novimus, qui in Libro Cenſuum Eccleſiæ Romanæ anno 1192. conſcripto, quæ ad Hungariam pertinent, ſic habet: „In Archiepiſcopatu Strigonienſi Hoſpitale S. Stephani ſolvit unam unciam auri, quæ dicitur *Obon*. Monaſterium S. Salvatoris de Scalez ad *II. Romanatos*. In Epiſcopatu Veſzprimienſi Eccleſia Sancti Stephani Regis apud caſtrum Belgrade *unam marcam auri*: quæ eſt hoſpitale. Simigienſe Monaſterium debet unum *fertonem*, aut duas marcas auri in Rigell — — — ad pondus Hungariæ — — — In Epiſcopatu Tranſylvano novæ domus theotonicorum in Borſa ultra montes Gnitum debet Cameræ pro cenſu *unam marcam auri*. In Epiſcopatu Zagrabienſi Eccleſia S. Mariæ de calidis aquis unum *Romanatum* a).“

Pondum, *pondus*, *Piſetum* (Ungaris *Nehezék*, al. *Nehézség*) erat ſexta pars unciæ, ſeu quadrageſima octava marcæ. Valebat *groſſum* puri argenti, *denariis quinque* ſub Emerico Rege, ſerius autem ſub Carolo Roberto *ſex denariis* æſtimatum. Rex enim Emericus in privilegio anni 1198. cujus partem cap. ſeq. referemus *quatuor* idgenus *pondera* æquat *viginti denariis Friſaticis*. Carolus autem Robertus Decreto anni 1342. dare jubet unum *groſſum*, ſeu unum *pondus*; *groſſum* vero valorem habere præcipit *ſex denariorum*. (Non recte igitur Math. *Belius* in ſuo ad Hiſt. Hung. Adparatu *ponda*, & *pondera*, quæ in libro de ritu explorandæ veritatis per judicium ferri can-

---

a) Extat apud Muratorium T. V. Antiquit. Ital. p. 281. ſeqq. De *Romanato* nota, ſignificare aureum byzantinum, ſic dictum ex nomine Imperatoris *Romani Argyri*.

candentis memorantur, libras argenti explicat *a*).) Quod vero attinet ad *Piſetum*, hoc vocabulo plerumque non argenti, ſed *auri marcæ* pars quadrageſima octava deſignari ſolebat. De quo redibit ſermo in ſeq. Diſſert.

§. XXIX.

Vocabula monetarum, *NUMUS*, *DENARIUS cet. horumque valor in prima Periodo.*

Generico *Numi* vocabulo quemadmodum apud veteres Romanos *Seſtertius*, ita apud Hungaros *denarius* intelligi ſolet. *Lib. I. Decr.* S. Ladislai *Cap.* XLII. ſpernens ſigillum *Regis* jubetur in pœnam ſolvere *quinque penſas*, ille autem, qui *Judicis* ſigillum contemnit, *centum numos*. Quo loco *denarios* intelligi, nullum eſt dubium. Minor enim hæc ſumma debebat eſſe ſubdupla majoris, quæ *quinque penſis*, hoc eſt, *ducentis denariis* perſolvendis, definiebatur.

Argentum, quod ineſt *denario* Sancti Stephani Regis, hodierna æſtimatione valet cruciferos 4½. Nam viginti idgenus denarii, ut ſupra diximus, adpendunt ſemunciam (*lothonem*) ponderis Viennenſis, hæc autem hodie æſtimatur 1. fl. & 30. xr. ſive 90. (24-es pénzláb szerint 160.7. xr. cruciferis *b*). Animadvertendum tamen eſt, hujusmodi denarios puri argenti Sæculo XI. longe majorem in rebus comparandis valorem habuiſſe, quam hodie noſtrates cruciferi 4½ habeant; arguere id licet cum ex pœnis graviſſimis, quibus furta paucorum denariorum plectebantur *c*), tum quod illo ævo denariis 40. bos unus æſtimari in

a) L. cit. §. XIV. Judicium de rebus ſubductis valentibus quatuor marcas, & quatuor pondea argenti. Item §. CXXII. Convenit dare &c.

b) Vid. Gerhards Contoriſt P. I. p. 406.

c) L. 3. Decr. S Ladislai Cap. VIII. „*Si liber, quod decem denarios valet, furatus fuerit, cum omni ſubſtantia ſua pereat: ſi minus autem, alter oculus eruatur.*“ cet.

in judiciis consueverit, ac denique, quia ratio auri ad argentum fuit illis temporibus, ut 1. ad 10, vel 11. vel 12. cum hodie sit fere ut 1. ad 15.

Denarius ponderis, & valoris nunc expositi, dicebatur *magnus*, vel *integer*. Alius autem hoc levior, aut ex argento minus puro signatus Numus, *denarius parvus*, *parvulus*, *dimidius*, hung. *fillér*, *kispénz*, vel etiam obulus compellabatur. In Chronicis Ungarorum Joannis de Thurocz legitur *Bela I.* fabricari jussisse *Numos magnæ monetæ ex purissimo argento*. Id nonnullos posteriores Scriptores in errorem induxit, ut existimarent Numos quosdam a Bela I. signatos fuisse communem denariorum modulum longe excedentes. Verum e contextu patet, *Numos magnæ monetæ* Chronographum appellasse communes denarios, quorum quadraginta, quod essent ex purissimo argento, valebant unum aureum byzantinum. Sic enim eodem capite prosequitur: *byzantiosque permisit currere per districtum regni sui. Argenteos etiam denarios, ut supra dictum est, quorum quadraginta byzantius census erat.* Suspicio *Cornidesii* est *a*), mendo librariorum ibi scriptum esse monetæ *magnæ*, pro *parvæ*, nam in alio Simonis de *Keza* Chronico diserte leguntur *parvi*, immo *nimium parvi* denarii, qui numero 40. valebant unum aureum byzantinum. Mihi tamen verisimilius est, Auctorem Chronici Thuroczium idcirco denarios communis magnitudinis, quales a primis Regibus, & a Bela signabantur, appellasse numos *magnæ monetæ*, ne confunderentur cum aliis minoribus, posterius procusis, cum illis videlicet, qui patrio idiomate *fillér* vocabantur, latine *dimidii*, vel *parvuli denarii*. At vero P. *Szegedy* in libello, cui titulus: *Andreas II. Hierosolymitanus Libertatis Hungaricæ Assertor.* In adnotatione ad articulum XXIII. §. 1. Decreti de anno 1222. scribit *Belam I.* & hujus imitatione

a) In Epist. resp. p. 132.

tatione Andream II. cudisse denarios argenteos, *Tizes* dictos a valore *decem pensarum*, id est, numulorum, Hungaris *kis pênz* dictorum, similes hodiernis *Hetes*, seu Septenariis. „Atque tales, inquit ille: denarii quadraginta, seu 40. *Tizes*, faciunt denarios Cremnicenses 400. seu 4. florenos, qui sunt valor intrinsecus justi ponderis aurei, seu Byzantini, seu Cremnicensis, aut Hollandici." — Hæc sententia nullo modo veritati consentanea est, nititur enim falsa hypothesi, quasi nempe argentei numi hungarici perinde, ac veteres romani, *denarii* fuissent appellati a valore *decem assium*, aut aliorum decem numulorum. Falsum est, extitisse in prima Regum Periodo Numos argenteos magnitudine hodiernorum *Septenariorum*, & alios his decuplo minores. Nullum horum est indicium seu in chartis hungaricis Sæculi XI. XII. & XIII. seu in Numophylaciis. Vocabulum *Tizes* pro antiquo denario hungarico recentius figmentum est. Accedit abusus vocabuli *pensa*, duplici sensu usurpati, primum pro numulo *kis pênz*, dein pro majore altero quadraginta denariorum. Occurrunt tamen alia numorum vocabula, de quibus mox agemus.

§. XXX.

De Numis Frisaticis, & Subcutellaribus.

Numorum FRISATICORUM meminere, *Bela III.* in diplomate anni 1190. „Volumus — — — quod debeat solvere ipsa Ecclesia Comiti de Baranya annuatim singulas marcas *frisaticorum a*)." *Emericus* Rex in confirmatione privilegii Capitulo Strigoniensi anno 1198. data. „De mille leporibus pellibus quinque pondera solvuntur. Item singulæ mansiones Fabrorum, Sutorum, & aliorum

a) Apud RR. Jos. KOLLER T. I. Episc. Quinque Eccl p. 295. in fine.

rum operariorum, qui ſuas feneſtras habent, in quolibet Sabbato dimidium *Friſiacum* debent. — — Item de quolibet bove paſcuale vivo, qui non mercatur, emptor debet unum *Friſiacum.* — — Item de Maſa, vel centenario cupri duos *Friſaticos.* Item de Maſa, vel Centenario plumbi unum *Friſaticum.* — — Item Macellarii ſingulis diebus carnium dant dimidium *Friſiaticum.* — — Item de Maſa ceræ, quæ continet ducentas viginti marcas in pondere, viginti *Friſatici* dentur, ſive *quatuor pondera.* — — Item venditores Servorum, & ancillarum dant quadraginta *denarios uſuales.* — — De ſingulis oneribus cumulorum, quæ Bibtel vocantur, & de Senice ſolvitur unus friſiacus *a*). "

Meminit quoque *Friſaticorum* Andreas II. in juramento, quod coram Jacobo Præneſtino, Sedis Apoſtolicæ Legato, anno 1233. præſtitit, his inter alia verbis: „ *Argentum* vero, quod prædictis Eccleſiis ſolvetur, erit in bonis *friſaticis*, vel in argento, cujus decima pars comburetur *b*)."

His invicem collatis, & expenſis, patet, nomine *Friſaticorum* non veniſſe tributum quodpiam e porcellis, *Friſcingis*, & *Friſcennis* dictis, quemadmodum nonnullorum fert opinio, ſed Numos, quorum quinque valebant *pondus*, ſive *groſſum*, & in Hungaria *uſualium* inſtar *denariorum* acceptabantur, quique ex bono erant argento, utpote *combuſtionis decimæ*, ſic dictæ, quod partem ſolummodo decimam vilioris metalli in ſe continerent.

Erant autem Numi *Friſatici*, ſeu *Friſiaci*, uti ex ipſo vocabuli etymo elucet, genus monetæ quidem exteræ, ſed Hungaris Sæculo XII. ac XIII. admodum uſitatæ, *Friſaci* urbe Carinthiæ, juriſdi-

---

a) Autographum hujus privilegii ſuper telonio Strigonienſi productum fuit in generali Congreg. Comit. Strigon. Anno 1774. die 28. Julii.

b) Apud Raynald. Annal. Eccl. ad Ann. 1233.

+) Friesach klagenfurttól Északra.

risdictioni Præsulum Salisburgensium obnoxia, procudi solitæ. *Cencius* Camerarius Apostolicus in libro Censuum *Frisacenses* Numos appellat." Hospitale, inquit, *de Bekeneiz* (Diæceseos Salisburgensis) *solvit Cameræ apostolicæ LI. Frisacenses a)*." In Codice diplomatico Admontensi ad ann. 1168. commemorantur *sex marchæ Frisacensium denariorum*. In privilegio anni 1232, præcipitur, ut Abbas Admontensis *XXV. marcas denariorum Frisacensium daret militi prædicto*. In alio ad annum 1191. leguntur *quinquaginta denarii Frisacensis monetæ b)*. *Fridericus II.* Imp. Henrico Bambergensi Episcopo confert potestatem, ut *apud Villacum* (Carinthiæ pariter civitatem) *cudi faciat monetam novam*, *quæ Frisacensi monetæ æquipolleat c)*. Sed nuspiam frequentior Numorum *Frisaticorum* memoria recurrit, quam in chartis Tabularii *Forojuliensis*, & *Aquilejensis*, corrupto licet eorum nomine; quippe in his *Frixachenses*, *Frexachenses*, *Frixachii*, & *Frixerii* interdum appellantur *d*). Apparet igitur *Frisaticam*, sive *Frisacensem* pecuniam illo ævo admodum celebrem fuisse, & nonnullos Principes, cumprimis Ecclesiasticos ad ejus exemplar suam quoque monetam accommodasse. Quo minus proinde mirum, si hoc monetæ genus etiam ad vicinam Hungariam propagatum fuerat, ubi hodieque multi denarii argentei eruuntur, parte una referentes Præsulem infulatum, d. pedum pastorale, vel crucem, s. librum tenentem, altera vero parte vel templum cum turribus, vel Angeli, aut alterius Sancti figuram.

Po-

a) Vid. Muratorii T. V. Antiquit. Ital.

b) Vid. Cod. Admontens. apud Bernard. *Pez* T. III. Thes. anecdot. N. 9. 58. & 114.

c) Apud *Ludewig* Codicillo Diplom. Bamberg. N. 20.

d) Vid. *Bernardi de Rubeis* Diss. de Numis Patriarcharum Aquilejensium apud Argelati P. I. de Monet. Ital. p. 152. seq.

Postremam *Frisaticorum* Numorum in documentis hungaricis mentionem reperio in Literis Palatini *Mosis*, anno 1270. scriptis, ubi hæc sunt verba: „hospitum libertas in hunc modum est ordinata, ut annuatim singulæ mansiones — — — *tertium medium pondus nobis* solvere teneantur, & majori villæ *unum denarium currentem pro Frisatico* a). Interpretari licet *pro Frisatico*, id est, in locum *Frisatici* Numi, qui antea pendi solebat.

Obscurior est notio denariorum *subcutellariorum*, qui in cit. Belæ III. diplomate hunc in modum commemorantur: *Item de anseribus, & gallinis cum subcutellaribus denariis arearum plenius persolvendis* b). Doctissimus Editor hujus Diplomatis notat in margine, posse etiam legi *subtutelaribus*. Sed forte Librarii vitio scriptum est pro *scutellaribus*, id est, *censualibus*. Nam vocabulum *Scutella* in chartis medii ævi non raro ad significandum censum, tributumve adhiberi monet *Ducangius* in Glossario, voc. *Scutella*. Sed consulendæ sunt hac de re Glossarii aucti editiones recentiores. Esse etiam potest locus conjecturæ, an non Rex *Bela III.* per *subcutellares*, vel *scutellares* denarios intelligat genus illud bracteatorum, cavorumque Numorum, de quibus supra egimus in fine §*phi* XVIII.

§. XXXI.

De aliis Numorum argenteorum, partim domesticorum, partim exterorum vocabulis, in prima jam Periodo apud Hungaros usitatis.

BANALES denarii, peculiare genus monetæ argenteæ, non, ut quidam volunt, a *Bana*, seu *Banya*, quo nomine fodinam metalli apellamus, sed potius a *Banis*, id est, Ducibus provinciarum, qui

---

a) Hanc diplomatis pericopen communicavit Cl. Mart. *Schwartner*.
b) Apud. RR. *Koller* T. I. Hist. Episc. Quinque Eccl. p. 299.

qui eos permiſſu, & nomine Regis Hungariæ feriundos curarunt, ſic dicti, ſignabantur principio in ſola Slcavonia, & Croatia, poſtea vero, id quod alibi documentis probabitur luculentis, etiam in Hungaria compluribus in locis. Cuſi pro *Sclavonia, & Croatia* Epigraphen habent: + MONETA REGIS P. SCLAVONIA. Sunt etiam, ſed pauciores, in quibus eſt REGIS loco DVCIS. In medio anticæ exprimitur *Muſtelka Martes.* In averſa Crux patriarchalis emicat inter duo Capita coronata. Quorum denariorum *Banalium* cum plurimi ſub Rege *Carolo Roberto* procuſi fuiſſe videantur, accuratiorem eorundem deſcriptionem illuc differo. Arbitror autem hoc monetæ genus vix antea, quam poſt annum 1217. ſignari cœpiſſe, idque arguo, ex his Andreæ II. verbis in diplomate anni nunc laudati: *Statuimus, quod licet nunquam moneta regalis in Regno Banatus, ſeu Ducatus facta fuerit ab aliquo Rege, tamen a Succeſſoribus ſi fieri contigerit*, cet.

Quinque penſæ *Banalium*, ſive ducenti *Banales*, valebant marcam argenti, ſecundum literas Capituli Zagrabienſis de Anno 1272. in quibus hæc lego: *pro quinquaginta penſis denariorum banalium, quorum ſingulæ quinque penſæ marcham faciebant a*).

Denariorum *Zagrabienſium* mentio, ni fallor, prima fit in literis Nicolai Bani anno 1279. Zagrabiæ datis, hoc tenore: *Petrus filius Borch — — — terram ſuam Cozolim vocatam, in montibus ſupra Cŕasmæ Capituli — — — eidem Capitulo vendidit pro viginti ſex marcis denariorum Zagrabienſium, quorum ſingulæ quinque penſæ marcam tunc temporis faciebant b*). Zagrabienſes iidem, qui *Banales*. Fuerunt enim pro his Officinæ monetales conſtitutæ *Zagrabiæ* in Croatia, *Sirmii*, & *Veroczæ* in Sclavonia; id quod patebit ex *Rufini de Cimi-*

a). Apud *Kerchelics* Not. prælim. Regn. Dalm. cet. p. 128.
b) Ibid.

Ciminio, Collectoris decimæ Pontificiæ per Hungariam, rationibus, quarum excerpta in Dissertatione de Re Numaria Periodi Secundæ in medium proferentur. *Monetam* hanc *Bela IV.* in privilegio, civibus Castri montis Græcensis, seu Zagrabiensis, contra latronum incursus exstructi, dato sub annum 1260. vocat usualem. „*Ita, tamen*, inquiens, *quod prædicto Duci Belæ, Karissimo filio nostro, quadriginta marcas solummodo in usuali moneta, cujus quidem monetæ ducentæ pensæ, prædictarum quadraginta marcarum valorem contingant, in die strenarum — —— solvere pro censu annuo tenebuntur* a). Ubi animadvertendum est, idcirco *ducentas pensas* pares esse *marcis quadraginta*, quod singulæ *marcæ* non pluribus, quam *quinque pensis* computari debuerint, quoniam erant *pensæ* non qualiumcunque denariorum, sed *banalium*, vel *Zagrabiensium* denariorum.

Coloniensis denarius, moneta extera, Saxonibus Transylvaniæ temporibus Belæ III. & Andreæ II. in usu fuit, teste privilegio anni 1224. De quo paullo infra. Mentio *Grossi Pragensis* in Hungaria occurrit jam ad annum 1209. in Literis *Andreæ II.* Regis, quibus Demetrio de Raska confertur telonium villæ Ujfalu, ad conservationem Castri Ujvár. *Volumus — — ut ita sicut prius fuerat, a qualibet anima pro teloneo solvatur unus solidus, a quolibet vero curru unus Grossus Pragensis, a mercatoribus vero a qualibet ligatura, vase, cista, sive nodo, unus grossus Pragensis* b). Illud, *a qualibet anima* cet. interpretor, pro qualibet anima servorum, & ancillarum in foro vendendarum, *solvatur solidus* 40. *denariorum.* Nam etiam in foro Strigoniensi, teste privilegio Regis Emerici supra laudato, *Venditores servorum, & ancillarum* pro telonio pendere debebant 40. *denarios usuales.* Pragensis autem *Grossus* valuit eo tempore *unum pondus*, seu

quinque

a) Ibid. 125.

b) Vid. Caroli Wagner Diplomatarium Sarosiense p. 47.

quinque denarios Frisaticos. Animadverto præterea, originem *Grossorum Pragensium* non rite a plerisque Scriptoribus Bohemis ad Wenceslaum II. annumque 1300. referri, & Dewerdeckium atque Carpzovium, qui Venceslaum II. non tam inventorem Grossi Pragensis, quam instauratorem fuisse scripserunt, perperam ab Adaucto *Voigt* erroris redargui *a*); quoniam ex diplomate *Andreæ II.* nunc excitato certum est, in ipsa adeo Hungaria jam anno 1209. adeoque uno fere Sæculo ante Wenceslaum II. *Grossum Pragensem* in cursu fuisse.

§. XXXII.

De vocabulis exteræ monetæ aureæ, apud Hungaros in prima Regum Periodo usitatæ.

Vocabula monetæ *aureæ* exteræ, in Hungaria partim jam Sæculo XI. partim vero serius, XII.mo nempe, ac XIII.tio agnitæ, invenio in documentis illius ævi sequentia: *Solidum*, *Byzantium Romanatum* cet. ac *florenum auri*.

Diserta *Solidorum aureorum* mentio invenitur in diplomate Sancti Ladislai de anno 1082. „Quicunque autem huic paginæ contradixerit, — — anathema sit, — ac insuper pro temporali pœna ad Fiscum regium *centum aureos solidos* persolvere teneatur *b*).“ De duplicis generis *solido*, nempe 40. denariorum altero, & altero 12. den. dumtaxat, dictum est *§pho* XXVI. in disquisitione veteris libræ hungaricæ, & *§pho* XXVIII. de *auri pensa*, quæ valuit solidos $3\frac{3}{4}$. posterioris generis, sive denariis 12. æstimatos. Non rite *Gebhardus* in illa S. Stephani lege, in qua sedecim juvenci æstimantur sexaginta *solidis*, arbitratur per *solidos* intelligi debere communes

a) L. supr. cit. de monet. bohem. T. II. p. 94. in Not.

b) Apud *Katona* T. II. Reg. Hung. p. 429.

munes *denarios* hungaricos *a*). Certum enim eſt, vocabulum *ſolid* pro denario nunquam uſurpaſſe Hungaros Sæculi XI[mi], immo nec alios medii ævi Scriptores, ſed recentiores dumtaxat ad faciendum inter denarios non bracteatos, & bracteatos diſcrimen.

Byzantii iidem, qui *ſolidi aurei*, per legem *Belæ I.* denariis 40. definiti; quo factum eſt, ut numerus 40. denariorum longo tempore, etiam poſt abolitum *Byzantiorum* uſum, *aurei* inſtar conſideratus fuerit. Teſtis Joh. de *Thurocz* ſub Rege Corvino ita ſcribens: „Unde & nunc denarii numero quadraginta *aureus* appellatur, non quod ſint aurei, ſed quod tot denarii *Byzantium* valere illo tempore videbantur.“ Fit etiam *Byzantii* aurei mentio Lib. II. Decr. S. Ladislai cap. XI. his verbis: „reatum ſuum quinquaginta quinque *Byzantiis* redimant.

Romanati, *Michaelati*, *Manuelati* cet. dicti aurei Byzantini ex nominibus Imperatorum græcorum, ſub quibus procuſi fuerant. Duravit eorum uſus communis in Hungaria usque ad annum circiter 1252. poſt quem ſenſim aboleri cœperunt, ſurrogatis *auri Florenis*, qui Florentiæ anno nunc memorato exorti, per omnem Europam haud multo poſt propagati ſunt. Memorantur jam ad annum 1278. in diplomate Regis *Ladislai Chuni* his verbis:“ ut Comes Elias, cui villa Gargan adjudicata fuit, quotannis *feſto beati Martini ratione ipſius terræ ſolvat unum florenum auri b*).

§. XXXIII.

Animadverſiones ad Conſtitutionem BELAE III. & ANDREAE II. *de lucro Cameræ, per Saxones, Tranſylvaniæ incolas, pendendo.*

Quod in aliis Europæ regnis, ac provinciis, in quibus monetæ ſignabantur, infima latinitate dici ſolebat *Monetagium*, *Monetaticum*,

a) Gebhard Geſchichte des Reichs Ungarns T. I. p. 422. in Not.

b) Vid. *Wagner* Analect. Scepuſ. T. I. p. 118.

ticum, *Moneticum*, vel etiam *Monetatio*, hoc in Hungaria vocabatur *Lucrum Cameræ*, cenſus nempe, ſive tributum, ob cuſionem novæ monetæ pro ærario regio, ſecundum leges præſcriptas, exigi ſolitum. De hoc uberius in altera Regum Periodo tractabitur: hoc autem loco agemus de illo ſolum *Cameræ lucro*, quod a Saxonibus, Tranſylvaniam incolentibus, *Bela III.* & poſt hunc *Andreas II.* exigebant. Iſtud innoteſcit ex Privilegio *Andreæ II.* nunc dictis Saxonibus dato ſub ann. 1224. cujus pericope, huc pertinens, ſic habet: *Ad lucrum vero noſtræ Cameræ quingentas marcas argenti dare teneantur annuatim.* Quia vero Marca *Cibinienſis* Tranſylvanica Saxonum levior erat, quam Hungarica *Budenſis* dimidio Fertone, & uno circiter denario Colonienſi, eodem privilegio hoc etiam mandatum continetur, ut in perſolutione illarum 500. marcarum argenti quælibet marca, ad pondus Cibinienſe Saxonicum adpenſa, ponderet quintum dimidium fertonem, id eſt 4½ fertonem, adjecto inſuper pondere unius Colonienſis denarii. Tenor mandati ſic ſonat: *Hoc etiam eisdem concedimus, quod pecuniam, quam nobis ſolvere tenebuntur, — — — cum nullo alio pondere, niſi cum marca argentea, quam piiſſimæ recordationis pater noſter BELA eisdem conſtituit, videlicet quintum dimidium fertonem Cibinienſis ponderis cum Colonienſi denario, ni diſcrepent in ſtatera, ſolvere teneantur.* Colligebatur idgenus lucrum Cameræ ſtatutis temporibus per homines regia deputatos auctoritate, quibus inſuper ſingulis diebus, donec præſcriptum Cameræ lucrum perſolveretur, pendendæ erant tres *ſemunciæ* argenti: id quod ibidem ſequentibus verbis præcipitur: *Nunciis vero, quos Regia Majeſtas ad Dicam colligendam ſtatuerit, ſingulis diebus, quibus ibi moram fecerint, tres lottones, pro eorum expenſis, ſolvere non recuſent.*

Hoc Privilegium integrum publica luce donavit *P. Szegedy* in libello, cui titulus: *Andreas II. — — Saxonum in Tranſylvania libertatis aſſertor:* illudque multis eruditis obſervationibus illuſtravit.

 Sed,

Sed, quod ad pericopen nunc descriptam attinet, in hac illustranda minus accurate, ut mihi quidem videtur salva aliorum opinione, ac indiligenter versatus est. Notat enim a), Tributa Teutonicorum Daciæ hoc Decreto valde imminuta fuisse, cum nonnisi 500. marcas argenti ad lucrum Cameræ annuatim pendere jussi fuerint. Cui observationi hanc aliam subjungit ibidem: per mentionem videlicet marcæ argenteæ, quam Bela Rex, pater Andreæ, Teutonicis Daciæ constituit, ac medio quinto fertone Cibiniensis ponderis definivit, allusionem fieri ad Domum monetariam Cibinii institutam. — Verum, quonam documento constat, Teutonicos Daciæ antea plures, quam 500. marcas argenti pro lucro Cameræ Regiæ solvere debuisse, adeoque hoc illis tributum Privilegio Andreæ II. reipsa imminutum fuisse? Nullo certe: hoc igitur ab interprete pro arbitrio dictum existimo. Deinde interpretis fuisset exponere causam, cur Bela III. Teutonicis illis Transylvaniæ præceperit, ut in persolutione 500. marcarum argenti pro lucro Cameræ Regiæ quamlibet marcam sui ponderis Cibiniensis augerent dimidio *fertone*, sive una *uncia*, & si necesse foret, uno insuper denario Coloniensi. Hoc enim obscurum est, & illustrandum erat. Præmissam vero interpretationem, qua asserui, id propterea præceptum fuisse, quia Transylvanica marca levioris erat ponderis, quam hungarica Budensis, secundum quam exigebatur persolutio lucri Cameræ Regiæ, confirmat testimonium Rufini pontificiarum decimarum Collectoris, qui, uti suo loco referemus, in rationibus suis adnotavit, viginti novem marcas Transylvanicas argenti, quas collegerat, non plus adpendisse, quam viginti quatuor marcas Budenses, & tres uncias, cum una tertia, & duabus quinquagesimis septimis partibus unius unciæ.

§. XXXIV.

---

a) In *Andrea II.* Libert. Saxon. Transylv. assertore, §. 23. Observ. *6ta.*

§. XXXIV.

Leges ANDREÆ II. de nova moneta, & de libris denariorum illuſtrantur.

In Decreto *Andreæ II.* anni 1222. quod extat in Codice Juris Patrii, Artic. XXIII. hæc leguntur: *Item nova noſtra moneta per annum obſervetur a Paſcha usque ad Paſcha. Et denarii tales ſint, quales fuerunt tempore Regis Belæ.* Hæc in memoriam revocant conſuetudinem, ut alibi, ita & in Hungaria illo ævo receptam, immutandi monetas ſingulis fere annis. Quæ ſimul cauſa eſſe videtur, cur tam pauci numi ex prima Regum Periodo ad ætatem noſtram pervenerint. Novæ enim monetæ fiebant ex monetis priorum annorum, diligentiſſime per homines regios conquiſitis, & cum reliqua argenti ſignandi maſſa conflatis.

ANDREAS II. præſente articulo ſanxit, ut nova ſua moneta per annum ſolummodo, & quidem ab uno Paſchate ad aliud proximum in Regno eſſet uſualis. Laudatus *P. Szegedy* ex tam brevi termino præfixo arguit, novam hanc *Andreæ II.* monetam fuiſſe cupro permixtam, & adulteratam *a*). Sed ejus opinionem refellit altera conſtitutionis pars: *& denarii tales ſint, quales fuerunt tempore Regis Belæ.* Nam, ſi hoc loco *Bela Imus* intelligendus eſt, quemadmodum cum *Moſoczio* ipſe quoque *Szegedy* intelligit, oportebat ſane denarios novæ hujus monetæ ex puro eſſe argento, cum de *Bela I.* diſerte in Chronicis Hungarorum ſcriptum ſit: *fecit fabricari numos magnæ monetæ ex puriſſimo argento.* Et paullo infra: *argenteos etiam denarios, ut ſcriptum eſt, cudi fecit, quorum quadraginta Byzantius cenſus erat.* Nec unquam *Bela I.* admiſit monetæ ſuæ depravationem. *Omnibus enim diebus vitæ ſuæ in tota Hungaria non eſt mutata moneta.*

a) In Andrea II. Libert. Ung. aſſertore, ad Decreti ejusdem Articulum XXIII. Not. 1.

moneta a). Igitur verisimilius est, dicto Decreti articulo Andream regem præcepisse, ut illo anno moneta sua ex puriore, quam antehac, argento feriretur. Quod ipsum confirmare videtur sequens ejusdem Decreti articulus XXIV. quo Ismahelitæ, & Judæi a præfectura rei monetalis penitus excluduntur. *Comites Camerarii monetarum — — — Nobiles Regni nostri sint. Ismaëlitæ, & Judæi fieri non possint.* At vero laudatus interpres existimabat hoc Decreti articulo constitutum fuisse, ut duum generum monetæ cuderentur, una scilicet vilior, per annum dumtaxat duratura, altera vero melior ex *pustulato*, id est, purissimo *argento*, qualis erat *Belæ I.* utque denarii hujusmodi solito majores essent, & quilibet eorum æquivaleret decem denariis hodiernis. Quam opinionem esse erroneam cum jam supra ostensum sit §*pho* XXIX. non est, cur eidem refellendæ hoc iterum loco immoremur. Alioquin obvius hujus legis sensus hic est, præcipit Rex *Andreas II.* ut novæ suæ monetæ, per annum a Paschate ad Pascha duraturæ, denarii tales fiant, quales erant tempore Regis *Belæ.* Hoc sane, spectato contextu legis, clarum est, ac evidens. Verum de *Bela*, sitne *primus*, an potius *tertius* hujus nominis Rex, *Andreæ II.* pater, in hac lege intelligendus? Item an *Andreas* Rex novos denarios suos voluerit esse tales quoad argenti puritatem, vel magis quoad signa iisdem imprimenda, quales erant tempore *Belæ* Regis? istud profecto utrumque ambiguum est. Mihi, consideratis rerum adjunctis, in quibus erat res monetalis regnante *Andrea II.* vero simillimum videtur, *Belam* illic non *primum*, sed *tertium*, *Andreæ* patrem, intelligi oportere. Antiquior enim erat *Bela I.* utpote qui sesquisæculo præcesserat, quam ut credi possit, *Andream II.* ad illius monetas, dudum antiquatas, vixque illo jam tempore populo suo notas, respexisse, dum hunc articu-

lum

---

a) P. II. Chronic. Ung. Cap. XLV.

lum de denariis novæ suæ monetæ, per annum dumtaxat in publico cursu futuræ, conderet. Notior illi fuit pecunia *Belæ III.* patris sui, magis perspectæ hujus constitutiones de cusione monetæ, ex quibus aliquas etiam ab eodem confirmatas fuisse, constat ex Privilegio Saxonibus Transylvanis dato, cujus partem *§pho* præcedente in medium adduximus. Ex his itaque rationibus censeo, *Andream II* præsente Articulo pro denariis novæ monetæ suæ præscripsisse talem puritatis argenti gradum, sive, ut nunc vulgo loquimur, *ligam*, qualis fuit in monetis *tempore Regis Belæ Tertii.* Quod autem huic suæ monetæ solummodo annuum assignaverit cursum, hoc refero ad morem tunc receptum innovandæ sæpius, ac fere singulis annis monetæ, qualiscunque demum ea fuisset, propter quæsitum ex ejusdem cum denariis, recentius signatis, permutatione lucrum Cameræ Regiæ. Præterea, quod *Andreas II.* annuum novæ suæ monetæ cursum definiverit ab uno Paschate ad aliud proximum, id ex ejus peculiari erga hoc maximum in orbe Christiano festum veneratione processisse autumo; nam & piis erogationibus suis *Pascha* pro termino præscribere solebat. En exempla! ante reditum suum ex Palæstina datis Ptolemaide anno 1217. literis præcepit Szolnokiensi Præfecto Salis, ut Equitibus Hierosolymitanis quolibet anno *quingentas marcas argenti in Sanctum Pascha solvere non omittat a*). Eodem anno alias quoque literas dedit, quibus Hospitali Domui S. Joannis Bapt. de Jerusalem assignavit annuum Stipendium centum marcarum argenti *semper in paschate* persolvendum *b*). Totidem marcas *paschali tempore* in argento pendi jussit Castro *Krati* in partibus Tripolitanis *c*). Quid quod ex eadem pietate uno sui regiminis anno dena-

rios

---

a) Vid. *Katona* T. V. Reg. Hung. p. 278.

b) Ibidem p. 282.

c) Ibidem p. 288.

rios etiam effigie *Agni paschalis* insigniri fecerit, de quibus recole, quæ dicta sunt §*pho* XVIII.

Sequuntur pauculæ animadversiones ad Articulum II. ejusdem Decreti *Andreæ II.* qui est *de libertate prædiorum servientium*, *atque Ecclesiarum:* & sic sonat: „Item, nullam collectam, nec *libras denariorum* colligi faciemus supra prædia servientium: nec in domos, nec villas descendemus nisi, vocati. Super populos etiam Ecclesiarum ipsarum nullam penitus collectam faciemus." In antiquioribus Decretorum editionibus notatur in margine. Al. *liberos denarios ex S. Steph. lib.* 2. *c.* 35. In recentioribus autem inferius sub Lit. B. sic notatum est: „Alii legunt: *liberos denarios*: quasi dona, & oblationes gratuitas. Nam *Collectam*, seu contributiones debitas, & demandatas contra distinguit ab his denariis; dum ait: *Nullam Collectam*, nec &c. Conf. S. Steph. Lib. 2. Cap. 35. in princ." — Ego, ut elicerem, quænam verior lectio esset; *librasne denariorum*, an *liberos denarios?* consului primo cit. Lib. 2. Decret. S. Stephani Cap. 35. & observavi nullam ibi sive *de libris denariorum*, sive de *liberis denariis* occurrere mentionem, sed sermonem dumtaxat esse de proprietate illorum, quæ quis possidet, consensu regio firmata. Verba Decreti sunt: „Consensimus igitur petitioni totius Senatus, ut unusquisque dominetur propriorum, similiter & donorum Regis, dum vivit. Excepto, quod ad Episcopatum pertinet, & Comitatum. Ac post ejus vitam, filii simili dominio succedant. Nec pro nullius causa detrimentum bonorum suorum patiatur quis, nisi consiliatus mortem Regis, vel traditionem Regni fecerit, vel in aliam fugerit provinciam. Tunc vero bona illius in Regiam veniant potestatem, ipse vero subjaceat sententiæ, filiis innocentibus remanentibus." Integrum Caput duxi exscribendum, ut hoc magis constet, quam temere glossatores, qui in *cit. Articulo* 3. Decreti Andreæ Regis, pro *libris denariorum* substituere vellent *liberos denarios*, ad

illud

illud provocent. Quid igitur, inquis, *libræ denariorum* hoc loco sibi volunt? Ajo, sensum legis hunc esse, *libras*, vel *marcas* denariorum, quos pro *lucro Cameræ* nonnulli Reges, & ipse quoque *Andreas II.* antea, promiscue ab omnibus exigi faciebant, deinceps non exigendas a Prædiis *Servientium*, hoc est, Nobilium, neque a fundis *Ecclesiarum*. Idem enim Rex in alia sua constitutione de emendandis abusibus ita scripsit: *Item nullam collectam, nec lucrum Cameræ, quocunque nomine posset censeri, occasione aliqua super homines, cujuscunque nationis, vel conditionis, colligi faciemus, exceptis, qui Fisco Regio in debito censu tenentur a).* Sub Carolo Roberto, & Ludovico I. de quolibet fundo integro curiæ in lucrum Cameræ Regiæ solvebantur tres *grossi*, sex denariorum singuli, quales *grossi* passim tunc & *pondera* vocari solebant *b*). Quapropter in mentem nunc venit, an non is, qui hoc Andreæ II. Decretum concinnaverat, eo loco *libras* per abusum scripserit pro hujus generis *ponderibus*.

§. XXXV.

De pœna Falsariorum monetæ in prima Regum Periodo.

Regni consuetudo fuit in prima Periodo, ut, qui deprehensus esset in crimine fabricationis falsæ monetæ, omnia ejus bona partim ad constitutum a Rege judicem causæ hujus, partim vero ad Præfectos Cameræ, a quibus reus deprehensus, & convictus erat, devolverentur. Hujus consuetudinis testes habemus sequentes BELAE IV. Literas:

„ BELA

---

a) Vid. Raynald. Annal. eccles. ad Ann. 1232. N. XIII.

b) Conf. Decret. Caroli Roberti §. 19. cum Ludovici I. Decr. Antic. 4.

„BELA Dei gratia Hung. Dalm. &c. Rex, ad universorum — — — notitiam harum serie volumus pervenire, quod cum Laurentius villicus de Beseneu, quæ ad Ecclesiam S. Gregorii pertinet, nec non & filius ipsius Demetrius nomine, ac Joannes gener Gregorii de eadem villa Beseneu, per Camerarios nostros Syrmienses, Leopoldum videlicet, & Socios ejusdem, in manifesto crimine fabricationis falsæ monetæ deprehensi, coram Ven. Patre Benedicto Archiepiscopo Colocensi, Aulæ nostræ Cancellario — — qui per totam Syrmiam non solum honore Comitatus, sed etiam vice, & auctoritate nostra ex delegatione nostra fungebatur, exigente justitia in ipso opere deprehensi fuissent convicti, ita, quod & omnia instrumenta eorum, per quæ ipsam falsariam exercebant, nobis forent præsentata, & eorum bona secundum consuetudinem regni ad dictum Ven. Patrem, utpote nomine Majestatis judicis, & in partem dictorum Camerariorum nostrorum essent devoluta, idem Ven. Pater coram nobis corporaliter constitutus fideli suo Ivan Magistro Tavernicorum suorum domos, & quasdam vineas, fenetum, & torcular ipsius Laurentii, ac quædam alia prædictorum, videlicet tam illam portionem, quæ ipsum contingebat, quam partem dictorum Camerariorum, quam sibi vendiderant, sicut iidem coram nobis sunt confessi, contulit possidenda, exceptis duabus vineis, quas Petro Comiti cognato suo duxerat conferendas, quas & idem Magister Ivan a dicto Petro Comite comparavit, & sic bona illorum universa ad dictum M. Ivan pervenerunt. Quam utique donationem præfatus Archiepiscopus nostro fecit privilegio confirmari. Nos itaque cum justa esset petitio, & honesta, præsentes in perpetuum prædictorum omnium firmitatem literas duximus concedendas, duplicis Sigilli nostri munimine roboratas. *a*) Datum Jaurini anno Domi-

ni

a) Apud PRAY Hierarch. Hung. P. II. 62.

ni M. CC. LIII. quinto Nonas Octobris, regni autem nostri anno XVIII.

§. XXXVI.

De lucro Cameræ, quod Saxones Scepusienses tempore STEPHANI V. pendebant, & moneta quintæ combustionis.

In Diplomate anni 1271. quo STEPHANUS V. Saxonibus Scepusiensibus amplissimas immunitates largitur, *a*) de nova moneta singulis annis, octiduo ante Pascha, seu in Dominica Palmarum, recipienda, lucroque Cameræ persolvendo, hæc statuta sunt: „Singulis annis in Ramis Palmarum monetam nostræ Cameræ regiæ cum omni reverentia suscipere tenebuntur, & solemniter permittere, secundum jus, rigorem, & *lucrum Cameræ regiæ* cambire tenebuntur, ita quod Comes Cameræ, & sui officiales, quos ad hoc deputaverint, altero dimidio mense, sive sex hebdomadas, plenam habeant potestatem cambiendi, jus, & *lucrum Cameræ* prosequendi, de qualibet marca insuper in cujuslibet fori, vel emptionis titulo recipient unum *pondus*. Volumus etiam monetam *quintæ esse combustionis*."

In hoc privilegio nuspiam præscribitur numerus marcarum, quas Saxones Scepusienses, occasione novæ monetæ recipiendæ, cambire teneantur. Itaque *lucrum Cameræ regiæ* apud hos aliter, quam apud Saxones Transylvanicos, exigi consveverit. Nempe sex hebdomadæ quotannis constitutæ erant, quibus apud eos morabantur Collectores lucri Cameræ, cambientes, seu permutantes, novas monetas cum antiquis abolitis, secundum præscripta legum, quibus Scepusienses obtemperare debebant. Collectoribus ex qualibet marca dena-

---

a) Apud WAGNER P. I. Analect. Scepus. p. 191.

denariorum permutata in emolumentum cedebat unum *pondus*, seu sex denariorum *grossus*. Quod additur: *Volumus etiam monetam quintæ esse combustionis*; id indicat, monetam novam, cambio proxime expositam, ex ejusmodi argento conflatam fuisse, cui pars *quinta* deterioris metalli, ex Regis præscripto, permixta erat. Id *combustione*, seu resolutione per ignem facta, explorari solebat. Eodem diplomate *Stephanus V.* potestatem fecit Saxonibus, in Scepusio degentibus, *quærendi mineras*, & *metalla in montanis, inventa colere, & suis usibus applicare, salvo jure regio.*

§. XXXVII.

De jure cusionis monetæ, metallorum fodinis, & officinis monetalibus in Hungaria sub Regibus primæ Periodi.

Jus feriundæ monetæ ab origine Regni Hungarici semper solis fuit Regibus ita proprium, ut, quisquis in illud involaret, perpetuæ infidelitatis notam incurrerit, & amissione bonorum omnium punitus fuerit. Liberum tamen est Regibus participes hujus juris facere alios etiam imperio suo obnoxios, modo hi præscriptas sibi in cusione monetæ leges observent. Insigne potestatis hujus exemplum in prima Periodo dedit Rex ANDREAS I. qui Duci BELAE, Fratri suo, e Polonia revocato, tertiam regni sui partem sic attribuit, ut simul consuetam Regni monetam ejusdem nomine signari permiserit. Testes sunt denarii superstites *Capite I.* *hujus Dissertationis* §. VIII. recensiti, ac *Tab. I. N.* 17. & 18. depicti, in quibus BELA DVX legitur. Vidimus quoque *Capite III.* §. *XX.* ac *Tab. II. N.* 56. Numismata ex ære cyprio percussa, in quibus *Bela IV.* non suam tantum, verum & filii sui *Stephani*, quem se vivo coronari, Regemque juniorem dici voluit, effigiem, ac nomen exprimi fecit. Paullo serius, nimirum sub finem Periodi

primæ

primæ, ac deinceps in Periodo ſecunda Reges Hungariæ privilegium cudendi monetas, non ſuo tamen, ſed Regis, aut Regni nomine, armisque inſigniendas, elargiti ſunt compluribus Ducibus, ac Banis provinciarum, ipſisque adeo civitatibus in præmium fidelitatis, ac meritorum, quemadmodum patebit ex Documentis infra producendis.

Jus *metallorum*, e quibus monetæ ſignantur, æque omni tempore Regium fuit, eſtque hodie in Hungaria. Quam ob rem quicunque alii *fodinas metallorum* habent, eas nonniſi permiſſu Regum habere, colere, aut elocare poſſunt, inhærente eisdem onere pendendi *urburas*, id eſt, decimas omnium proventuum fodinalium ad ærarium regium, & ipſa metalla non alteri, quam Cameræ Regiæ, pretio per Decretum regium determinato, vendendi. De re metallica Hungariæ ex Regibus primæ Periodi optime ſunt meriti *Geiſa II. Bela III. Andreas II. Bela IV.* ac *Stephanus V.* qui e Germania colonias, præcipue Saxonum, in Hungariam, ac Tranſylvaniam evocarunt, iisdemque auri, & argenti, ceterorumque metallorum fodinas colendas crediderunt. Quæ obiter commemoraſſe ſufficiat: nec enim de re metallica, ſed monetali ſcribimus.

Antiquiſſima ſignatæ monetæ hungaricæ loca erant primum *Civitas Alba Regia*, & villa *Pannonia*; dein *Buda*, *Strigonium*, *Quinque Eccleſiæ*, & in montanis Hungariæ *Schemnicium*, & *Cremnicium*, inque terra Scepuſienſi *Gölnicium*; Rivulus Dominarum, ſeu *Nagy Bánya* in Comitatu Szathmárienſi poſterius, ut alibi dicetur, acceſſit. In provinciis vero Hungariæ adnexis, *Sirmium* Sclavoniæ, & *Zagrabia* Croatiæ, nec non *Cibinium* Tranſylvaniæ jam Sæculo XIII. ſuas habuerunt officinas monetales. Certe ſub initium Sæculi XIV. & hæc, & nonnulla alia Hungariæ, & provinciarum loca officinis monetalibus fuiſſe inſtructa aperte colligere

licet partim ex variis Regum nostrorum Literis, quæ Kerchelics in Notitiis præliminaribus Regnorum Dalmatiæ, Sclavoniæ &c. *Wagner* in Analectis Scepusiensibus, ac Diplomatario Sárosiensi, ediderunt, partim vero ex Rationibus collectarum sub Carolo Roberto decimarum pontificalium, partim denique ex ipsis eorum temporum Numis superstitibus.

DISSER-

DISSERTATIO TERTIA
DE
RE NUMARIA HUNGARORUM
SUB
REGIBUS PERIODI SECUNDAE

ab Anno Christi 1301. *ad* 1526.

INTRODUCTIO.

Post extinctam in ANDREA III. *Veneto* Domus Arpadianæ stirpem virilem, Reges Hungariæ ex familiis exteris legi cœperunt, sic tamen, ut sanguinis Arpadiani, per muliebrem sexum propagati, ratio haberetur præcipua. Cum autem plures eodem tempore Principes materna ex parte suum genus eo referrent, pro corona decertandum fuit. Æmuli erant WENCESLAUS Bohemus, OTTO Bavarus, & CAROLUS Robertus Neapolitanus, qui postremus stabile demum obtinuit regnum, immo & hæreditariam suæ posteritatis successionem. Priores duo, utut sacro diademate incincti fuerint, in Codice tamen Juris hungarici pro Interregibus dumtaxat habentur. Horum Numi in Hungaria summæ sunt raritatis hodie. At sub CAROLO Roberto Res Numaria Hungariæ novam, eamque lætiorem induit faciem, utpote, qui & Numos *aureos* primus Regum Hungariæ signavit, & ex *argento*, præter consuetos antea denarios integros,

gros, ac medios, jam etiam *groſſos* procudi fecit, ac univerſam hungaricæ rei monetalis rationem in meliorem formam reduxit. Id quod partim ex ejusdem Numis haud multo poſt deſcribendis, partim e Decreto de novæ monetæ cuſione ſub annum 1342. Regni ſui poſtremum, dato, quod in Codice Juris Patrii extat, & in hac Diſſertatione opportunis cum animadverſionibus recenſebitur, luculenter patebit. *Aureos* quidem ſuos vulgo *auri florenos*, *Carolus Robertus* ſervili quadam Florentinorum imitatione, ut infra dicetur, feriundos curavit, ſervato non ſolum modulo, & pondere eodem; verum etiam ipſo utriusque partis typo; ejus tamen filius *Ludovicus* I. hanc ſervitutem, jure ſuo uſus, exuit, & monetas non minus *aureas*, quam *argenteas*, propriis Regni Hungariæ, ſuisque armis inſignivit. Eſt præterea ſecundæ huic Regum Periodo hoc proprium, quod jam & *mnemonica Numiſmata* ex auro, & argento tempore *Mathiæ Corvini* confieri cœperint, nonnullosque Numos unciales, & ſemunciales in fine hujus Periodi *Wladislaus II.* & *Ludovicus II.* procudi fecerint. Itaque Numorum, quos nunc deſcripturi ſumus, longe major, quam in prima Periodo, varietas occurret, ſpectata eorum materia, forma, pondere, typisque, & inſcriptionibus. Adhæc in Wladislai II. monetis obſervabimus morem introductum exprimendi annos procuſorum numorum ſecundum epocham æræ vulgaris Chriſtianæ, jugiter deinceps retinendum. Hæc paucis prævie. Sequitur Numorum hujus Periodi deſcriptio.

CAPUT

CAPUT PRIMUM.

Numi primorum Sæculi XIV. Regum deſcripti, & illuſtrati.

§. I.

Monetæ arg. WENCESLAI Regis, ab Anno 1301. *ad* 1305.

1. Caput Regis coronatum ſine epigraphe.

Crux duplex anchorata. *Den. Muſei Cæſarei Vindobon.* Vid. Tab. II. N. 71. *Tab. II. N.* 71.

Numus hic anepigraphus in Muſeo Cæſ. Vindobonenſi inter Hungaricos repoſitus, *Wenceslao*, qua Regi Hungariæ, tribuitur. Hoc nempe ſuadet forma crucis geminæ anchoratæ, qualis in monetis Regum Ludovici I. & Sigismundi obſervatur. Proceres hungari, qui ſeceſſione a Carolo Roberto facta, *Wenceslaum* coronarunt, mutato nomine *Ladislaum* appellari voluerunt. Teſtis *Joh. de Thurotz* P. I. Chron. Cap. LXXXV. hæc ſcribens. ,, Poſtea Rege jam dicto, quem Hungari *Ladislaum* vocaverunt, in Buda degente, nullum caſtrum, nulla potentia, ſeu poteſtas, nullum jus regale ſicut *Carolo* puero, ex parte Baronum reſtituuntur; ſed una pars Regni *Carolum*, altera *Ladislaum* Regem appellabant, nomine tantum, ſed non re, vel effectu regiminis, ſeu poteſtatis. Tunc Rex *Wenceslaus*, pater *Ladislai* noviter coronati, videns, & conſiderans palliatas verſutias Hungarorum, anno Domini MCCCIII. cum multitudine exercitus, Pannoniam eſt ingreſſus, & juxta Danubium circa *Peſth*, aliquantulum reſidens, *Ladislaum* filium ſuum cum corona Regni accipiens, & Ladislaum filium Vernheri rectorem, ſeu judicem Budenſem, in ſuum Regnum in pace revertitur. " Teſtimonium Chronographi firmant Literæ ipſius *Wenceslai*, in quibus ſeſe *Ladis-*

ſtum nuncupat, quas *Cornides* Geneal. Reg. Hung, p. 50. & *Katona* T. VIII. Reg. Hung. p. 32. & 35. ediderunt.

2. Rex coronatus ſedens d. globum crucigerum, s. ſceptrum, in area litera ſolitaria B.

LADISLAI REX. *Sic.* Crux hungarica latam habens baſim. *Obol. arg. Com. Feſtetics.*

Numulus hic veriſimiliter pro *Wenceslao*, cui nomen *Ladislai* fuiſſe inditum paullo ante monuimus, ſignatus fuerit *Budæ*. Ex cauſis enim artis monetariæ ad Periodum 2*dam* referri debet, in qua præter hunc nemo alius fuit *Ladislaus*, ſi *poſthumum* excipias, cujus denarii diverſos ab hoc typos habent.

§. II.

Monetæ OTTONIS Regis, ab Anno 1305. *ad* 1308.

1. OTTONIS REG. Corona aperta intra circulum.

Duæ aquilæ colludentes. *Obol. arg. Com. Feſtetics.* Vid. Tab. *Tab. II. N.* 72. II. N. 72.

2. ✠ MONETA VNGARIE. Caput coronatum in circulo.

Duæ aquilæ, ut in præcedente, & præterea ſigla Z vel S. *Tab. II. N.* 73. jacens. *Obol. arg. ibidem.* Vid. Tab. II. N. 73.

Typus coronæ apertæ frequentius recurret in Numis argenteis Regum ſequentium, & Mariæ Reginæ. Alter numulus etſi careat OTTONIS nomine, ejusdem tamen eſſe oſtendit ſimillimus duarum avium colludentium, ſeu ut Petri de *Ludewig* expreſſione utar, *columbantium* typus. Aves hoc modo expreſſas idem *Ludewigius* affirmat ſymbola eſſe duarum marchiarum, Bavaricæ nempe, & Brandeburgicæ, quas Otto, non tamen noſter, ſed Brandeburgicus poſſidebat *a*). Non rite ſcribit *Gebhardus* noſtrum *Ottonem* aſſumpſiſſe nomen

---

a) Vid. Ludewig Einleitung ſupr. cit.

men *Belæ a*). Nam *Stephanum* fuiſſe vocatum conſtat e ſequentibus Chronici Neplachonis verbis: *b*) „Anno Domini MCCCVII. Wenceslaus juvenis in Regem Boemiæ coronatur, & primo anno Regni ſui Regnum Vngariæ *Stephano* Duci Bavariæ, filio Henrici, qui habuerat filiam *Belæ* Regis Ungariæ, & ex ea genuerat prædictum *Stephanum*, eidem Rex Boëmiæ, & Vngariæ, cum inſigniis regalibus prædictum regnum, pro quo coronatus fuerat, tradidit, & Vngariam transmiſit.“

§. III.

Numi CAROLI Roberti Regis, ab Anno 1301. *plenius* 1308. *ad* 1342.

I. *Aureus*. S. IOHANNES B. Effigies Sancti Joannis Baptiſtæ ſtantis polliati, dextra expanſa, ſiniſtra crucem tenentis. In fine epigraphes prope Caput corona aperta.

+ KAROLV. REX. In medio lilium Florentinum. *Muſei Caſ. Vindob.* Vid. Tab. II. N. 74. *Tab. II. N. 74.*

Aureos hujus typi, & inſcriptionis, imitatione Florentinorum procuſos, *Carolo Roberto Hungariæ Regi* adjudicant Franc. *Vettorius*, Lud. Ant. *Muratorius*, *Koehlerus*, *Du Vallius*, *Joachim*, aliique. Primi aurei effigie Sancti Joannis Bapt. in una, & flore lilii altera parte ſignati ſunt Florentiæ in Italia circa annum Chr. 1252. teſtibus Joanne *Villano c*), & *S. Antonino d*), cujus hæc verba ſunt ad Annum modo dictum: „Tunc civitas *Florentia* in felicitate temporali conſtituta cœpit cudere monetam auream, ſcilicet flore-nos

a) Geſchichte des Reichs Ungarn I. Th. p. 617.

b) Apud Dobner T. IV. Monum. Boh. p. 118.

c) Iſtoria Florentina Lib. VI. Cap. 53.

d) P. III. Chronic. S. Antonini Tit. XIX. §. VI.

nos ex auro, quæ prius utebatur argentea, & fiebat de auro perfecto.“ Pro *Florentinis* per syncopen dicti sunt *Floreni*. Alii a flore lilii, quo pars eorum aversa ornatur, alii denique, quod essent ex auro maxime puro, ac veluti ex flore auri, sic appellatos malunt. Id certum est, hoc aureorum genus adeo omnibus Europæ populis placuisse, ut haud multo post ubivis fere surrogari byzantinis aureis cœperint. In Hungaria usum illorum jam sub Ladislao Chuno viguisse, ex hujus Regis literis anno 1278. datis supra ostendimus. Verum, qui apud Hungaros procusus fuisset, antiquior præsente Caroli Roberti floreno auri, usque adhuc repertus est nullus. Cusorum a se, & cudendorum auri florenorum, ne quis dubitet, meminit ipsemet Carolus in Decreto suo anni 1342. Plures animadversiones in similem Caroli Roberti aureum vide in Viennensibus Indiciis *a*), ac de florenis generatim apud Innocentium *Simonchicz b*). De quorum valore veteri ac recentiore in isto quoque opere suis agetur locis.

II. *Grossi argentei.*

1. ✠ MONETA KAROLI REGIS HVNGARIE. Rex coronatus, in throno sedens, d. sceptrum liligerum, s. globum crucigerum tenet.

Parte aversa in peripheria majoris circuli: ✠ HONOR. REGIS. IVDITIVM. DILIGIT. in circulo autem minore concentrico: ✠ IVS. DAT. PACEM. PAX. SALVTEM. In medio Numi scutum triangulare bifariam divisum, in quo a dextris lilia septem, & a sinistris fasciæ hungaricæ. Supra scutum aliud lilium; ad latera vero siglæ, hinc S. inde A. *Musei R. Univ. Pest.* Vid. Tab. II. N. 75.

Tab. II. N. 75.

2. ✠ MO-

a) Anzeigen V. Jahrgang p. 331—337.

b) Diss. de Numismat. Hung. Diplom. accommod.

2. ✝ MONETA. KAROLI. REGIS HVNGARIE. Rex coronatus ſedens in throno d. ſceptrum, s. globum crucigerum.

✝ HONOR. REGIS. IVDICIVM. DILIGIT. Scutum triangulare inclinatum bipertitum, in quo a dextris faſciæ hungaricæ, a ſiniſtris quinque lilia Domus Regiæ Andinæ; Scuto incumbit galea coronata, cujus apicem efficit caput Struthionis, roſtro ſoleam ferentis, medium inter duas plumas. In area hinc S. inde lilium unum. *Ibidem.* Vid. Tab. II. N. 76. *Tab. II. N. 76.*

3. MONETA DOMINI KAROLI. Rex coronatus ſedens d. globum crucigerum, s. ſceptrum liligerum. Infra pedes duo Leunculi.

✝ DEI GRATIA REGIS VNGARIE. In medio ſcutum triangulare bipertitum, in quo a dextris octo lilia, a ſiniſtris quatuor faſciæ Regni Hungariæ. Circa ſcutum quindecim orbiculi crucula inſigniti. *Groſſus arg. editus in Bigraph. Medic. Hung. Centur. 2. P. II. p. 223. fig. 6.* Vid. & hic Tab. II. N. 77. *Tab. II. N. 77.*

Carolini hi groſſi, inter hungaricos antiquiſſimi, ſpectatis typis, ac inſcriptionibus, imitatione magis Neapolitanorum, quam Pragenſium groſſorum latorum facti ſunt. Epigraphe: *Honor Regis judicium diligit.* Occurrit primum in groſſis Regum Neapolitanorum, Caroli Andegavenſis, & Roberti *a*), ſumpta ex Pſal. 98. v. 4. Eadem ſententia uſus fuit Sanctus *Stephanus*, Rex primus Hungariæ, in *Lib. I. Decret. Cap. V.* quod ſic incipit: Patientiæ & Judicii obſervatio, quinta regalis Coronæ eſt oratio. David Rex, atque Propheta dicit: Deus judicium tuum Regi da. Et idem alibi: Honor Regis judicium diligit." In antiqua hujus Decreti editione anno 1605.

a) Apud *Parutam* de Numis Siciliæ. Extat hoc opus in Theſauro Antiquitatum Siciliæ Tom. VII. & VIII. Item apud Muratorium de monetis Italiæ.

1605. facta, & Historiæ Bonfinii adjuncta, in margine hæc reperitur adnotatio: *Hac inscriptione*, videlicet, Honor Regis &c. *Andreas Rex monetas cudebat.* Ubi aut memoriæ lapsu scripserit glossator *Andream* pro *Carolo*, aut, si reipsa talem *Andreæ* monetam vidit, moneta illa potius *Andreæ III. Veneti*, quam vel *primi*, vel *secundi* fuerit. Hodie ignota est.

Grossi, in quibus præter perigraphen: *Honor Regis judicium diligit*, hæc altera subjungitur; *Jus dat pacem*, *pax salutem*, ceteris sunt rariores.

Reliqua in his Numis animadversione digna hæc sunt 1mo: Nunc primum in monetis hungaricis occurrunt scuta heraldica, in quibus insignia Regni, & Regis propria, simul conspiciuntur. Nunc primum in iisdem comparent quatuor fasciæ, totidem, ut quidam volunt, præcipuos Hungariæ fluvios, Danubium, Tibiscum, Dravum, & Savum, indicantes. De Numis loquor, non de sigillis. Memini enim in istis usum fasciarum æque, ac duplicatæ crucis paullo antiquiorem esse. 2do Jucundum est videre unum ex Grossis propositis, in quo galea coronata cum prominente Struthionis capite insidet scuto heraldico *Caroli Roberti*, quoniam id conforme est his Chronicorum Thuroczianorum P. I. Cap. XCIX. verbis: „In quorum quidem militum, ductis regalibus equis insidentium, *galeis*, aureis *coronis* circumdatis, *insignia* sub forma *Struthionis* avis, quæ per ipsum Dominum Regem *Carolum*, vita sibi comite, haberi, ac ferri consueverant, habebantur." 3^{tio}: bini leunculi, qui in tertio Grosso ante Caroli Roberti thronum excubant, simili fere situ sunt cum illis, qui in Neapolitanis Regum Andegavensium Numis exhibentur apud *Argelatum T. I. de Numis Ital. Tab. XXVIII. & seq.*

III. *Denarii, & oboli argentei.*

1. Protome Regis coronati d. sceptrum, s. globum crucigerum.

✝ KARO-

✠ KAROLVS REX HVNGARIE. Scutum bipertitum, in quo dextram occupant tria lilia Domus Andegavensis, sinistram fasciæ Regni Hungariæ. *C. Festetics.* Vid. Tab. II. N. 78. *Tab. II. N. 78.*

2. KAROLI REGIS. Protome Regis coronati d. sceptrum, s. globum crucigerum. In area a sinistris laguncula.

✠ M. REGIS HVNGARIE. Scutum, in quo a dextris fasciæ, a sinistris quinque lilia. In area juxta scutum hinc, & illinc laguncula. *Ibidem.* Vid. Tab. II. N. 79. *Tab. II. N. 79.*

In utroque hoc denario effigies Regis eleganter facta de progressu artis admonet. In scuto Heraldico numerus liliorum variat, & modo dextrum, modo sinistrum scuti campum occupant. Sed præcipuam merentur attentionem in altero horum denariorum occurrentes lagunculæ. Symbolum id erat Comitum *Provinciæ* Narbonensis, unde *Andina* Regum Domus originem suam traxit. Alludit vero laguncula ad cultum *S. Mariæ Magdalenæ*, quæ dictæ Provinciæ Patrona fuit tutelaris. Rem hanc extra omne dubium ponit Numus *aureus* Musei Norimbergensis ab Joachimo editus *a*), qui sic habet:

✠ KAROLVS ANDECAVIE HIRIN (*sic*) SICILIE REX. Effigies Sanctæ Mariæ Magdalenæ, lagunculam eadem forma, qua in nostro denario est, tenentis.

IN HOC SIGNO VINCES. Crux patriarchalis, & in area hinc litera K coronata, inde lilium, supra quod rastrum, consuetum videlicet in sigillis discerniculum Principum Franciæ regii sanguinis.

Numisma hoc pertinet ad *Carolum I.* Andegavensem, *Provinciæ* Comitem, Hierosolymarum, & Siciliæ Regem, Sancti *Ludovici IX.* Franciæ Regis fratrem, nostri vero *Caroli Roberti*, Hungariæ Regis Proavum, quo regnante inventio, ac translatio Reliquiarum Beatæ *Mariæ Magdalenæ* contigit *b*). Non est hujus loci repetere, quæ

---

a) Vid. Das neu eröfnete Münz Cabinet P. I. p. 310.

b) Teste officio Ecclesiæ Massiliensis *Lect. I.*

quæ viri docti de triplici, ac de unica Magdalena disceptarunt *a*). Sat erit de laguncula, qualis nostro etiam in denario sese offert, id unum admonere, imaginem hanc esse vasculi alabastrini, pretioso ungvento repleti, quod beata mulier venerationis causa in caput sanctissimi servatoris effuderat, uti sacer Evangeliorum Codex in perpetuam rei memoriam refert *b*).

3. M. REGIS CAROLI. Caput coronatum.

Tab. II. N. 80. In aversa: Caput Struthionis, inter duas plumas. *Ibidem*, & *in aliis Museis.* Vid. Tab. II. N. 80.

Eadem fuit *Struthionis* forma in Grossis Carolinis, supra recensitis, sed ibi pro exteriore dumtaxat scuti heraldici ornamento, hic vero tamquam proprium Regis insigne in medio denarii exprimitur. Recole, quæ supra ex Chronicis Hungarorum recitata fuere.

4. Rex throno, capitibus leonum exornato insidens, d. sceptrum liligerum, sinistra tenet globum crucigerum.

Tab. II. N. 81. ✠ M. REGIS hunGARIE. Galea coronata, ex qua prominet caput Struthionis in medio duarum plumarum. *Ibidem.* Vid. Tab. II. N. 81.

Tametsi pro epigraphe sit: *Moneta Regis Hungariæ* tantum, non addito *Caroli* nomine, hunc tamen denarium esse non alterius, quam *Caroli Roberti*, manifestat *Struthio*, galeæ coronatæ impositus, proprium hujus Regis insigne.

5. M. REGIS KARVLI. Caput pileatum coronatum.

Tab. II. N. 82. S. E. Galea coronata, plumisque ornata, *Ibidem.* Vid. Tab. II. N. 82.

Siglas S. A. vidimus supra in grossis, in hoc denario idem S recurrit cum E. Prior locum signatæ monetæ, *Sirmium*, vel *Strigonium*

---

a) Vid. *Moreri* Lexicon Voc. *Magdalena*; & Bollandi Acta SS. T. IV. Julii ad diem XXII.

b) *Matthæi* Cap. XXVI. 7. & *Marci* Cap. XIV. 3.

gorium, vel *Schemniczium* notat, posterior nomen Præfecti monetalis proprium.

6. Rex coronatus sedens d. sceptrum liligerum, s. globum crucigerum.

✝ MONETA REGIS KARVLI. Scutum, in quo a dextris quinque lilia, a sinistris fasciæ; pro telamonibus adstant Struthiones, & supra scutum est lilium. *Ibidem.* Vid. Tab. II. N. 83. *Tab. II. N.* 83.

En Struthiones vario modo in monetis Caroli Roberti adhibitos.

7. Effigies Angeli, & sigla K. in area.

✝ - - - - KARVLI. Corona aperta in circulo. *Musei Cæsarei Vindob.* Vid. Tab. III. N. 84. *Tab. III. N.* 84.

Imago Angeli in hoc denario alludit ad titulum *Principis Salernitani, & Honoris, ac montis Sancti Angeli*, quem Carolus Robertus in Diplomatibus adjungere solebat ceteris titulis suis. Denarius hic procusus est *Kremnicii*, quod indicat litera K. in dextro Numi latere conspicua; altera consueta litera initialis nominis Præfecti Cameræ emansit, numulo non rite infra formam signatoriam adplicito. Eadem fuit causa Inscriptionis in parte aversa interruptæ. Deest enim post cruculam pars prior epigraphes: M. REGIS. id quod primo quivis intuitu observare potest.

8. Effigies Regis coronati sedentis, solitis cum attributis.

✝ M. *Reliquis literis dubiis.* In medio circuli Agnus cum vexillo crucigero. *Ibidem.* Vid. Tab. III. N. 85. *Tab. III. N.* 85.

Simili Agno signatas monetas exhibuimus in Diss. præced. sub *Andrea II.* & *Bela IV.*

9. Rex coronatus in throno sedens, d. sceptrum liligerum, s. crucem.

✝ MONETA RE - - - - VLI. Aquila expansis alis. *Reg. Univ. Pest.* Vid. Tab. III. N. 86. *Tab. III. N.* 86.

Ejusdem

Ejusdem fere formæ aquila in quibusdam monetis Regum Siciliæ, quibus *Carolus Robertus* ſanguine junctus erat, occurrit. Primus illam Siculæ monetæ intulit *Fridericus II.* & mater ejus *Conſtantia.* Ni hoc eſſet, arbitrarer in præſente denario aquilam eſſe Polonicam, ob *Eliſabetham* Polonam Caroli Roberti conjugem.

10. Rex coronatus ſedens dextra cruculam tenet, læva ſceptrum-liligerum. Nulla epigraphe.

Pars quoque averſa caret literis. In medio autem eſt avis
Tab. III. N. 87. (fors itidem aquila) capite nimbato, alis expanſis, & unguibus quaſi ſchedam prehenſam ferens. *Ibidem.* Tab. III. N. 87.

Denarium hunc, ut ut inſcriptione deſtitutum, refero ad Carolum Robertum ob magnam ſimilitudinem cum præcedente Numo.

11. ✠ MONETA REGIS KARVLI. Caput coronatum.

Crux geminata, latis ſtipitibus, ſuper baſi graduata, infra crucem duo capita coronata mutuo ſeſe reſpicientia, conſpicuis de-
Tab. III. N. 88. ſuper binis avibus, & totidem liliis. *Com. Feſtetics.* Vid. Tab. III. N. 88.

Typus partis averſæ ſpectata crucis duplicis, & duorum capitum coronatorum forma, eſt hujusmodi, qualis in denariis pro *Sclavonia* cuſis, quos paullo poſt recenſebimus, conſtanter occurrit.

12. ✠ MONETA REGIS KARVLI. Scutum triangulare faſcias hungaricas, & lilia Francica Domus Andegavenſis complectens.

Pars averſa exhibet crucem geminatam, duo capita coronata, & reliqua omnia, ut in præcedente denario. *Com. Joann. Nep. Eſzterházy.* Editus per *Franc. Car. Palma* in Herald. Regni Hung. *Tab. II.* Ubi *p.* 58. *ſeq.* vide illuſtris hujus Auctoris, cui & prior denarius erat cognitus, eandem, quam paullo ante notavimus, de ſimilitudine partis averſæ cum denariis pro Sclavonia cuſis, animadverſionem.

13. Nulla epigraphe. Caput Regis coronatum.

Crux

Crux duplex. In area luna, stella, & duo globuli. *Obolus C. Festetics.* Vid. Tab. III. N. 89. *Tab. III. N. 89.*

14. Nulla inscriptio. In medio circuli, quem corolla foliata ambit, character quidam incertæ significationis. Pars aversa exhibet duo lilia intermedio castello, forma exigua, ruditer efficto, infra quod luna. *Ibidem.* Vid. Tab. III. N. 91. *Tab. III. N. 91.*

Numulos, postremis duobus numeris hic descriptos, inter Caroli Roberti monetas, diversis de causis, recensendos arbitror. Priorem ob typorum similitudinem aliquam cum iis, qui in præcedente denario, *Moneta Regis Karuli*, inscripto, observantur, sive caput spectes utriusque Numi in antica, sive crucis formam in aversa. Posteriorem autem ob lilia, & quia characterem in medio anticæ expressum pro litera K. male efformata, habeo.

§. IV.

Conjecturæ de Monetis, pro SCLAVONIA signatis, sub CAROLO Roberto, & aliquandiu antea.

1. ✠ MONETA REGIS p SCLAVONIA. Martes mustella inter duo astra.

Crux patriarchalis, ad cujus basim duo capita coronata. In area siglæ E. R. *In aliis similibus aliæ.* Supernæ stella, luna, & cruculæ, aut lilia. *Den. arg. Univ. Pest. & in pluribus aliis Museis.* Vid. Tab. III. N. 90. *Tab. III. N. 90.*

2. Alii Numi, præcedenti similes, nisi, quod siglis in aversa occurrentibus differant, cujusmodi sunt: R. L. aut N. K. aut H. R. &c. et, quod in quibusdam aviculæ tam cruci, quam capitibus coronatis insistant, aliaque varii generis attributa in aliis plura, in nonnullis pauciora per aream sparsa conspiciantur. *Ibidem.*

3. Alii similes, sed in antica epigraphen habent ✠ MONETA DVCIS p SCLAVONIA. *Univ. Pest.*

4. REX SCLAVONIE. Mustella currens.

In aversa: Crux patriarchalis duobus gradibus, & basi quadratæ imposita. Infra crucem duo Reges coronati, pectore tenus expressi. Per aream stella, luna, duo flosculi, & bini globuli. *Den. arg.* ex Museo *Apostoli Zeni* editus primum a Lud. *Muratorio* Dissert. de monetis Ital. apud *Argelatum* T. I. p. 95. & Tab. 82. N. 2. Dein recusus apud Franc. *Pejacsevich* in Historia Serviæ ad Colloq. VI. p. 192. seqq.

Cum in omnibus his monetis nunquam proprium *Regis*, vel *Ducis* nomen inveniatur, necesse est, ut de illarum ætate conjecturis tantisper indulgeamus. Sed prius agendum est de illarum epigraphe, ac typo. Vocabula omnia integre scripta sunt, dempta litera solitaria P ante vocabulum SCLAVONIA. *Joachim*, qui cit. op. P. I. p. 134. Tab. XV. N. 2. edidit Numum: MONETA DVCIS P SCLAVONIA: inscriptum, interpretatus est *Per Sclavoniam*; rectius *Palma* pro *Sclavonia*. At *Kercselich* Not. prælim. p. 130. utrumque improbans, mallet P idem significare ac *Papalem*, vel *Pontificiam*, contra omnem rei verisimilitudinem, cum sat ipse locus, quem in hac epigraphe litera P occupat, quemvis admoneat, Præpositionis *Pro* esse literam initialem. Sed habet hoc P in Numis istis lineolam transversam circa sui medium, quod an sit unius dumtaxat vocabuli PRO abbreviati, vel alterius etiam simul contracti signum? ambigere licet. Nam ꝑ sic formatum potest accipi pro duabus literis P & T invicem nexis. Tum vero quid aliud PT verisimilius in his monetis significare potest, quam PRO TOTA scilicet SCLAVONIA? Huic meæ conjecturæ favent complura ex illo ævo monumenta, in quibus Reges Ducesque sese inscribunt *Totius Sclavoniæ*. En horum aliquot exempla. Apud *Kercselich* Not. prælimin. p. 123. mentio fit duorum Diplomatum de ann. 1231. & 1234. in quibus *Colomanus* Belæ IV. frater, diserte legitur: *Dei*

Gratia

Gratia Rex, *&* *Dux totius Sclavoniæ*. Item apud RR. D. *Koller* in *Hist. Episcop. Quinque Eccl. T. II.* p. 112. Bartholomæus Episcopus in literis suis, anno 1239. significat, qua ratione lis quædam inter eundem *Colomanum*, Belæ IV. fratrem, & Magistrum Domus Templi in Hungaria & Sclavonia, fuerit composita, sic inter alia scribit: „Quod cum controversia inter excellentissimum Dominum nostrum *Colomanum Regem*, *&* *tocius Sclavonie ducem* ex una parte, & magistrum Domus Templi &c.„ Simili modo junior etiam *Colomanus* Belæ IV. filius in Diplomate anni 1260. *inclytus Dux totius Sclavoniæ* appellatur *a*). Extant & aliæ literæ, in quibus *Dionysius b*), & aliæ ubi *Nicolaus*, Bani *totius Sclavoniæ* nuncupantur *c*). Ratio adjecti vocabuli *totius* fuerat, quia Principes illi non solius *Sclavoniæ* proprie dictæ, verum etiam *Croatiæ*, ac *Dalmatiæ* Duces, ac Bani erant: quemadmodum & præsentes monetæ verisimiliter non pro unico *Sclavoniæ*, strictiore sensu acceptæ, Regno, verum & pro Croatia, ac Dalmatia procusæ sunt. Hæc de monogrammate ex P. ac T. in harum monetarum inscriptionibus contractæ adnotasse sufficiat.

Nunc de typo, seu figuris in hac pecunia occurrentibus. Mustella Martes antiquum fuit *Sclavoniæ* insigne. Quod *Wladislaus II.* Diplomate anni 1496. confirmavit, simulque auxit additis duabus fasciis, binos fluvios Dravum & Savum repræsentantibus, inter quas hoc animal depictum curreret *d*). Chartæ medii ævi *Mardurem*, aut alio, quod huic affine est, vocabulo appellant Mustellam Martem. Videtur autem Sclavonia hoc animali olim abundasse, cum ejus incolæ tributa Regibus Hungariæ in pellibus *Mardurinis* pende-

re

a) Apud *Kercselich* l. cit. p. 125.

b) Ibidem p. 124.

c) Ibid. p. 147.

d) Vid. hoc Diploma apud *Palma* Herald. R. Hung. p. 59. & seq.

re debuerint, uti constat ex Andreæ II. Decreto, quod est in Cod. Juris Hung. Art. XXVII. & Alberti Regis Art. VII. Crux duplex, vulgo *patriarchalis*, in parte aversa horum numorum est solitum insigne Regum Hungariæ, quorum indulgentia Sclavonicæ idgenus monetæ cudebantur. Verum de duobus capitibus coronatis, quæ ad basim crucis observantur, quid hæc sibi velint, non æque pronum est decernere. Ill. *Palma* l. cit. p. 65. conjectat, *Dalmatiam* iis designari, per aves vero *Halliciam*, per stellam, & lunam *Bosniam*, per soleas *Rasciam*. Lilia, ut alibi, ita in his quoque monetis, *Francica*, Caroli nempe Roberti gentilitia esse affirmat. Siglas demum occurrentes, sive literas solitarias, refert ad notas, quibus & locus, & Præfectus monetæ procusæ discerneretur. Ad hæc facta comparatione idgenus monetarum, sine proprio Regis nomine signatarum, cum iis, quos hic præcedente §*pho* N. 11. & 12. descripsimus, omnem hanc pecuniam sub *Carolo Roberto* fuisse in Illyrico procusam arbitratur *l. cit.* p. 59. Ejus verba sunt: „Neque citra verisimilitudinem affirmari posse, omnes hujus generis Numos a *Carolo I. Roberto*, cum æmulorum potentia, factiosorumque studiis ab Hungariæ possessione exclusus, plurium annorum spatio in Illyrico moraretur, procusos fuisse.“ Ex adverso Abbas Franc. L. B. *de Pejacsevich* in sua Historia Serviæ pag. 195. in eam propendet sententiam, quæ originem idgenus Numorum ad antiquiores Serviæ, & Sclavoniæ Reges refert. Non vacat opinionis hujus momenta singillatim discutere, tametsi idem & Ritterus *a*), & Muratorius *b*) conjectaverint, id unum monuisse sufficiat, ob crucem patriarchalem, quam horum Numorum pars aversa exhibet, satis apparere, hanc pecuniam pro Sclavonia non prius cœpisse signari, quam sub Regibus Hungariæ.

---

a) Apud Kercselich Not. prælim. p. 129.

b) Diss. de Monet. Ital. L. supr. cit.

riæ. *Kundmannum* vero, qui alterum fecutus extremum, Sclavonicas has monetas Sæculi XVI. esse, & ad Joannem II. Zapoliæ filium pertinere censuit, jam *Joachimus* l. supr. cit. p. 136. aberrasse ostendit, docuitque luculenter, in illis non lupum, quem pro armis Domus Zapolyiana habuit, sed martem mustellam exhiberi.

Quid igitur? quonam primum auctore hi Numi *pro Sclavonia* signari cœperunt? — Ajo; non quidem omni ex parte rem certam, verumtamen verosimilem videri, id sub Rege *Andrea II.* qui filium suum *Colomanum* circ. annum 1231. Regem Halliciæ, Ducemque *totius Sclavoniæ* creaverat, accidisse. Hi ergo sunt Reges, quorum ego bina esse illa capita, quæ ad basim crucis patriarchalis posita, mutuo sese respiciunt, arbitror; nempe *Andreæ II.* & *Colomani.* Ne altius, a *Bela* nempe *Tertio*, qui filium *Emericum* se vivo Regem Sclavoniæ fecit, originem repetam, impedit ipse *Andreas II.* Belæ III. filius secundo genitus, quoniam is in Privilegio, quod anno 1217. Episcopo Zagrabiensi, hujusque Capitulo elargitus erat, inter alia istud etiam ad posterorum memoriam perscribit, nullas in Sclavonia monetas usque ad annum nunc dictum signari consuevisse. En pericopen Privilegii huc spectantem: *Istud specialius adjicientes statuimus, quod licet nunquam Moneta regalis in Regno Banatus, seu Ducatus facta fuerit ab aliquo Rege, tamen a successoribus nostris, si fieri contigerit cet.* Ne quis autem dubitet, an illic nomine *Regni Banatus, seu Ducatus* intelligatur *Sclavonia*, noverit, hæc in eodem Privilegio verba præcedere: *Qui* (S. Ladislaus) *terram Sclavoniæ, seu Banatum ab errore idololatriæ ad Christianitatem convertens Coronæ Hungaricæ subjugavit.*

Ex descriptis hoc §pho Numis postremum cum epigraphe: REX SCLAVONIE, arbitror ceteris antiquiorem esse, ac pertinere ad *Colomanum*, Andreæ II. filium, qui in Diplomatibus *Rex*, *Duxque totius Sclavoniæ* appellatur, uti supra vidimus. Alium vero Denarium

narium cum inſcriptione + MONETA DVCIS P SCLAVONIA refero ad *Colomanum* juniorem, Belæ IV. filium, utpote qui in Diplomatibus non Regis, ſed tantum *Ducis totius Sclavoniæ* titulum habet. De reliquis, quorum major ſuppetit copia, & inſcribuntur + MONETA REGIS P SCLAVONIA, quique præter conſuetos typos, etiam liliis, juxta crucem patriarchalem in medio poſitam, ornantur, non dubito, quin ſub *Carolo Roberto*, hujusque filio *Ludovico I.* quam plurimi fuerint ſignati per Sclavoniæ, Croatiæ, ac Dalmatiæ *Banos*, quibus ita collatum fuit jus feriundæ in provincia ſua monetæ, ut eam non ſuo, ſed Regis Hungariæ nomine, & ſecundum præſcriptas ſibi leges ferirent. In deſcriptione rei monetalis ſub *Ludovico I.* producam literas anni 1344. ex quibus patebit, *Banos* totius Sclavoniæ reipſa Cameram ſuam habuiſſe, monetas cudi feciſſe, ipſamque cuſionem banalis monetæ ſuæ aliis interdum elocaſſe. De denariis *banalibus* egimus jam in Diſſ. II. Cap. IV. §. XXXV. Jam enim circa exitum Periodi I. ſat frequens illorum occurrit memoria, ſed ſub initium Periodi II. *banalium* Numorum uſum longe magis invaluiſſe obſervabimus ex rationibus collectarum ſub *Carolo Roberto* decimarum pontificalium, infra deſcribendis.

§. V.

Numus CAROLI ROBERTI, *qua Raſciæ Regis.*

KARVLVS REX. S. STEFANVS. Carolus, & Sanctus Stephanus Raſciæ tutelaris, ſtantes, ac vexillum cruci ſuperpoſitum, una tenentes.

In averſa: $\overline{IC}$. $\overline{XC}$. Chriſtus ſedens. In area: duo lilia. *Groſſus argenteus* apud Zanetti Diſſ. de Numis Regum Myſiæ, ſeu Raſciæ, ad Venetos typos percuſſis. Venet. 1758. p. 58.

Carolus

Carolus Robertus, Rex Hungariæ anno 1320. Urosium II. Serviæ, & Rasciæ Regem, armis devictum, parte Regni, quam Macedonum gens, ritum Ecclesiæ Romanæ amplexa incolebat, mulctavit *a*); eaque de causa nonnullas monetas, typo Regibus Rasciæ tunc usitato, percuti fecit. Extant numi similes præcedentium Rasciæ Regum, Stephani, & Urosii *b*). Conjectura igitur Fr. Hieronymi *Zanotti*, quasi auctor idgenus monetæ, in Hungaria signandæ, *Andreas III.* cognomine *Venetus*, extitisset, atque hunc *Carolus Robertus* in præsentis Numi cusione imitatus fuisset, suapte evanescit.

CAPUT SECUNDUM.

Numi reliquorum Sæculi XIV. Regum describuntur, & illustrantur.

§. VI.

Monetæ LVDOVICI I. Regis, ab Anno 1342. ad 1382.

I. *Numismata aurea.*

1. S. IOHANNES B. In fine perigraphes corona. In medio S. Johannes Bapt. stans palliatus, nimbatus, d. extensa, s. crucem oblongam.

✠ LODOVICI REX. Lilium florentinum. *Com. Festetics.* Tab. III. N. 92. Tab. III. N 92.

Hujus typi aureum *Ludovici I.* Regis Hung. ediderunt *Du Val Monnoies en Or du Cabinet de sa Majesté l'Empereur. Burghart* in supplemento

---

a) Vid. Raynald. Annal. Eccl. ad ann. 1320. & Samuel Timon Imag. Hung. Novæ Cap. 18.

b) Apud Muratorium, & Argelati T. I. p. 82. Item apud Joachim l. supr. cit. p. 326.

plemento ad Jacobi a *Mellen* seriem Regum Hung. e Numis aureis p. 301. & alius quidam Auctor in Indiciis Viennensibus. Anzeigen VI. Jahrgang p. 73. Pertinet autem hic aureus ad primos Regis *Ludovici I.* annos, quibus adhuc *Carolum* patrem imitatus typos florentinorum aureorum pro suis auri florenis retinuit. Epigraphe *Lodovici Rex* mendum est monetarii.

2. S. IOHANNES B. Effigies hujus sancti, ut in præcedente, sed accedit caput diadematum seorsim pone pedes S. Johannis expressum.

✝ LODOVICVS: DEI: GRATIA REX. Scutum triangulare in medio corollæ arcuatæ, ac liliis ornatæ, bipertitum, in quo a dextris quatuor fasciæ R. Hung. a sinistris autem quinque lilia stirpis Regiæ Andinæ. *Musei Reg. Univ Pest.* Tab. III. N. 93.

Tab. III. N. 93.

Antica e Florentinis aureis, dempto Capite, infra effigiem S. Johannis expresso. Aversa vero nunc primum in aureo hungarico exhibet propria Regni, Regisque insignia. Sigillum adjectum Capitis humani, diademate, ut videtur, revincti, in compluribus tam aureis, quam argenteis *Ludovici I.* Numis occurrit. Sitne hoc Regis ejusdem caput, an pôtius signum diacriticum Monetarii, vel Insigne subjugatæ cujusdam Provinciæ? disceptatur hodie. Qua de re paullo infra plures adducentur animadversiones.

3. SANTVS LADISLAVS R. Stans S. Ladislaus coronatus cum nimbo, seu menisco circum caput, dextra pro sceptro tenet bipennem, sinistra, ante pectus demissa, globum crucigerum. In area a dextris quatuor lilia situ perpendiculari, a sinistris autem corona, & infra hanc alia quatuor lilia eodem situ.

✝ LODOVICI. D. G. R. VNGARIE. In medio corollæ geminatæ, arcuatæ, liliisque intertextis ornatæ, scutum triangulare cum fasciis hungaricis, & liliis Andinis, ut in præcedente. *Ibidem, & in compluribus aliis Museis.* Vid. Tab. III. N. 94.

Tab. III. N. 94.

Nunc

Nunc demum pro imagine *S. Johannis Baptistæ*, Urbis Florentiæ Patroni, substitui cœpit effigies *S. Ladislai* Hungariæ Regis in aureis hungaricis. Ab hoc *Aureo* Jacobus a *Mellen* suam Regum Hungariæ seriem inchoat perductam usque ad *Leopoldum M.* & per Henr. *Burghartum* continuatam usque ad Regnum *M. Theresiæ* Augustæ. Mirum videri potest, cur imagine *S. Ladislai* potius, quam primi Regis divi *Stephani*, monetam hungaricam signare placuerit? LVDOVICVS I. hujus rei Auctor fuit; ab illo enim mos iste manavit, retentusque fuit usque ad *Rudolphum II.* Si quis conjecturæ locus est, verosimile arbitror, factum id esse propterea, quod regia *Ludovici I.* Domus Sanctum *Ladislaum* cognatione propius attingeret, quam *S. Stephanum*; scilicet per Mariam Stephani V. Regis Hungariæ filiam, Carolo III. Regi Neapolitano, *Ludovici I.* de quo nunc agimus, Abavo nuptam. Præterea jam in prima Periodo nonnulli Reges, ut Colomanus, & Stephanus II. in altera suarum monetarum facie nomen ejusdem *Ladislai*, etsi nondum Catalogo Sanctorum ritu solemni adscripti, exprimi curarunt. Itaque hanc simul ob causam fieri potuit, ut postea ex duobus Sanctis Regni Hungariæ tutelaribus, istius potius pro Numis imago deligeretur. Genealogia vero *Ludovici I.* hoc modo deduci potest inde a *S. Ladislao* Rege, per *Almum* Ducem; sive hunc supponamus cum recentioribus criticis *filium* fuisse *S. Ladislai* una cum fratre suo *Colomano*, sive dicamus ejusdem S. Ladislai aut ex fratre alterutro sive Geisa primo, sive Lamberto progenitum *nepotem*. Utrumvis sit, illud certum est; ex *Almo* Duce natum fuisse *Belam II.* cognomine cœcum, Regem Hungariæ; hinc ergo laterculum ordiamur.

Almus Dux, S. Ladislai vel filius, vel nepos, obiit 1127.
Uxor Anonyma.

Bela II. Cœcus, Rex Hungariæ + 1141.
Helena Serviæ Regis filia.

Geysa II. R. Hung. + 1161.
Euphrosina Russiæ Dux

Bela III. R. Hung. + 1196.
Margaretha, Antiochena dicta,
e Gallico Principum sanguine,

Andreas II. Hierosolymit. R. H. + 1235.
Gertrudis Carintha.

Bela IV. Rex. Hung. + 1270.
Maria Græcorum Imp. filia.

Stephanus V. Rex H. + 1272.
Elisabetha Cumana.

Maria Regina Neapolitana
Carolus Claudus Rex Siciliæ.

Carolus Martellus Princeps + 1295.
Clementia, Rudolphi I. Imp. filia.

Carolus I. Robertus Rex. Hung. + 1342.
Elisabetha Casimiri R. Pol. filia.

Ludovicus I. Magnus Rex Hung. & Pol.
Elisabetha Serviæ Regis filia.

Præter

Præter Aureum 3*tio* loco defcriptum extant alii, æque hinc effigie S. Ladislai, inde infcriptis fcuto heraldico fafciis hung. & liliis Francicis fignati, fed in eo diverfi, quod pone effigiem Sancti Ladislai additum fit figillum capitis humani fafcia redimiti. Quod videri poteft in Supplemento Jacobi a *Mellen* per Henricum *Burghart* facto, ac edito p. 308. Hoc pro capite *S. Johannis decollati* quidem habent, fed nulla rei verifimilitudine, uti oftendit *Aureus* N. 2*do* ifthic defcriptus, in quo fimile caput a latere exprimitur, tametfi adfit integra effigies S. Johannis Baptiftæ in medio Numismatis.

II. Groffus argenteus ejusdem LVDOVICI I.

LODOVICVS DEI GRACIA REX hVnGARIE. Rex coronatus in throno fedens d. fceptrum liligerum, s. globum crucigerum tenet, ante thronum caput humanum minore forma.

+ DALMACIE CROACIE. Scutum triangulare bipertitum, in quo a dextris 4. fafciæ, a finiftris campus liliis infeminatus. Exterius fcuti ornamentum Vid. Tab. III. N. 95. *Tab. III. N.* 95.

Qui apographum hunc Groffum ex Joachimi Tabula in noftram Tabulam æneam transtulit, complura cum in figuris, tum in literis admifit menda, quæ conferenti iconem cum præfente defcriptione facile fefe offerent. Groffi Regis *Ludovici I.* multo funt rariores groffis Caroli Roberti. Animadvertendum autem eft, in hungarica moneta groffum hunc effe primum, in quo tituli Dalmatiæ, & Croatiæ ad titulum Regis Hungariæ adduntur, qui in figillis jam dudum ufitati erant, & in Diplomatibus a tempore *Colomani* Regis Hung.

III. *Ejusdem Denarii argentei.*

1. + REGIS hVnGARIE. Caput coronatum, fimo nafo, fpectans dextrorfum.

+ MONE-

+ MONETA LODOVICI. Scutum triangulare, in quo fa-
Tab. III. sciæ hungaricæ dextram, quinque lilia Andina sinistram occupant.
N. 96. *Musei Klimoniani Quinque Eccl.* Vid. Tab. III. N. 96.

Confer caput coronatum hujus denarii cum diademato capite sequentis; & cum minore illo capite, quod in aureis juxta effigiem S. Joannis Bapt. vel Sancti Ladislai occurrebat.

2. + MONETA LODOVICI. Caput diadematum simo capite.
Tab. III. + REGIS hVNGARIE. Crux patriarchalis coronæ imposita,
N. 97. & unionibus ornata. *Univ. Pest.* Vid. Tab. III. N. 97.

3. Epigraphe anticæ eadem, idem quoque caput diadematum.

In aversa parte crux eadem, sed sine corona, & infra cru-
Ibidem. cem siglæ sunt L. S. *Ibidem.* Vid Tab. III. sub eod. N. 97. sola pars aversa.

4. Alius præcedenti similis, sed sine siglis. *Ibidem.*

In primo est Regis Ludovici I. caput coronatum, in reliquis tribus diademate revinctum. Utrobique simus nasus, & vultus lineamenta non differunt ab imagine parvi illius capitis, quod sigilli instar ceteris figuris adjungi vidimus in nonnullis aureis. Quamobrem istud etiam Regi Ludovico I. tribuendum videretur. Verum obstat huic interpretationi non absimile parvum caput, quod in Grosso argenteo infra thronum ante ipsam *Ludovici I* sedentis imaginem conspicitur. Sigillum ergo parvi hujus capitis in Ludovici I. monetis occurrens, adhuc ænigma est. Quod resolvere volentes, nonnulli suspicantur, caput illud esse *Caroli* Principis Dyrrhacheni, quem Rex Ludovicus anno 1348. fraternam Andreæ Regis Neapolitani necem vindicaturus, cum esset Neapoli, in custodiam abreptum securi percuti jussit *a*). Alii heraldicum hoc esse Mauri caput, eoque subjectionem Valachiæ notari autumant. Nam *Bazaradus*

a) Vid. Joachim Groschen Cabinet 2. Band p. 655.

dus Valachiæ regulus ultro ſeſe *Ludovico I.* Hungariæ Regi ſubjeciſſe legitur *a*). Alii denique malunt exiſtimare, non *Valachiam*, ſed *Siciliam*, in quam Rex Ludovicus I. ad Reges utriusque Siciliæ originem paternam referens, jus habuerat, deſignari *b*).

5. S. LADISLAVS R. Effigies S. Ladislai ſtantis palliati, coronati, cum nimbo circa caput, d. bipennem, s. globum crucigerum tenentis. In area P.

+ LODOVICI R. VNGARIE. Scutum bipertitum, cum faſciis hung. & liliis Andinis. Extra ſcutum alia tria lilia. *Univ. Peſt.* Vid. Tab. III. N. 98. *Tab. III. N.* 98.

6. S. LADISLAVS R. Effigies hujus ſancti cum bipenne in dextra, & globo crucigero in ſiniſtra. In area ♗.

+ LODOVICI hVNGARIE. Scutum, ut in præcedente. *Ibid.* Vid. Tab. III. N. 99. *Tab. III. N.* 99.

Titulus *Regis* in averſa hujus denarii omiſſus eſt.

7. + MONETA LODOVICI. Scutum bipertitum inſignia Regni, faſcias quatuor, & Regis lilia domeſtica continens.

+ REGIS hVNGARIE. In medio corona aperta. *Muſei Klimoniani Quinque Eccl.* Vid. Tab. III. N. 100. *Tab. III. N.* 100.

Idgenus denarii ab effigie *coronæ* vocabantur coronati, *hung. Koronás.* Idem typus recurret in monetis *Mariæ* Reginæ.

8. + MONETA LODOVICI. Crux duplex anchorata, & unionibus ornata.

+ REGIS hVNGARIE. Scutum faſcias hungaricas, & lilia Regis gentilitia complectens. *Com. Feſtetics.* Vid. Tab. III. N. 101. *Tab. III. N.* 101.

Hic

---

a) De *Bazarado* Valachiæ Regulo vid. *Pray* Annal. R. H. ad ann. 1330. & 1342.

b) Conf. *Palma* Herald. Hung. p. 97.

Hic primus denarius est, in quo utrumque Regni Hungariæ insigne conspicitur, hinc nempe crux duplex, inde fasciæ.

9. Rex coronatus stans d. sceptrum, s. globum crucigerum.

LVDOVICI REGIS. Lilium. *Univ Pest.*

Hi denarii ob lilium appellabantur *liliati.*

§. VII.

Numi MARIAE Reginæ ab Anno 1382. *ad* 1392.

I *Monetæ aureæ.*

S. LADISLAVS REX. Effigies hujus Sancti coronati, palliati stantis, ac dextra pectori admota bipennem, sinistra extensa globum crucigerum tenentis. Infra pedes flosculus. In area C. M.

Tab. III. N. 102. + MARIA DEI. G. R. VNGARIE. Scutum eodem modo ac in aureis Ludovici I. ornatum, in quo a dextris 4. fasciæ, a sinistr. sex lilia. *Musei Cæsarei Vindob.* Vid. Tab. III. N. 102.

2. Epigraphe, & icon S. Ladislai ut in præcedente, sed in area a dextris orbiculus, in quo quatuor globuli.

MARIA DEI. G. R. VNGARIE. Scutum Hungarico-Neapolitanum, ut in aversa præcedentis. *Ibidem.* Vid. Tab. III. N. 103.

Aurei Numi Reginæ MARIAE sunt admodum rari. *Du Valius* tamen e Cæsareo Museo Vindobonensi edidit quinos, siglis pone effigiem S. Ladislai exsculptis, diversos. Sunt, quibus videtur in horum aureorum inscriptione + MARIA DEI. G. R. VNGARIE. Litera R. non *Reginam*, sed *Regem* significare. Nam in antiquo Hermanni *Corneri* Chronico scriptum est: *Fecit propriam fieri monetam, & in floreni, sculpi fecit* MARIA REX HVNGARIAE *a*). Quapropter Jacobus a *Mellen* in sua ad aureum hungaricum *Sigismundi* Re-

gis

---

a) Vid. Corneri Chronicon apud Eccardum T. II. Script. Germ. p. 1155.

gis commentario, de *Maria* hunc in modum disserit: „ Hæc sponso adhuc minorenni ab Hungaris coronata, Bonfinio aliisque testibus, se non tam Reginam, quam Regem gessit, immo monetam cum epigraphe: MARIA REX HVNGARIAE, signasse dicitur. Vid. Bernh. Zechen Regenten-Saal p. 460. " *a*) In eadem sententia sunt *Hanius b*), *Koehlerus c*), *Saxius d*), & Martinus *Crusius*, cujus hæc verba sunt in Annalibus Suev *e*). „ Sigismundus uxores habuit duas: primo *Mariam* Ludovici Hungariæ, & Poloniæ Regis filiam, sterilem. Quæ magnitudine dotis superbiens Regi allatæ, ipsum contemnens, monetam auream cudit cum inscriptione: *Maria Rex Vngariæ.* Rex mansueti animi, verbis eam castigavit, quæ posthac abstinuit, & insidias quorumdam Aulicorum detexit, qui pœnas capite luerunt. "

Horum Scriptorum auctoritatem impugnavit Andreas *Bel* edita peculiari commentatiuncula *de Maria Ludovici primi Principe filia, non Rege, sed Regina.* Adhæsitque partibus Belii quidam recentiorum Auctorum, cujus argumenta recensentur in Viennensibus Indiciis *f*). Illud certum est, in omnibus *Mariæ* Numis *aureis*, quotquot hactenus detecti sunt, titulum dignitatis Regiæ solummodo initiali litera R exprimi, in denariis autem *argenteis* ejusdem *Mariæ* interdum vocabulo integro REGINA vel REGINE exscribi, nunquam autem REX vel REGIS. At neque in sigillis ac Diplomatibus *Maria* aliter quam *Regina* occurrit. Itaque an hæc Regina præ-

ter

a) Mellen Series Regum Hung. e Numis aureis p. 24. seq.

b) Alt, und Neu Pannonien p. 132.

c) Münzbelustigung T. XIV. p. 121.

d) Neue Kayser Chronica P. IV. p. 214.

e) Crusii Annal. Suev. P. III. Lib. VI. p. 367.

f) Wiener Anzeigen V. Jahrgang. p. 394. seq.

ter aureos epigraphen habentes MARIA DEI. G. R. VNGARIE, etiam alios cum inſcriptione: MARIA REX VNGARIE cudi reipſa fecerit, haud immerito adhuc ambigere licet.

II. Ejusdem denarii argentei.

1. ✛ MARIA. R. VNGARIE. In medio circuli corona aperta.

Tab. III. N. 104. ✛ MONETA MARIA. In medio circuli crux duplex anchorata, gemmisque ornata. *Com. Feſtetics.* Vid. Tab. III. N. 104.

Moneta Maria pro *Mariæ*, ſphalma eſt Inciſoris Monetarii.

2. ✛ MONETA MARIE. Crux duplex anchorata.

✛ REGINE VNGARIE. In medio circuli M coronatum.
Tab. III. N. 105. In area duo lilia. *R. Univ. Peſt.* Vid. Tab. III. N. 105.

Denarii argentei Mariæ præcipue hoc typo, & hac inſcriptione REGINE VNGARIE non usque adeo ſunt rari, ac exiſtimaverat Andreas *Bel* ſic ſcribens *l. ſupr. cit.*: „Prius tu decem Mariæ aureos, quam vel unum Numiſma argenteum reperias.“ Immo veritati propius eſt, ſi dicas, facilius inveniri decem argenteos, quam vel unum aureum hujus *Mariæ.* In Muſeo R. Vniverſitatis Peſtienſis adſunt ſeptem argentei denarii hujus Reginæ, nullus vero hucusque aureus.

3. M. coronatum inter duo lilia.

Nulla epigraphe. In medio autem eſt crux duplex, ſeu pa-
Tab. III. N. 106. triarchalis inſiſtens coronæ duobus liliis inſignitæ. *Obolus argent. C. Feſtetics.* Vid. Tab. III. N. 106.

Exſtat in Viennenſibus Indiciis (V^{ter} Jahrgang p. 377. ſeqq.) elegans commentatiuncula in tres *Mariæ* Reginæ Numos, his, quos nunc deſcripſimus, ſimiles. Fit ibidem mentio quoque *Groſſorum*, ab eadem *Maria* Regina procuſorum, de quibus tamen hoc loco admonendus eſt Lector, eos reipſa non eſſe *Numos groſſos*, verum duo ectypa *ſigillorum*, quæ Andreas *Belius* in ſuo Commentario hiſtorico-critico *de Maria non Rege, ſed Regina*, edidit, & quæ alter

hic

hic auctor, quisquis ille fuit, pro *Groſſis argenteis* perperam habuit. Illorum ſigillorum unum ex Diplomate anni 1389. Budæ dato cum hac epigraphe: ✠ SIGILLVM MARIE REGINE HVNGARIE, in quo exſculptum eſt ſcutum faſcias hungaricas, & lilia Andegavenſia complectens. Alterum vero anni 1390. §. IX. exhibitum, magnitudine fere groſſi, ſub Carolo Roberto, & Ludovico I. procudi ſoliti. Hujus epigraphe eſt: S. MARIE DEI GRA. REGINE. HVNGARIE. DALMATIE. CROAC. Præfixum S. vocabuli, *ſigillum*, eſt primum elementum. In medio Sigilli ſculpta eſt Galea coronata, ex qua prominet collum, & caput Struthionis inter duas plumas: in lateribus tria lilia. Simili typo uſum fuiſſe *Carolum Robertum*, Mariæ Reginæ Avum, in nonnullis monetis ſuis, ſupra vidimus.

§. VIII.

De Numo CAROLI Parvi conjectura.

Henricus *Burghardt* in ſuo ad Jacobi *Mellen* ſeriem Regum Hung. Supplemento Tabula VI. ſeu ultima, N. 58. edidit *argenteum denarium* hujus inſcriptionis, ac typi:

KAROLI REGIS. Protome Regis coronati palliati cum dependentibus e collo duabus faſciolis, & prominente ad pectus flore lilii, dextra tenet ſceptrum liligerum, ſiniſtra globum crucigerum.

REGIS hVNGAR. Scutum triangulare coronatum, in quo a dextris faſciæ hungaricæ, a ſiniſtris quinque lilia Francica.

De hoc Numo diſſerens *Burghardus* l. cit. p. 328. & ſeq. principio obſervat, tres fuiſſe *Carolos* ex Principibus Neapolitanis, qui titulum *Regis Hungariæ* gerebant, nimirum *Carolum Martellum*, anno 1301. in Italia mortuum, deinde hujus filium *Carolum Robertum*, quem in Hungaria regnaſſe conſtat usque ann. 1342. ac de-

mum *Carolum* cognomine *Parvum*, Siciliæ Regem, ex Dyrrhachenis Principibus oriundum, in Hungariam per seditiosos evocatum, & exeunte anno 1385. Albæ coronatum, sequente autem anno 1386. mense Februario Budæ interfectum. Opinio est *Burghardi*, Denarium descriptum esse verisimilius *Caroli Martelli*; idque arguit ex ejus ornatu, qui in Numo conspicitur, ex lilio ante pectus, & brevissimo *Regis Hungariæ* titulo. Fatetur tamen hæc non esse sufficientia criteria, & posse illa convenire etiam *Carolo Parvo*, utut ipsemet in *Martellum* inclinet. At mihi præsens denarius magis affabre factus esse videtur, quam ut *Carolo Martello*, *Andreæ III.* Veneti, pro corona Hungariæ æmulo, tribui valeat. Ipsa scuti *coronati* forma recentior est. In Tabulis nostris primum scutum *coronatum* occurrit sub Ladislao Posthumo. Quamobrem vel hac de caussa, si Burghardtianus *denarius* verus, ac sincerus est, ex tribus propositis Carolis postremo, seu *Parvo*, maxima cum verisimilitudine adscribi potest. Inter denarios *Mariæ* Reginæ occurrunt aliqui, in quibus typum partis unius efficit M *coronatum*, & coronæ forma non multum abludit ab hac, quæ in præsente *Caroli*, Mariæ æmuli denario, supra scutum est. Mirum tamen, si pro *Carolo Parvo*, cujus Regnum unico dumtaxat mense, & paucis insuper diebus duravit, monetæ aliquæ in Hungaria fuerunt signatæ.

§. IX.

Monetæ SIGISMVNDI Regis, ab Anno 1387. *ad* 1437.

I. *Monetæ aureæ.*

1. S. LADISLAVS REX. Effigies S. Ladislai solitis cum attributis. In area siglæ: K. F.

+ SIGISMVNDI. D. G. R. VNGARIE. Scutum quadripartitum, alternantibus fasciis hungaricis cum leone bohemico. *Univ.* *Tab. III. N.* 107. *Pest.* Vid. Tab. III. N. 107.

2. In aliis fimilibus aliæ occurrunt figlæ Monetariorum. *Ibid.*

3. Antica, uti N. I. fed pro figlis duo lilia.

+ SIGISMVND. D. G. R. VNGARIE. Scutum quadripartitum, alternantibus fafciis hungaricis cum aquila Brandeburgica. *Muf. Cæf. Vindob.*

Quam frequentes funt *Aurei* SIGISMVNDI, in quibus eft leo, tam funt rari cum aquila, fafciis hungaricis addita, utut hæc in argenteis ejusdem Regis monetis plane obvia fit. Aquilam Sigismundus armis fuis heraldicis inferuit ob Marchiam Brandeburgicam, quam a patre fuo Imp. Carolo Quarto fibi collatam accepit, fed anno 1388. ære alieno gravatus, Joachimo, & Procopio, Moraviæ Marchionibus, primum oppignoravit *a*), dein vero anno 1415. Friderico Norimbergæ Burgravio quadringentis millibus aureorum vendidit *b*).

Longe alius eft typus *Aureorum* ejusdem *Sigismundi*, extra Hungariam fignatis, qua Regis, & poftea Imperatoris Germaniæ. En exempla:

MONET. NOV. FRANCOFORD. Effigies S. Johannis Baptiftæ uti in Florentinis aureis.

+ SIGISMV. D. RONORVM (*fic*) REX. *Literis monafticis*, Globus cruciger fafciatus, five pomum Imperii *c*).

Aliud: MONETA NOVA BASILEEN. Effigies Deiparæ cum Jefulo.

SIGISM. D. G. ROM. IMP. Pomum Imperii, ut in præced *d*). Opinione *Bielfeldii e*), fub Imp. Sigismundo cœperunt procudi

a) Vid. Burkhart in Suppl. Mellenii p. 310.

b) Conf. Gurken Diplomatarium vetus Brandeburg. P. II. N. 13.

c) Apud Voigt Befchreibung der bömifchen Münzen P. II. p. 201.

d) Apud Du Val Monnoies d' or p. 56.

e) Grundlinien der allgemeinen Gelehrfamkeit III. p. 282.

cudi Numismata mnemonica, inter quæ ferunt fuisse primum in memoriam, *Johannis Huss*, decreto Concilii Constantiensis ob hæresim combusti. Animadvertendum tamen est, complures Numos mnemonicos circumferri, qui ætatem Sigismundi mentiuntur, cum nonnisi Sæculo XVII. aut XVIII. ex officina prodierint. Ad hoc Numismatum mnemonicorum genus pertinet sequens Numisma aureum, a P. Adaucto *Voigt* editum *a*)

SIGISMVNDVS ROM. IMPERATOR. Protome Sigismundi, ornatu Imperatoris Romano-Germanici, tempore coronationis usitato.

✝ LANCEA * ET * CLAWS * DOMINI. In area Numi locum medium occupat lancea incluso eidem Clavo Domini. A dextris est asserculus delineatus cum epigraphe hac: DE PRAESEPI DOMINI. a sinistris Crux, & inscriptio: DE CRVCE DOMINI.

Origo idgenus Numismatis pertinet ad annum 1742. quo civitas Norimberga feriundum curavit in memoriam sacrarum hujusmodi reliquiarum, quas Imp. *Sigismundus* anno 1424. cum reliquo Cimelio Imperii illic deposuit. Has Carolus IV. Imp. anno 1358. Aquisgrano Pragam transtulit, sacramque *lanceam*, & *clavum* Domini publicæ venerationi exposuit. Verum ingruente bello Hussitico cum periculum immineret direptionis, aut profanationis, Imp. Sigismundus sacrum hunc thesaurum clam in Hungariam deportari fecit, & aliquamdiu *Wissegradi* conservatum revexit in Germaniam, atque Norimbergensibus, anno, ut dictum est, 1424. custodiendum credidit.

Hujus autem generis Nomisma non ex auro tantum, sed etiam ex argento, & aliis vilioribus metallis procusum fuerat. In Thesau-

a) Voigt l. supr. cit.

Thesauro Campililiensi conservatur argenteum deauratum; in aliis Museis vidi ærea etiam primæ, & secundæ magnitudinis.

II. *Denarii argentei ejusdem Regis SIGISMVNDI.*

1. MON. SIGISMVNDI. Crux duplex, seu hungarica.

✝ REGIS VNGARIE ETC. Scutum quadripartitum alternantibus fasciis hungaricis cum aquila Brandeburgica. *Univ. Pest.* Vid. Tab. III. N. 108. *Tab. III.* N. 108.

Literis ETC. facile quisque intelligit significari *et cetera*; id est, *Dalmatiæ*, *Croatiæ*, & ceterarum Provinciarum, ad coronam Hungariæ spectantium vocabula, quæ in tam exiguo Numi modulo exprimi non poterant.

2. MON. SIGISMVNDI. Crux duplex, K. L.

✝ REGIS VNGARIE. ETC. In circulo scutum fascias hungaricas continens. *Ibidem.* Vid. Tab. III. N. 109. *Tab. III.* N. 109.

Sigla K indicat *Kremnicium*, L vero est prima litera nominis Præfecti Officinæ monetariæ, vel Cameræ.

3. Nulla epigraphe. In medio crux simplex inter quatuor coronas.

In aversa parte: Scutum, in quo fasciæ hungaricæ alternant cum aquila Brandeburgica. Supra scutum S. ad latera V & vestigium alterius literæ. *Mus. Cæs. Vindob.* Vid. Tab. III. N. 110. *Tab. III.* N. 110.

Quatuor coronæ totidem Regna, Hungariam, Dalmatiam, Croatiam, & Sclavoniam indicant in hoc obulo argenteo.

4. Nulla epigraphe. Vir domans draconem.

In aversa parte: Crux patriarchalis in corolla. *Com. Festetics.* Vid. Tab. III. N. 111. *Tab. III.* N. 111.

Hunc Numum anepigraphum refero ad Sigismundum Hungariæ Regem propter typum Draconis in adversa exsculpti, quo forte alluditur ad Ordinem Equitum Draconis, ab hoc Rege institutum. Equites hujus Ordinis diebus solennioribus induebantur veste purpu-

rea,

rea, cum superjecto palliolo sericeo viridis coloris, & adpensa duplici catenula aurea, ex qua resupinus *Draco* fractis alis, colore vario tinctus pendebat. Hoc symbolo arbitrantur nonnulli adumbratam fuisse Johannis *Huss*, & *Hieronymi* Pragensis doctrinam pravam, quæ in Concilio Constantiensi, Rege *Sigismundo* præsente, damnata fuerat. Verum Ordinis hujus initia hanc damnationem annis aliquot antevertunt, nec enim, ut quidam arbitrati sunt, hunc Ordinem *Sigismundus* anno 1418. post suum e Concilio Constantiensi reditum, sed jam decennio prius, teste Diplomate anni 1408. fundaverat. Vid. Com. Ant. CZIRÁKY *Diss. de Ordine Equitum Auratorum p.* 12.

E *Sigismundi* monetis rarissimi sunt hodie *Grossi argentei*, quorum nullum hactenus videre mihi licuit. Quid quod neque inter latos grossos Pragenses facile nomen *Sigismundi* reperias. Ipse P. Adauctus *Voigt* unicum, ægre detectum, Parte II. sui Operis p. 202. recenset, ac describit.

CAPUT TERTIUM.

Numi Regum Sæculi XV. & incipientis XVI. descripti, & illustrati.

§. X.

Monetæ ALBERTI Regis, ab Anno 1437. *ad* 1439.

I. *Monetæ aureæ.*

1. S. LADISLAVS REX. Hujus effigies consuetis cum attributis. In area hinc N. inde pro sigla Agnellus.

✠ ALBERTVS D. G. R. VNGARIE. Scutum quadripartitum, in quo fasciæ hungaricæ, & leo bohemicus, erectus, cum
Tab. III. N. 112. cauda bifurcata, alternant. *Com. Festetics.* Vid. Tab. III. N. 112.

2. S. LA-

2. S. LADISLAVS REX. Hujus imago solitis cum attributis. In area hinc H. inde aliud quodpiam signum.

+ ALBERTVS D. G. R. VNGARIE. Scutum quadripartitum, in quo 1*ma* area quatuor fascias Regni Hung. 2*da* leonem Bohemiæ; 3*tia* Fasciam Austriæ; 4*ta* Aquilam Silesiæ complectitur. *Univ. Pest.* Vid. Tab. III. N. 13. *Tab. III. N. 113.*

In alio simili sunt siglæ: K. B. in aliis aliæ siglæ.

Albertus Austriacus ob Elisabetham conjugem, gener *Sigismundi*, huic mox ab obitu in Regno Hungariæ successit, electus exeunte anno 1437. & coronatus Calendis Januarii 1438. eodemque anno & coronam Bohemiæ cum adnexo Silesiæ Ducatu obtinuit. Hæc proinde ratio est quatuor diversorum insignium, quæ in scuto heraldico aurei, posteriore loco descripti, occurrunt.

Aureæ monetæ Regis *Alberti* sunt quidem raræ, non tamen rarissimæ, quales Jacobus a *Mellen* esse existimavit, dum in sua Regum Hungariæ serie unum aureum describens, qui solis siglis K. L. differt a nostro Tab. III. N. 112. depicto, his verbis prædicat raritatem: „Rarissimum hunc Numum aureum, quem in plurimis, iisque alias instructissimis gazophylaciis, frustra quæsiveris, ALBERTVS Austriacus, præcedentis Sigismundi gener, signari curavit.“ Hungaricis hujus *Alberti* aureis rariores procul dubio sunt Bohemici; Nam P. Adauctus *Voigt* cum Bohemicum proferre nequiret, Hungaricum solummodo *Alberti* aureum in Opere suo P. II. p. 310. recensuit, & alium Germanicum Basileensem cum effigie Deiparæ, & pomo Imperii. Quibus descriptis, meminit postremo illius quoque Numismatis aurei formæ maximæ, quod ex officina Pragensis Judæi, de quo sub finem præcedentis Dissertationis egimus, prodierat, hasque inscriptiones, & icones habet:

IMP. CAES. ALBERTVS PI. FE. AVG. GER. HVN. BOH. Protome Imperatoris *Alberti*, corona Imperiali redimiti, habitu loricato, d. ſceptrum, s. gladium lateri adpenſum, tenentis.

ELISABETHA ALBERTI. II. ROM. IMP. CONIVNX. Protome Imperatricis Eliſabethæ, coronatæ, velatæ, ac dextra manu florem pectori admotum gerentis.

Literas impoſtor veteres monaſticas imitatus eſt.

II. *Monetæ argenteæ ejusdem Regis.*

1. ✛ REGIS VNGARIE. ETC. Protome Regis Alberti, & ſiglæ: N. S.

✛ MONETA ALBERTI. Scutum quadripartitum; in prima area faſciæ quatuor, in ſecunda, & tertia Leo, in quarta eſt aquila. *Com. Feſtetics.* Vid. Tab. III. N. 114. *Tab. III N. 114.*

Hic denarius ob effigiem Regis Alberti rariſſimus eſt.

2. MONETA ALBERTI. Crux duplex, & ſiglæ K. L.

✛ REGIS VNGARIE. Scutum faſcias Regni Hungariæ exhibens. *Dom. Univ. Peſt.* Vid. Tab. III. N. 115. *Tab. III. N. 115.*

Hic Alberti denarius eſt ſimillimus, quoad formam, & utriusque partis typum, denario Sigismundi ead. Tab. N. 109. delineato.

3. M. ALBERTI. R. VNGARIE. Crux duplex, & ſiglæ K. P.

In averſa parte, in ſpatio aliquot arcubus clauſo ſcutula quatuor, nempe Hungaricum in medio, & circa hoc Bohemicum, Auſtriacum, & Silefiticum. *Ibidem.* Vid. Tab. III. N. 116. *Tab. III. N. 116.*

4. Omnia, ut in præcedente, ſed ſiglæ ex parte crucis duplicis hinc C. inde lilium. *Com Feſtetics.* Vid. Tab. III. N. 117. *Tab. III. N. 117.*

In omnibus fere denariis argenteis R. Alberti primo ſtatim intuitu obſervari poteſt nimia æris admixtio. Breve Alberto fuit regimen, nam ſequente poſt ſuam coronationem anno cum eſſet in reditu ab expeditione Turcica, apud pagum *Nesmil*, germ. *Langendorf*, extinctus fuit.

§. XI.

§. XI.

Monetæ WLADISLAI I. Regis, ab Anno 1440. *ad* 1444.

I. *Numi aurei.*

1. S. LADISLAVS REX. Effigies S. Ladislai coronati, palliati, ſtantis, ac dextra bipennem, ſiniſtra globum crucigerum tenentis. In area N. & ſtella.

✠ WLADISLAVS. D. G. R. VNGARIE. In medio ſcutum quadripartitum, in cujus area 1*ma* quatuor faſciæ Hungaricæ, in 2*da* Aquila Polonica; in 3*tia* Eques Lithvanicus, in 4*ta* Crux duplex Hungarica. *Univ. Peſt.* Vid. Tab. III. N. 118. *Tab. III. N.* 118.

2. In aliis, ejusdem inſcriptionis ac typi, aureis aliæ ſiglæ monetales. Apud *Mellen* in cit. ſerie Reg. Hung. p. 44. & *Du Val*, *Monnoies en or* cet.

Tempore *Wladislai I.* Regnum Hungariæ in duas factiones fuit ſciſſum, ideoque Numi pro duobus Regibus ſignabantur, nempe *Cremnicii* pro *Ladislao Poſthumo*, in aliis vero civitatibus montanis pro *Wladislao*; teſte *Dlugoſſo* eorum temporum Scriptore Polono, qui hoc referens, una & formam aureorum *Wladislai I.* hunc in modum deſcribit Lib. XII. Col. 760. „Et licet in oppido Kremnicii, & ejus montibus in rebellionis ſignum non Wladislai Regis Vngariæ, ſed Ladislai, filii Regis Alberti, nomine, & armis monetæ cuderentur, in omnibus tamen aliis montibus, & fabricis Wladislai veri Regis arma, & ſubſcriptio in moneta aurea, & argentea ponebantur. Habebat autem *flo-enus* Wladislai Regis in una parte arma in quadrum ſita. In una parte anguli erant Ungariæ quatuor baræ; in ſecunda: arma Regni Poloniæ, aquila coronata, alis extenſis; in tertia: arma magni Ducatus Lithvaniæ, vir armatus vibratum tenens gladium, equo inſidens; in quarta: Crux per transverſum geminata. Subſcriptio talis legebatur: *Wladislaus Dei Gratia Rex Vngariæ.* In altera parte imago S. Ladislai ponebatur.“

II. *De-*

II. *Denarii arg. ejusdem.*

1. M. WLADISLAI REGIS. Crux duplex, & ſiglæ hinc B. inde H. cum ſtellula.

In averſa: tria ſcuta, Hungaricum, Polonicum, & Lithvanicum, inclinata ad triangulum, in quo crucula eſt. *Univ. Peſt.* Vid. Tab. III. N. 119.

Tab. III. N. 119.

2. M. WLADISLAI DEI G. Scutum coronatum bipertitum, continens a dextris faſcias quatuor, a ſiniſtris crucem duplicem; extra ſcutum ſiglæ, ut in præced.

✝ REGIS VNGARIE ETC. Scutum, in quo Eques Lithvanus. *Ibidem.* Vid. Tab. III. N. 120.

Tab. III. N. 120.

3. ✝ MONETA WLADISLAI DEI. G. In medio Aquila Polonica.

✝ REGIS. VNGARIE. ET. C. Scutum cum utroque inſigni Hungariæ, ut in præced. Eædem quoque ſiglæ. *Ibidem.* Vid. Tab. III. N. 121.

Tab. III. N. 121.

De rebus geſtis *Wladislai I.* & ejus ad Varnam interitu conſule patrios Annales.

§. XII.

Monetæ JOHANNIS de HUNYAD Gubernatoris Hungariæ ab Anno 1444. *ad.* 1452.

I. Numi Aurei.

1. S. LADISLAVS REX. Icon S. Ladislai conſuetis cum attributis, & ſiglæ, hinc N. vel R. inde parmula, in qua pro Inſigni duo piſces, an lacertæ duæ? incertum.

✝ IOhANNES D. hW. R. VNGARIE. GVB. Scutum quadripartitum, in prima, & quarta area faſciæ conſuetæ R. Hung. in ſecunda crux duplex; in tertia, Corvus, Inſigne Domus Hunyadianæ, ſeu Corvinianæ. *Univ. Peſt.* Vid. Tab. III. N. 122.

Tab. III. N. 122.

2. Alius

2. Alius similis, sed in quo siglæ hinc R. inde parmula, in qua crux decussata. *Musei Cæs. Vind.* Vid. Tab. III. N. 123. *Tab. III. N.* 123.

3. Alius inscriptionibus ac typo iisdem, ut in præcedentibus, sed in quo titulus *Johannis* inscribitur D. h. W. loco D. hW. *Editus in Mellenii serie Reg. Hung. per Burghardt.* Vid. Tab. III. N. 124. *Tab. III. N.* 124.

Primum omnium in his aureis observari velim titulos *Johannis Hunyadii*, sive *Corvini*, quos alii aliter legunt. Nempe Jacobus a *Mellen l. cit.* p. 60. hanc epigraphen: + IOHANNES. D. H. W. R. VNGARIE GVBER. interpretatur: *Johannes de Hunyad Wladislai Regis Vngariæ Gubernator.* Quæ interpretatio nequit sustineri vel hac una de causa, quod idgenus monetæ, solummodo post obitum Regis *Wladislai* fuerunt signatæ. Quapropter aliis, illud W in dicta epigraphe notat *Wajvodam*, ita ut sit: *Johannes de Hunyad Wajvoda, Regni Hungariæ Gubernator.* At neque hæc lectio probari potest. Quid ita? Quia ex Annalibus constat, *Johannem Hunyadium*, postquam ab obitu Wladislai Regis *Gubernator* Regni Hungariæ constitutus fuit, nunquam deinceps *Wajvodam* appellatum fuisse. Quomodo igitur, inquis, hæc legenda sunt, IOHANNES D. H. W? Ajo primum, h & W non esse dispungenda, ut faciunt *Du Vallius*, & *Mellenius*, sed uti est in *aureo*, inter hic descriptos primo, junctim sumenda; deinde affirmo, D. hW. significare De HVNYAD, quod olim scribebatur De *hwniad.* Non hoc pro arbitrio dictum est. Consule Johannis de *Thwrocz* Chronica Hungarorum ex editione Sæculi XV. qualia præsto sunt etiam in Bibliotheca R. Universitatis Pestiensis, & reperies, ubi de *Johanne Hunyadio* agitur, non ibi scriptum esse Huniad, verum *hwniad.* Ex iisdem Chronicis intelliges etiam, *Joannem de hwniad*, ex quo tempore in *Gubernatorem* Regni Hungariæ fuit electus, nunquam amplius cum titulo *Wajvodæ*, sed cum solo *Domini Gubernatoris* titulo inveniri, usque ad illud tempus, quo *Ladislaus Posthumus*, ex Austria in Regnum

Hung.

Hung. revocatus, eundem *Johannem* de *hwniad*, post resignatum Gubernatoris munus, creavit *perpetuum Comitem Bistricensem*, ejusque armis adjecit *Leonem*, cum corona in unguibus.

Titulum, sive ut vulgo dicimus, prædicatum *de Hunyad* noster hic *Johannes* habuit ab arce Transylvanica hujus nominis, quam cum terris adjacentibus in prœmium bellicæ suæ virtutis Regia donatione pro se, suisque hæredibus obtinuerat. Antiquius cognomen *Corvini*, a loco suæ nativitatis, viro *Hollós*, quod vocabulum hungaricum latinis *Corvinum* significat. Ibi enim patre nobili Valacho Buthio, matre autem græca natum fuisse prodit *Bonfinius*, Regis *Mathiæ Corvini* historicus, *Dec. III Rer. Hung. Lib. IV. & IX.* Atque hinc petenda est etiam origo *Corvi gentilitii*, quem *Johannes de Hunyad* in suis monetis exsculpi fecit. Nam cetera, quæ de Corvo hoc heraldico prædicantur, fabellas redolent, ab assentatoribus confictas. Hæc interea.

II. *Denarii argentei ejusdem.*

1. ✝ M. REGNI VNGARIE. Scutum solas 4. fascias continens.

TEMPORE IO GVBER. Crux duplex & siglæ D. N. *Univ.*
Tab. III. N. 125. *Pest.* Vid. Tab. III. N. 125.

Absente in Austria Rege pupillo *Ladislao Posthumo*, Johannes *Hunyades*, ut vicaria tantum potestate Regnum gubernavit, ita & monetas signavit non proprio jure, ac arbitrio, sed secundum præscriptas sibi leges; quod ipsum præsentis Numi inscriptio indicat; *Moneta Regni Vngariæ Tempore Johannis Gubernatoris.*

2. MONETA IOH - - -. Corvus rostro vacuo insidens ramusculo, & siglæ: I. E.

— — hVNGARIE. Scutum bipertitum, in quo 4. fasciæ a dextris, & crux duplex a sinistris. *Musei Klimoniani Quinque Eccl.*
Tab. III. N. 126. Vid. Tab. III. 126.

Ex

Ex inscriptionibus detritis hæ solum literæ, quas hic descripsimus, utcunque commode legi possunt. Numulus ceteris rarior ob Corvum solitarium, eoque non *annuligero*, uti fere semper est in monetis Mathiæ Corvini, & in aureis *Johannis* de Hunyad per *Mellenium*, ac Du *Vallium* editis, nam in nostro aureo, quem e Museo R. Universitatis Pestiensis edidimus, Corvus perinde, ut in præsente denario, nullum rostro annulum gerit.

3. TEmpore IOhANIS. Crux duplex, & pro siglis hinc N. inde crucula.

+ M. REGNI VNGARIE. Scutum, in quo 4. fasciæ. *Ibidem.* Vid. Tab. III. N. 127. *Tab. III. N.* 127.

In aliis similibus aliæ siglæ.

4. MONETA REGNI VNGARIE. Epigraphen præcedit flosculus. In medio crux duplex, & siglæ B. I.

+ TEMPORE GVBERNATORIS. In medio leo Bohemicus. *Univ. Pest.* Vid. Tab. III. 128. *Tab. III. N.* 128.

Huic similem denarium edidit P. Adauctus *Voigt.* P. II. Monetarum Boh. p. 372. & in additamentis (Zusätze und Verbesserungen N. 44. & p. 376). In quo tamen siglæ a nostris diversæ, nempe K. R. & partis aversæ plenior hæc epigraphe: TEMPORE IOh. GVBERNATORIS. Figura leonis Bohemici eadem, quæ in nostro. De hoc denario laudatus Auctor disserens, causam *Leonis Bohemici* in moneta hungarica sub Johanne Gubernatore signati reddit geminam, prior est, ut per conjunctionem insignium Bohemiæ cum insignibus Hungariæ, palam fieret, utrumque hoc Regnum pertinere ad unum, eundemque Regem, scilicet *Ladislaum Posthumum*, pro quo propter ætatem teneram adhuc apud tutorem suum Imp. Fridericum III. commorante, Bohemiam quidem Georgius Podiebradius, sed Hungariam Johannes Huniades gubernabat. Altera autem non minus verosimilis ratio est, *Johannem* Gubernatorem adhibito in mo-

neta hungarica Leone Bohemico ostendere voluisse sui Regis jus ad coronam Bohemiæ, quam illi quidam Calixtinæ factionis homines eripere tentabant.

Sunt nihilominus nonnulli, qui in his denariis non *Bohemicum*, sed *Bistricensem* Johanis Leonem repræsentari existimant. Cui opinioni non esse deferendum duplex ratio evincit; nimirum hæc imprimis, quod idgenus monetam *Johannes* Gubernator antea cudi fecerit, quam sibi Rex Ladislaus contulisset dignitatem Comitis Bistricensis cum Leonis insigni, suis inserendo armis gentilitiis; deinde, quod forma leonis coronati, erecti, cum cauda bifurcata, qualis in his denariis cernitur, nulla ratione leonem Bistricensem, sed Bohemicum exhibeat. Utraque ratio ut majore in luce ponatur, licebit ex Thuroczianis Hungarorum Chronicis locum, qui huc pertinet, integre describere. Nempe P. IV. Cap. 51. hæc narrantur: „ Conventum fuit ergo, ut & Dominus Gubernator, regnique Domini, & Magnates cuncti ad exhibendos puero Regi condignos honores, fidelitatisque homagium præstandum illuc irent. Nec dilatum extitit, quia omnis Dominorum Hungariæ pulcritudo in Viennensem civitatem convoluta est. — — Ubi & Dominus Gubernator onus sui officii, quod jam octo per annos felici gestamine direxerat, sponte exuit, & millesimo quadringentesimo quinquagesimo secundo instante Domini anno Regnum Hungariæ, sanguinolentis suis, suorumque laboribus, omni industria, solicitudine, & bellicis artibus præservatum, Regi *Ladislao* restituit. Propter quod ipse *Ladislaus* ipsum Dominum *Gubernatorem* — — — magna cum solemnitate in *Comitem Bistricensem* sublimavit, & temporalem gubernationis dignitatem prædictam — — — in perpetuam commutavit hereditatem. Armorum quoque insigniis, puta *Corvo*, gestamine annuli de colore flavo in clypeo depicto, quæ ipse dominus Comes usque tunc gestaverat, alia clara insignia, *rubeum* scilicet *Leonem*, *coronam unguibus rapere*

volentem

volentem, albo in ſcuto depictum ſuperaddidit.“ Plenior, & accuratior additi ad veterem Corvum leonis, coronam, non quidem, ut Auctor Chronicorum ſcribit, rapientis, ſed ſolum tenentis, vel quaſi offerentis, petenda eſt ex ipſo Diplomate *Ladislai Poſthumi*, quod a Joh. Jacobo *Spies* P. I. Archiviſchen Neben Arbeiten p. 177. editum apud RR. *Katona* T. XIII. Reg. Hung. p. 865. legitur.

Sequens denarius:

✝ MONETA REGNI hVNGARIE. Scutum 4. faſcias continens.

✝ DALMATIE. ET CETERA. Crux duplex.

Signatus eſſe videtur ab obitu Wladislai I. antequam Johannes Huniades Regni Hungariæ Gubernator conſtitueretur. Typum Numi, Agriæ viſi, mecum ante complures annos communicavit RR. Ignatius BAERNKOPF Canonicus Strigon.

§. XIII.

Monetæ LADISLAI Poſthumi Regis, ab Anno 1452. quo ſine Tutore cœpit regnare usque 1457.

I. *Monetæ aureæ.*

1. S. LADISLAVS REX. Conſueta icon S. Ladislai. Siglæ F. & parmula, in qua eſt corona.

✝ LADISLAVS. D. G. R. VNGARIE. Scutum quadripartitum, in quo faſciæ quatuor hungaricæ, dein Leo Bohemicus, tertio loco Aquila Moraviæ, vel Sileſiæ, quarto faſcia Auſtriæ eſt. *Univ. Peſt.* Vid. Tab. III. N. 129. *Tab. III. N. 129.*

Ex faſcia Auſtriaca, in ſcuto expreſſa, facile eſt diſcernere Numos *Ladislai Poſthumi* ab omnibus aliis, qui commune *Ladislai* nomen geſſerunt, Regibus Hungariæ.

2. S. LADISLAVS REX. Imago S. Ladislai, ut in præcedente, ſed ſiglæ: K. R.

✠ LADISLAVS D. G. R. VNGARIE. Scutum idem, quod
Tab. III. N. 130. in aversa præcedentis aurei. *Ibidem.* Vid. Tab. III. N. 130.

3. S. LADISLAVS REX. Effigies S. Ladislai coronati palliati stantis cum bipenne in dextera, & globo crucigero in sinistra, ac nimbo circum caput. In aurea siglæ H. R.

✠ LADISLAVS. D. G. R. VNGARIE. Scutum quadripartitum, in cujus area 1ma, & *4ta* fasciæ R. Hung. in *2da* Aquila
Tab. III. N. 131. coronata Moraviæ; in *3tia* crux duplex hungarica. *Com. Festetics.* Vid. Tab. III. N. 131.

4. MONETA. LADISLAI. DEI GRA. Scutum quadripartitum, continens 1. Fascias quatuor Hung. 2. Leonem Boh. 3. Aquilam Silesiæ. 4. Fasciam Austriæ. Extra scutum siglæ: K. P.

✠ REGIS. VNGARIE. ET. CETERA. In medio Aquila
Tab. IV. N. 132. maculis albis conspersa, Insigne Marchionatus Moraviæ, pectore gerens parmulam Austriacam. *Ibidem.* Vid. Tab. IV. N. 132.

Hic aureolus reliquis rarior est, ob solam aquilam, eamque Moravicam in parte aversa.

5. S. LADISLAVS. REX. Consueta Icon hujus Sancti, & siglæ: H. G.

✠ LADISLAVS. D. G. REX. VNGARIE. Scutum quadripartitum, in quo fasciæ quatuor cum cruce duplici alternant. *Musei Cæs. Vindob.* Editus per *Du Val* Monnoies en Or. p. 101.

Ex octo aureis *Ladislai Posthumi*, in laudato nunc opere editis, hic unicus est, in quo Austriacum Insigne non occurrit. Opinor procusum fuisse mox post coronationem Infantis, anno 1440. Albæ regiæ peractam. Nam ejus nomine cusas fuisse in Hungaria monetas tum etiam, dum *Wladislaus I.* rerum potiretur, constat ex *Dlugossi* narratione, quam hic §. X. descriptam recole.

II. *Denarii, & Oboli argentei ejusdem.*

1. S. LADISLAVS REX. Icon S. Ladislai solitis cum attributis.

M. LA-

M. LADISLAI. R. VNGA. Crux duplex in Tricolle, & ſiglæ: K. I. *Com. Feſtetics.* Vid. Tab. IV. N. 133. *Tab. IV. N.* 133.

2. MON. LADISLAI. RE. Crux duplex ſuper Tricolle. Siglæ: B. P.

VNGARIE. ET. C. Scutum coronatum, quadripartitum, in quo 1. Faſciæ quatuor Hung. 2. Leo Bohemiæ. 3. Duo capita coronata Dalmatiæ, 4. Aquila Sileſiæ, vel potius Moraviæ. *Ibidem.* Tab. IV. N. 134. *Tab. IV. N.* 134.

Nunc primum crux hungarica *Tricolli* inſiſtens depingitur in *monetis* hungaricis, utut in ſigillis jam ſub finem Periodi primæ, & ſub initium ſecundæ conſpiciatur aliquid cruci geminatæ pro baſi additum, ſed quod nondum habet formam Tricollis, ſive trium montium. Recentiores heraldici iis tres præcipuos Hungariæ montes adumbrari volunt, *Tatram* videlicet in Scepuſio, *Fatram* in Provincia Liptovienſi, & *Matram* in Heveſienſi.

Adverte præterea, in denario *2do* pro armis Dalmatiæ duo tantum capita coronata exprimi; an, quod in exigua ſcuti areola ſpatium defuerit pro tertio? an alia de cauſa? incertum. Hæc Leopardorum eſſe credit Auctor Cerographiæ Hung. p. 3. Leonina dicit Du Freſne, *Illyrici Cap.* 2. §. 9. uti & Petrus de Rewa, de S. Corona *Cent. VII.* Ex adverſo Ill. Palma ſuſpicatur humana ſaltem in principo fuiſſe, ac nonniſi artificum ineptia in ferarum capita degeneraſſe. Qua de re vid. Heral. Hung. p. 66. De origine autem Tricollis *ibidem* p. 38.

3. M--- LADISLAI. Crux duplex ſine Tricolle, & ſiglæ: K. R.

+ REGIS. VNGARIE. ET. C. Scutum quadripartitum, in quo 1. Faſciæ quatuor Hung. 2. Leo Bohemiæ. 3. Aquila Moraviæ. 4. Faſcia Auſtriæ. *Ibidem.* Vid. Tab. IV. N. 135. *Tab. IV. N.* 135.

Aquila heraldica Sileſiæ per lunulam, quam in pectore gerit crucula ſignatam, diſcernitur a Moravica. Hæc vero ab aliis per maculas, vel teſſellas argenteas, quibus inſperſa eſt, differt.

 4. + RE-

4. + REGIS. VNGARIE. ET. CETE. Crux duplex, & siglæ: E. C.

Tab. IV. N. 136. + MONETA. LADISLAI. REG. Scutum solas fascias Hungariæ continens. *Univ. Pest.* Vid. Tab. IV. N. 136.

5. + MONETA. LADISLAI. Crux duplex, & siglæ: K. & K.

Tab. IV. N 137. + REGIS. VNGARIE. ET. Scutum, in quo solæ fasciæ quatuor campum implent. *Com. Festetics.* Vid. Tab. IV. N. 137.

6. M. LADISLAI. R. VNGARIE. Crux duplex, & siglæ: K. R.

Tab. IV. N. 138. In parte aversa, quatuor parmulæ, 1. Hungarica cum quatuor fasciis, 2. Bohemica cum leone. 3. Austriaca cum unica fascia, 4. Moravica cum aquila unicipite. *Univ. Pest.* Vid. Tab. IV. N. 138.

In omnibus idgenus denariis, & obulis Regis *Ladislai Posthumi* æs prædominatur argento.

Quod in scuto monetarum Ladislai Posthumi aquila non tam *Silesiæ*, uti Mellen, & Voigt existimarunt, quam *Moraviæ* sit, ex ipsis etiam titulis, quibus hic Rex in suis Diplomatibus utitur, colligi potest. Exordium enim Diplomatis anni 1453. quo *Johannes de Huniad* dignitate Comitis Bistricensis exornatur, sic habet: „Ladislaus Dei gratia Rex Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Austriæque, & Stiriæ Dux, *nec nou Marchio Moraviæ* &c. Item in Diplomate anni 1457. quo Legatis, Parisios pro adducenda sibi Sponsa *Margarita*, Caroli VII. Galliæ regis filia, destinatis plenam rerum agendarum potestatem tribuit, hoc initium est: „Ladislaus D. gr. Hung. Boh. Dalm. Croatiæ &c. rex Austriæ, & Lucenburgensis dux, nec non Moraviæ, & Lusatiæ Marchio &c. Utrumque Diploma vid. apud *Katona* T. XIII. Reg. Hung. p. 865. & alterum p. 1209. Solent enim arma scuti heraldici examussim respondere titulis Regnorum, & Provinciarum in Diplomate expressis.

§. XIV.

§. XIV.

Numi MATHIÆ Corvini Regis ab Anno 1452. *ad* 1490.

Sub hoc Rege inchoant Numismata mnemonica, & Aurei imagine Mariana insignes.

I. *Numismata mnemonica ex auro, & argento.*

1. MATHIAS. REX. HVNGARI: BOHEM. DALM. Caput Regis laureatum, vultu sinistrorsum converso.

Duo exercitus prœliantes. Hungaricum crucula duplex, Turcicum lunula, vexillo inscripta, discriminant. *Aureus mediæ magnitudinis. Com. Festetics.* Vid. Tab. IV. N. 139. *Tab. IV. N.* 139.

Exstat & in Museo Cæsareo Vindobonensi, a *Du Valio* editum *Monnoies en Or* p. 101. ubi tamen non æque, ac in Festeticsiano, conspicua est crucula duplex in vexillo exercitus Hungarici, cum Turcico prœliantis. Festeticsiani Ectypum reperies nostro simile in Indiciis Viennensibus (*V. Jahrgang.* 1775. pag. 297.) cum erudito Commentario Auctoris, unica litera W notati, qua Carolum *Wagner* indicari arbitror.

Hungari regnante Corvino sæpius prospere cum Turcis conflixerunt. Anno 1463. urbs Jaitza Turcis erepta, & Bosniæ Regnum in fidem receptum fuit. Sequente autem Jaitzam recuperare volentes Turcæ obsidionem solverunt, audito Regis Corvini adventu. 1475. Blasius Magyar Turcas in Moldaviam procurrentes insigni clade affecit, & 1476. Rex ipse castrum Szabács in Servia expugnavit, unde Budam redux ad Beatricem de Arragonia sibi connubio jungendam, cum nuptiarum solemniis ab expeditione impediretur, per Legatum suum Stephaneum Bathoreum rem iterum in Moldavia, & Valachia Transalpina adeo feliciter gessit, ut deletis copiis hostilibus, ipsoque Turcarum Imperatore fugato, & perfido Bazarado Vajvoda ejecto, utramque Provinciam liberam, pacatamque reliquerit.

a) Auctor

a) Auctor supr. cit. Commentarii existimat, ob hanc potissimum victoriam hoc Numisma fuisse procusum, atque inter illustres hospites, qui ad nuptiarum solemnia variis e Provinciis in Hungariam confluxerunt, distributum. Idem observat, ob titulum Regis Bohemiæ, quem Mathias Corvinus in hoc Numismate habet, non potuisse illud antea, quam post annum 1469. quo hic titulus eidem accessit, signari.

2. MATH. HVN. COR. PANNONIAR. BOH. Q. REX. Protome Regis vultu adverso.

CAESARE. MAGNA. MIHI. VICTO. THRACVM Q. TYRANNIS. MAIOR. APOLLINEA. GLORIA. PARTA. TVBA. EST. ANNO. MCCCCLXXXV. Insculptum tabulæ quadratæ, lemniscis ornatæ, infra quam cernitur Corvus rostro annulum gerens. *Argent. Semiuncial. Exc. Com. Joann. Nep. ESZTERHÁZI.*

Anno 1485. quem hoc Numisma præsefert, *Mathias Huniades Corvinus, Pannoniarum, Bohemiæque Rex*, Viennam Austriæ expugnavit, compluribus jam antea victoriis reportatis, tam de Cæsare Friderico III. quam de Mahomete, & Bajazete Turcorum Sultanis. Johannes de Thurocz P. II. Chron. Hung. Cap. LXVII. narrat, post captam Viennam sequentes in laudem Regis Corvini versus prodivisse:

„ Discite mortales, nimium non fidere muris,
Mœnia quid valeant, capta Vienna docet.
Strenua quid possit virtus, & dextera Regis,
Exemplo monstrat clara Vienna suo.
O miranda nimis placidi clementia Regis,
Lædere non novit, vincere cuncta solet. “

Hæc duo Numismata inter mnemonica Hungariæ sunt antiquissima. Nam cur serius procusa suspicemur, nihil est, quod magnopere

---

a) Vid. *Mathiæ Corvini* Diploma de anno 1477. quo *Stephanus Báthori* ob hanc victoriam, & alias virtutes suas celebratur. Apud RR. *Pray* in Supplemento ad Annales Reg. Hung. Dissert. VII. p. 148.

gnopere ſuadeat. Immo par eſt credere, in tanto numero doctorum virorum, qui partim cum Regina Beatrice advenerunt, partim per ipſum Regem Corvinum ex Italia in Hungariam acciti erant, & ſtipendiis publicis alebantur, fuiſſe aliquos, quibus & hoc in mentem venerit, ut laudes Corvinianæ jam talibus quoque monumentis ad poſteritatem transmitterentur. Quod vero in mnemonicis his Numis literæ non ſint, ſicut in aliis temporis illius monetis, contortæ, monaſticæ, ſive, ut dici amat, neo-gothicæ, ſed, qualibus hodie utimur, veteres romanæ, quodque laureatum Mathiæ caput in priore numo eleganter exſculptum ſit, hoc felicitati Sæculi XV. in finem vergentis, quo bonæ artes, abſterſa priorum temporum barbarie, ad novam veluti vitam magna jam contentione revocabantur, tribuendum eſt. Huc æque pertinet, in altero Nomismate inciſus æræ Chriſtianæ annus, magno hactenus incommodo in Monetis neglectus, uti & alia hujus generis, quæ in ſequentium Regum Numis, ad ferendum de progreſſu artis judicium, obſervare poterimus.

II. *Aurei communes MATHIÆ Corvini.*

1. LADISLAVS REX. Stans hic Sanctus coronatus, nimbatus, palliatus, dextra bipennem, ſiniſtra globum crucigerum tenens. In area ſiglæ: H. & crucula.

+ MATHIAS. D. G. R. VNGARIE. Scutum quadripartitum, in quo 1) quatuor faſciæ Hung. 2) Leo Bohem. 3) Corvus gentilitius ramuſculo inſiſtens, & roſtro annulum gerens, retro lunula decreſcens. 4) Crux duplex. *In pluribus Muſeis.* Vid. Tab. IV. N. 140. *Tab. IV. N. 140.*

1. Inſcriptio, & imago S. Ladislai, ut in præced. ſed ſiglæ K. K. & parmula infra ſecundum K.

+ MATHIAS D. G. REX. VNGARIE. Scutum, in quo 1) quatuor faſciæ. 2) Crux duplex. 3) Corvus annuliger in ramuſculo. 4) Leo coronatus. *Univ. Peſt.* Vid. Tab. IV. N. 141. *Tab. IV. N. 141.*

Com-

Communes *Mathiæ Corvini* aureos vulgo appellamus Ducatos *Corvinos*, germ. *Rabler*, vel *Raben Ducaten*, ab effigie *Corvi*, quo insigniuntur. De *Corvo* Mathiæ gentilitio, hujusque origine, sermo erit post descriptionem *Denarii argentei*, in cujus aversa occurret Corvus solitarius. Hoc autem loco animadvertere juvat, Aureos Corvo signatos apud rudem plebem, cumprimis Valachicam, haberi pro amuletis ad icterum depellendum, aut causa facilioris partus. Germani vocant eos *Rabler*, vel *Raben Ducaten*. Magno hodieque numero supersunt, plures tamen cum icone Mariana in parte altera, quam cum scuto Insignium nunc descriptorum. Corvus ibi annuliger infra iconem Marianam quærendus est.

3. MATHIAS. D. G. R. VNGARIE. Effigies Deiparæ, capite velato, sedentis cum Jesulo in sinu dextro, qui pomum tenet manu dextra. Infra: Corvus annuliger.

S. LADISLAVS. REX. Effigies S. Ladislai more solito cum bipenne, & globo crucigero. Siglæ: N. & parmula, in qua duo mallei

Tab. IV. N. 142. in decussim positi. *Musei Cæs. Vindob. & Mihi.* Vid. Tab. IV. N. 142.

De Siglis occurrentibus in genere notandum est, harum unam indicare locum signatæ monetæ, ex. c. N. *Nagybaniam*, germanice olim *Ungrisch Neustadt*, & alio nomine Latinis *Rivulum Dominarum*. Id quod alibi magis declarabitur. K. *Kremniczium* Hungariæ; H. *Herrmannstadt* Transylvaniæ, aliter *Cibinium*, pro quo est sigla C. &c. Altera vero sigla, vel parmula gentilitia pertinet ad Præfectum illius Cameræ, in qua Numus fuerat procusus, quorum nomina aliunde potius, quam ex Numis eruenda sunt.

4. MATHIAS. D. G. R. VNGARIE. Effigies Deiparæ, capite coronata, sedentis in culcitra, cum Jesulo in sinu dextero. Infra: Corvus annuliger.

S. LADISLAVS. REX. Consueta Icon S. Ladislai. Siglæ: hinc N. inde parmula, in qua Caput Gruis, vel Ciconiæ. *Ibidem.*

Tab. IV. N. 143. Vid. Tab. IV. N. 143.

5. MATHIAS.

5. MATHIAS. D. G. R. VNGARIE. Deipara, capite coronato, Jesulum gerens sinu sinistro. In eodem latere urceolus cum floribus. Infra Corvus annuliger.

S. LADISLAVS. REX. Consueta effigies S. Ladislai. Siglæ: K. N. *Ibidem.* Vid. Tab. IV. N. 144. *Tab. IV. N.* 144.

In hoc, & sequente aureo literæ sunt forma veteri romana, & figuræ nitidius, quam in aliis expressæ.

6. MATHIAS. D. G. R. VNGAR. Deipara, capite coronato, sedens in throno, gerensque Jesulum sinu dextero. Ad idem latus urceolus cum floribus. Infra Corvus annuliger super ramusculo.

S. LADISLAVS. REX. Solita hujus Sancti effigies. Siglæ: K. P. & flosculus. *Ibidem.* Vid. Tab. IV. N. 145. *Tab. IV. N.* 145.

7. Inscriptiones, & imagines utriusque partis eodem plane modo, quo sunt in Aureo sub N. 3. descripto. Sed in hoc nullum apparet pomum, quod Jesulus manu teneret; & in aversa parte siglæ sunt: N. T. *Ibidem.* Vid. Tab. IV. N. 146. *Tab. IV. N.* 146.

8. MATHIAS. D. G. R. VNGARIE. Deipara capite coronato, sedens in throno duabus columellis, quarum singulis globus incumbit, ornato, Jesulumque sinu dextero gerens. Infra: Corvus annuliger.

S. LADISLAVS. REX. Consueta icon S. Ladislai. Pro siglis, hinc N. inde parmula, in qua est caput Ciconiæ, vel Gruis. *Ibidem.* Vid. Tab. IV. N. 147. *Tab. IV. N.* 147.

Observationes de imaginibus Deiparæ in Numis hungaricis, ex posthumis adversariis P. Xysti SCHIER, per P. Martinum ROZNAK erutæ.

Aliquot abhinc annis Cl. P. Martinus *Roznak*, Ordinis S. Augustini Religiosus, postquam propositum meum de conscribenda, & edenda Hungariæ Numismatica cognovisset, communicavit mecum observationes P. Xysti *Schier*, ejusdem Ordinis Religiosi, nonnullis

Opuſculis, quæ res Hungariæ illuſtrant, magnam apud nos celebritatem adepti, utque illas vel ſeorſim, vel hoc Opere luce publica donarem, optavit. Hujus igitur viri doctiſſimi deſiderio ſatisfacturus, hoc eas loco, eodem, quo accepi, ordine propono, pauculis, quæ neceſſariæ videbantur, adjectis Notis. En illas!

„ I. Etſi plus quam certum ſit, Virginem Deiparam a Regibus Hungariæ, ex quo Chriſtiana ſacra ſuſcepit gens, cultam fuiſſe ſingulari ſtudio, fruſtra tamen ſunt, qui imagines ejus in Numis excuſas ad ætatem divi Stephani, aut Belæ I. aut II. referunt. Aliud docent Numi eorum ſuperſtites, quorum nullus hoc ſigno notatus reperitur. “ *a*)

„ II. Pri-

a) Vulgi opinionem, quam Samuel Timon, & Anonymus Cerographiæ Hung. Auctor ſecuti ſunt, de Inſignium Marianorum apud Hungaros initiis, divo Regi Stephano attributis, ac de primis aureis icone Deiparæ jam a S. Ladislao Rege ſignatis, dudum refutavit Ill. Franciſc. Car. Palma in Heral. Hung. p. 47. qui & originem erroneæ hujus opinionis prorſus veriſimiliter conjectat, hunc in modum ſcribens: „ Equidem niſi me fallunt omnia, moneta illa, quam Auctor Cerographiæ non quidem ab ſe viſam, ſed ſolummodo ſibi deſcriptam, meminit, multo ævi eſt poſterioris, atque illarum e numero, quas Mathiæ Corvino, ceterisque poſt ipſum imperantibus procuſas novimus. In his quippe, ac nominatim Corvinianis, parte altera divæ Virginis divinum puerum ſinu gerentis effigies, altera ſtans divus Ladislaus militari habitu conſpicitur. Quæ omnia, cum allata in Cerographia deſcriptione exacte congruunt. Atque hujus generis numos paſſim a vulgo divo Ladislao tribui ipſus non una vice comperi. Errori occaſionem præbuerit, annus cuſæ monetæ pro ætatis illius more non expreſſus. Quod ſi tamen ad radios D. Regis capiti circumpoſitos, epigraphen item *S. Ladislaus Rex* advertiſſent, facile deprehendi poterat, neque radiorum ornamentum, neque Sancti appellationem viventi ſibi adjici paſſurum fuiſſe Regem, cum ceterarum virtutum, tum vero Chriſtianæ modeſtiæ ſtudioſiſſimum. “

„ II. Primus, qui eam prærogativam Dei Matri detulit, est Bela IV. idque post annum 1260. quo Stephanum filium socium Regni, Regemque nominavit. In illis eo tempore sive *argenteis*, sive *æreis* cusis, facies adversa exhibet patrem, & filium sedentem addita inscriptione: REX. BEL. REX STENS. Aversa Deiparam sedentem, dextraque sceptrum tenentem, addita epigraphe: SANCTA MARIA *a*).“

„ III. Posteri Reges pium cœptum haud prosecuti, ne quidem Ludovicus, utcunque ceteroquin Mariæ devotus, neque Joannes Corvinus Gubernator, aut Wladislaus I. hac pietate cultum suum probare contenderunt.“

„ IV. Primus Mathias Corvinus pietatem hanc restituit, quam deinde successores nunquam penitus reliquerunt.“

„ V. De ratione, ac tempore in diversas opiniones abitur. Palma putat, id occasione Beatricis Neapolitanæ in matrimonium acceptæ fuisse introductum. Hac suadente, ut alia multa faciebat, sic Marianum cultum in Numis restituendum putavit. Verum in Cod. MSS. Bibliothecæ nostræ Viennensis, quidam hæc in usum suum notavit: 1471. *hab ich von Peter 7. Hungr. unser lieben Frauen Gulden bekommen am Sand peterstag.*

Patet hinc paullo certe antiquiora ei principia fuisse, nam Beatricem primo duxit anno 1476. *b*).“

„ IV. Con-

a) De *æreis Belæ IV.* Numis id quidem verum est, at non simul de ejusdem *argenteis* in genere. Vid. argent. *Belæ IV.* denarios in hoc opere descriptos.

b) Hoc documento rite refellitur non solum *Palma*, verum etiam, ac multo magis Cl. Ferdinandus *Miller*, qui in suis de imagine Mariana hungarico auro impressa, animadversionibus, quas P. Innocentius *Simoncsich* Dissertationi suæ de Numismatica Hung. Diplomaticæ accommodata, p. 89. & seqq. inseruit; arbitratur, Aureos Mathiæ Corvini

Mariana

„ VI. Consuetudinem hanc Anno MDL. Comitia Regia confirmarunt, idque ita, ut etiam Gabriel Bethlen suis in Numis habeat. Ipsi Principes Transylvaniæ id præstiterunt, cum Hungariæ inhiarent, non ob Nagy-Banyam, ut contendit Shwarzius.“

„ VII. Circa figuram, & inscriptionem aliqua nonnunquam in Numis Mathiæ occurrit mutatio. Plerumque exhibetur figura sedens, peplo tecta, sine radiis, in sinistra infantulum Salvatorem gerens, aliquando tamen etiam in dextra *a*).“

„ VIII. In Numis Wladislai II. primum coronata imago comparet *b*). Ita tamen, ut Ludoviciani Numi nonnunquam etiam peplum servent. Coronatam servavere posteri. In Mathiæ Numis argenteis etiam filius coronatus est *c*); quod tamen nemo successorum imitatus fuit.“

„ IX. Sceptrum ejus sinistræ manui primus inseruit Ludovicus II. *d*).“

„ X. A Ferdinandi temporibus ad nostra in aureis, & argenteis majoribus monetis comparet coronata, radiis circumdata, sinistra prolem divinam, dextera sceptrum tenens. Sola moneta (*Mariani*) Theresiana Anni 1743. variat. In illa enim Virgo sedens genuum

Mariana imagine solummodo post ultima Comitia, anno 1486. celebrata; signari cœpisse.

a) Immo vero sæpius in dextra, quam sinistra. Vid. Numos hic delineatos Tab. IV. N. 142. & seqq.

b) Hanc assertionem refellunt aurei Mathiæ Corvini cit. Tab. IV. N. 143. & seqq. in quibus est Deipara coronata.

c) In grosso Mathiæ Corvini Tab. IV. N. 149. solus filius est coronatus: in denariis vero, & in aureis Mater tantum coronata exhibetur, non facile filius.

d) Non sinistræ, sed dexteræ, & jam ante Ludovicum II. hujus pater Wladislaus II. Deiparam habet Sceptrigeram in Auro Tab. IV. N. 166. depicto.

genuum tenus expressa est, dextra Infantem in sinu sedentem tenens, in sinistra sceptrum."

„XI. Inscriptio in *argenteis* Mathiæ Corvini est: *Patrona Hungariæ*, quam posteri servarunt. In *aureo* primum comparet sub Ludovico II. Theresia Augusta semper habet: *Patrona Regni Hungariæ*."

„XII. Ab his integre deviant Quinarii *Leopoldi I.* anni 1688. Stat in his Deipara non coronata; radiis circumfusa, dextra filium complectens, sinistra sceptrum tenens. Inscriptio: S. IMMACVLATA VI. MA. MAT. DEI. PA. HV. 1688. ad pedes P. O. Moneta est Nagy-Bányæ cusa. Simul & aurei nonnulli tam Leopoldi, quam Caroli VI. S. IMMACVLATA V. MAR. MAT. DEI PAT. H. 1675. N. B. infra: L. M. Filius amplectitur Matrem *a*)."

III. *Grossi argentei MATHIÆ Corvini.*

1. PATRONA hVNGARIE. Imago Deiparæ, capite velato, sedentis, ac dextro sinu Jesulum tenentis. Siglæ: hinc K. inde monogramma ex V. & A.

✠ MONTA (*sic*) MATHIE. REGIS. VNGA. Scutum quadripartitum, in quo sunt 1) quatuor fasciæ. 2) Crux duplex. 3) tria capita coronata Dalmatiæ. 4) Leo Bistricensis, unguibus coronam tenens. In medio autem scuti parmula Corvum annuligerum ramusculo insistentem, continens. *Com. Festetics.* Vid. Tab. VI. N. 148. *Tab. IV. N.* 148.

2. PATRONA. hVNGARIE. Deipara capite velato sedens, & Jesulum coronatum, ac sinistra pomum, ut videtur tenentem, in sinu dextro gerens. Siglæ: hinc K. inde parmula tres fascias exhibens.

✠ MONE-

---

a) Etiam in his quædam essent aliter rescribenda. Sed hæc pro se quisque, cujus id interesit, inspectis nostris Tabulis Numismaticis, facile emendabit.

✠ MONETA. MAThIE RGIS (*sic*) hVNGARI. Scutum eadem, ut in præced. insignia complectens, una cum Corvo gentilitio in parmula, sed in area tertia duo tantum capita coronata Dalmatiæ occurrunt, tertio non apparente propter parmulam. *Ibidem.* Vid. Tab. IV. N. 149.

Tab. IV. N. 149.

Grossi Corviniani sunt rariores aureis, & denariis argenteis. Aversa exhibet præter solita Hungariæ, ac Dalmatiæ arma, etiam geminum insigne gentilitium Domus Huniadianæ, videlicet Corvum annuligerum, & Leonem Bistricensem. Non rite *Pflugius*, a) & *Mathesius*, b) scribunt, primum suæ familiæ fuisse Mathiam Corvinum, qui Corvo usus est *annuligero*, nam licet plerique Johannis de Huniad superstites Numi aurei, & argentei Corvum habeant sine *annulo*, constat nihilominus, tunc etiam non qualemcunque, sed *annuligerum* reipsa *Corvum* Domui Corvinianæ fuisse proprium: idque constat non e sola Chronicorum narratione supra descripta, verum ex ipso diplomate *Ladislai Posthumi*, cujus hæc verba sunt: „ Hactenus siquidem ex gracia precessorum nostrorum divorum Hungarie regum prefatus comes Johannes pro armis, seu nobilitatis insigniis, progenitoribus suis, & domui, benefico munere collatis, *Corvum*, in campo flaveo, seu celestino alas paululum elevantem, sub colore naturali depictum, ac formam *annuli aurei* in ore gestantem, habuit, & in omni usu palam prefetulit; nos vero ex nunc in signum novi decoris, & magnificate dignitatis sue, de consilio prelatorum & baronum nostrorum damus eidem, & super addimus prioribus suis armis supra tactis *leonem* integrum coloris rubei, in campo albo sursum erectum, sparsisque post sese pedibus, & ore aperto

a) Epist. ad Seckendorf de Biblioth. Mathiæ Corvini, apud Schmidt in novis accessionib. ad Collectionem Maderianam de Bibliothecis.

b) In Sarepta Concione XVIII. p. 218.

aperto pugnanti, ac frementi, & animoſo ſimilem, atque in altero anteriori pedum, veluti manu quadam, auream *coronam* tenentem, vel quaſi offerentem; ita quod utraque arma ipſa cum ſuis ſupra diſtinctis coloribus per crucem transverſam duplicata, in uno eodemque clypeo collocentur, & deferantur; ipſi autem clypeo ſuperponatur galea aurea coronata cum ſuis ſolitis ornamentis, hinc inde diffuſis; pro criſta vero inſeratur forma ale ſimiliter auree deſuper prominentis „ *a*).

Ceterum hanc Diplomatis regii pericopen non illo dumtaxat fine, ut adverſum Auctores ſupra laudatos uſum Corvi *annuligeri* Rege Mathia vetuſtiorem fuiſſe comprobarem, verum etiam, ut quænam fuerit forma Leonis Biſztricenſis, recentius armis Corvinianis adjuncti, oſtenderem, in medium adduxi. Nam in Groſſis, modo deſcriptis, Rex *Corvinus* utrumque hoc Inſigne gentilitium ceteris Regni ſui armis adjiciendum curavit.

3. GROSSVS WRATISLAVIENSIS. In medio ſtans S. Johannes Baptiſta dexteram pectori admovet, ſiniſtra tenet diſcum, in quo eſt agnus cruciger.

✠ MAThIAS. PRIMVS. D. G. R. BOhEMIE. Scutum quadripartitum, in quo ſunt 1) quatuor faſciæ Hung. 2) Leo coronatus, cauda bifurcata, inſigne Bohemiæ. 3) Bos Luſatiæ. 4) Aquila lunam pectore gerens, Sileſiæ. In medio autem ſcuti parmula exhibens Corvum annuligerum, ramuſculo inſidentem. *Com. Feſtetics.* Vid. Tab. IV. N. 50. *Tab. IV. N.* 150.

Hoc typo Civitas Wratislavienſis in Sileſia Anno 1470. ſignavit non modo groſſos ex argento integros, ac medios, verum etiam florenos auri. Antica exhibet S. Johannem Baptiſtam Eccle-

ſiæ

---

a) Ap. Spies Archiv. P. I. p. 177. & Katona T. XIII. Reg. Hung. p. 866. ſeqq.

siæ Wratislaviensis, ac totius Ducatus Silesiæ patronum, hac forma, qua ejus effigies in eadem Ecclesia Aram majorem ornabat. De insignibus partis aversæ videatur P. Adamus *Voigt T. II. Monet. Boh. p.* 312. *seq.* In privilegio per Mathiam Corvinum Wratislaviensibus collato sequentes cusionis monetarum leges præscribuntur: 1) ut grossi integri, ac medii, nec non denarii Hallenses fierent ex argento æri permixto. 2) ut 120. grossi novi appenderent unam marcam, id est, 16. semuncias (*loth*) ponderis Viennensis. 3) ut hi grossi conflarentur ex argento quinque semunciali (fünf löthigen Silber) id est, ut in una marca talium grossorum quinque tantum semunciæ argenti puri contineantur, undecim semunciis cupri permixtæ. 4) Ut istius *ligæ*, seu temperaturæ, grossus valeat 12. nummulos Hallenses. 5) ut tales 40. grossi dentur pro uno floreno auri. 6) Ut Wratislaviensis florenus auri bonitate, & pondere æquet hungaricum auri florenum. 7. ut a singulis marcis puri argenti ponderis Viennensis pendatur ærario Regio unus auri florenus, ac decem grossi. Vid. *Hirsch* Münz-Archiv. P. II. p. 139. seqq.

IV. *Denarii, & oboli arg. ejusdem Regis.*

1. ✠ MONETA MATIE REGIS. In medio: Corvus annuliger insidens ramusculo. Siglæ: N. & E.

✠ REGIS. hVNGARIE. Scutum coronatum bipertitum, in quo a dextris quatuor fasciæ, a sinistris crux duplex. *Univ. Pest.* Vid. Tab. IV. N. 151.

Tab. IV. N. 151.

2. ✠ MONETA. MATIE. Scutum coronatum, in quo Corvus annuliger super ramusculo.

REGIS. hVNGARI. Crux duplex, & siglæ. C. E. *Ibidem.* Vid. Tab. IV. N. 152.

Tab. IV. N. 152.

Si adsentatorem *Bonfinium* audimus, a) *Corvus* Mathiæ Regis romanam, eamque vetustissimam ex *Valeriis* cognomine *Corvinis* originem

a) Decad. III. Rer. Hung. Lib. IX.

originem indicat. Aliam ejusdem *Corvi* roſtro *annulum* gerentis, & interdum ramuſculo inſidentis, rationem reddunt, qui vulgi rumorem ſecuti crediderunt, *Johannem*, Mathiæ genitorem, Regis *Sigismundi* filium nothum fuiſſe ex matre Valacha. Fabulam Corvi annuligeri Caſparus *Heltai* (in hiſtoria integra Regis Mathiæ Huniadis) & Gregorius *Pethő* in ſuis Chronicis hunc fere in modum adornarunt, Sigismundus Rex, inquiunt, aliquamdiu in Tranſylvania commoratus puellæ *Valachæ* annulum aureum dedit, quo indice noſci poſſet, ſi forte conceptum ex ſe puerum enixa Budam aliquando veniret, opis pro puero flagitandæ cauſa. Contigit autem, ut ludenti puero Corvus advolans eundem annulum eriperet, matre exterrita. Sed Corvum in ramo vicinæ arboris conſidentem vir ſuus confixit ſagitta, amiſſumque annulum puero, hujusque Matri recuperavit. Auctorem hujus Fabulæ *Bonfinius* prodit *Ulricum* fuiſſe, Ciliæ Comitem, Domus Corvinianæ hoſtem acerrimum *a*). Noſtra ætate RR. *Pray* Chronologico oſtendit argumento, ne fieri quidem potuiſſe, ut *Johannes Hunjades* patrem haberet Regem Sigismundum, & Corvo annuligero jam ante *Joannem Hunjadem* hujus majores pro inſigni uſos fuiſſe. Quod quidem alterum ipſe Rex *Ladislaus Poſthumus* in Diplomate ſupra laudato extra dubium ponit. Aliam longe diſparem hungaricæ Domus Corvinianæ originem eruere tentabat doctiſſimus Daniel *Cornides*, prælucente ſibi *Okolſzkio*, qui in opere hodie rariſſimo, *Orbis Polonus* inſcripto, narrat, extitiſſe in Polonia nobilem quandam familiam, quæ pro armis *Corvum* ferebat, & qui eo utebantur, *Hranæ*, id eſt, *Corvi*, ſeu *Corvini* appellabantur. Itaque apud P. Innocentium *Simonchicz* in Numismatica Hung. Diplomaticæ accommodata p. 102. hæc legitur *Cornideſii* argumentatio: „ Ex Polonica, inquit, Corvinorum familia

---

a) Ibidem circa finem.

milia datur unus ramus, qui nomine polonico *Hrana*, id eſt, *Corvus*, vocatur. Quidam ex his WK. *Hrana* dictus in Bosnia reſedit, cujus poſteri ſucceſſu temporis Duces Sancti Sabæ fuere, ſive Domini Hertzegovinæ. Certum autem eſt, ex iſtis quosdam in Valachiam tranſiviſſe, immo & Vajvodas inibi creatos fuiſſe, & ab his adhuc eſſe pro Valachiæ inſigni Corvum. Denique ab hoc WK *Hrana* repetenda eſt origo *Joannis Corvini*, utpote cujus Parens fuerit *Voik*, aut WK Buthi nomine." Doctiſſime quidem hæc omnia. Sed cum Diploma Regis *Ladislai Poſthumi* aperte doceat, Corvum gentilitium, cumque annuligerum Joannis de Huniad, non ex Polonia fuiſſe aliquando allatum, verum a Regibus Hungariæ collatum Progenitoribus, ac Domui ejusdem, huic potius adhærendum eſt documento. Hic enim eſt Diplomatis tenor: *Hactenus ſiquidem ex gratia preceſſorum noſtrorum divorum Hungariæ regum prefatus Comes Johannes pro armis, ſeu nobilitatis inſigniis, progenitoribus ſuis, & domui, benefico munere collatis, Corvum in campo flaveo, ſeu celeſtino alas paullulum elevantem, ſub colore naturali depictum, ac formam annuli aurei in ore geſtantem, habuit* &c.

Ne igitur longius abeamus, ſi quid dicendum eſt de *Corvo annulig ro* gentis Huniadianæ, malim exiſtimare, hunc eſſe pro *armis*, ut dicimus, *loquentibus* per Hungariæ Reges collatum uni ex Majoribus Joannis Huniadii ſeu is pater, ſeu avus, vel proavus, vel abavus fuerit, una cum poſſeſſione pagi Tranſylvanici *Hollós*, quod nomen hungaricum latine *Corvinum* ſignificat. Hujus enim pagi poſſeſſorem fuiſſe patrem *Johannis Huniadis* nomine *Budum*, nobilem Valachum, conſtat ex Bonfinio, Regis Mathiæ Corvini Hiſtorico.

3. ✠ MONETA. MAThIE. DE. Scutum bipertitum, in quo a dextris faſciæ Regni Hungariæ, a ſiniſtris Leo Biſtricenſis pede uno anteriore coronam ſuſtinens.

REGIS

REGIS HVNGARIE. Crux duplex ſupra coronam, & ſiglæ: N. C. *Ibidem.* Vid. Tab. IV. N. 153. *Tab. IV. N. 153.*

De Leone Biſtricenſi, qui in ſcuto hujus denarii exhibetur, recole verba Diplomatis Ladislai Poſthumi ſupra in adnotationibus noſtris ad *Groſſos* Mathiæ Corvini.

In parte averſa Crux patriarchalis inſiſtit coronæ, nondum tamen Tricolli coronato; qualem paullo ſerius videbimus.

4. ✠ MONETA. MAThIE. DE. Scutum complectens a dextris quatuor faſcias, a ſiniſtris crucem patriarchalem.

REGIS. hVNGARIE. Crux patriarchalis. Siglæ: K. S. *Ibidem.* Vid. Tab. IV. N. 154. *Tab. IV. N. 154.*

In hoc denario nullum, quod mirere, adeſt gentilitium Regis Corvini Inſigne. In epigraphe poſt nomen *Mathiæ* literas DE pro *Dei Gratia* poſitas eſſe nullum dubium.

5. PATRON VNGARI. Deipara capite nudo cum Jeſulo in ſinu dextro, & ſiglæ: N. P.

✠ MAThIE. R. hVNGARIE. Scutum quadripartitum, in quo 1) quatuor faſciæ: 2) Crux duplex: 3) Capita coronata Dalmatiæ. 4) Leo Biſtricenſis. In medio autem ſcuti parmula, Corvum, in ramuſculo ſtantem, exhibens. *Ibidem.* Tab. IV. N. 155. *Tab. IV. N. 155.*

Hic denarius, in quo titulus *Patrona Vngariæ* occurit, primus eſt.

6. PATRON VNGARIE. Deipara coronata, capite nimbato, gerens Jeſulum, cujus caput itidem nimbus, ſeu meniſcus ambit, in ſinu dextro. Siglæ: hinc K. inde P. infra quod roſula.

✠ M. MATHIE. R. VNGARIE. Scutum quadripartitum, in quo omnia ut in denario præcedente, niſi quod in parmula annulus, quem Corvus roſtro gerit, conſpicuus ſit, cum in priore non appareat. *Ibidem.* Tab. IV. N. 156. *Tab. IV. N. 156.*

Ob nimbum, ſeu meniſcum, ſanctitatis indicem, quo Matris æque, ac filii caput circumdatur, denarius hic notam habet raritatis inter Corvinianos.

7. Nulla epigraphe. Deipara ſedens capite coronato, Jeſulum dextro ſinu gerit. Pro ſiglis: hinc h. inde h. & infra hanc literam parmula Auſtriaca.

In parte averſa, æque nulla epigraphe. Scutum quadripartitum, in quo 1) quatuor faſciæ. 2) Crux duplex. 3) Capita Dalmatiæ. 4) Leo. In corde ſcuti parmula Corvum gentilitium, ramuſculo inſidentem, continens. *Ibidem.* Tab. IV. N. 157.

Tab. IV. N. 157.

Hunc *obolum* anepigraphum eſſe *Mathiæ Corvini* prodit Corvus in parmula, etſi roſtro vacuo.

8. Nulla epigraphe. Protome Deiparæ, capite velato, Jeſulum in ſinu ſiniſtro gerentis. Siglæ: K. & B.

In averſa itidem nulla inſcriptio. Scutum quadripartitum cum iisdem, ut in præcedente obulo, armis, & parmula Corvum, ſed in hoc rurſus annuligerum, exhibente. *Ibidem.* Vid. Tab. IV. N. 158.

Tab. IV. N. 158.

9. Nulla epigraphe. In medio corona aperta.

In averſa parte crux triplicata. Siglæ: K. & W. *Com. Feſtetics.* Vid. Tab. IV. N. 159.

Tab. IV. N. 159.

Ut hunc obolum argenteum Regi *Mathiæ Corvino* tribuam, ſuadet forma crucis triplicatæ, & revocat in memoriam verba illius Epiſtolæ, quam Rex nunc memoratus anno 1479. ad Cardinalium Collegium dederat, hujus tenoris: „ Quæ ut Sanctitas ſua aperte cognoſcat, certa eſſe debet, *duplicatam* illam *crucem*, quæ Regni noſtri inſigne eſt, gentem hungaricam libentius *triplicare* velle, quam in id conſentire, ut beneficia, & Prælaturæ ad jus coronæ ſpectantes per Sedem Apoſtolicam conferantur *a*).

§. XV.

---

a) P. IV. Epiſtolarum Mathiæ Corvini p. 58. ſeq. Vid. etiam *Pray* P. IV. Annal. Hung. p. 136.

§. XV.

De Numo IOANNIS Vajvodæ Moldaviæ, in quo insignia Hungarico-Corviniana.

PATRONA MOLD. Deipara, capite velato, Jesulum gerens sinu dextero, & siglæ: S. M.

IOANN. WAIVODA. 1503. (*Annus hic intercipitur duabus rosulis*). Scutum quadripartitum, in quo 1) quatuor fasciæ Hung. 2) Crux duplex. 3. Capita Dalmatiæ. 4) Leo erectus. In medio autem scuti parmula Corvum annuligerum, ramusculo insidentem, continens. *Denarius arg. perforatus duobus in locis. Com. Festetics.* Vid. Tab. IV. N. 160. *Tab. IV. N. 160.*

Hic Numus rarissimus editus, & illustratus est in Viennensibus Indiciis (*V. Jahrgang.* p. 249). Ob annum 1503. videretur ad *Joannem Corvinum*, Mathiæ filium nothum, qui anno sequente 1504. in Transylvania diem supremum clausit, pertinere. Sed epigraphe: PATRONA MOLD. innuit, hanc monetam fuisse in Moldavia, quæ tunc Wajvodam habuit *Stephanum V.* procusam. Præterea constat *Joannem Corvinum* titulos gessisse Oppaviæ, ac Liptoviæ Ducis, Banique Dalmatiæ, Sclavoniæ, & Croatiæ; Wajvodam vero Moldaviæ aliquando fuisse, nuspiam legimus. *Felnerus* quidem, qui in hoc Numo non alium *Joannem* Vajvodam, quam *Corvinum*, intelligi oportere sibi persuasit, fingit, huic Principi reapse ab Joanne *Alberto* Poloniæ Rege, qui *Stephanum* Præfectura Moldaviæ privare constituerit, collatum fuisse titulum *Vajvodæ* Moldaviæ *a*). Quid quod ipse adeo Daniel *Cornides* ex hoc Numo erui posse antiqua familiæ Corvinianæ in Moldaviam jura existimaverit aliquandiu? *b*) Quia tamen paullo serius in aliam abiit sententiam, atque hunc

---

a) Vid. Anzeigen ad ann. 1775. V. Jahrgang. p. 258.

b) Ibidem p. 259.

hunc Numum, *Joanni Corvino* ademptum, maluit alteri *Joanni*, vulgo *Ivon*, & *Ivonia* dicto, qui Moldaviæ anno 1573. præfuerat, adjudicare. Quænam commutatæ sententiæ occasio, & causa fuerit, ut luculenter pateat, referam isthic partem literarum ejusdem, Cibinio e Transylvania die 17. Julii anno 1779. ad me, quocum illi amica de hoc Numo disceptatio intercesserat, datarum. „ Videris inquit ille, sensum verborum meorum minime esse assequutus, quum putas ancipitem me hærere, utri Johanni Corvino, patrine, an filio naturali Mathiæ, tribuere numum debeam. Non ego hos inter duos fluctuavi, quin potius utrumque excludendum esse semper censui. Atque patrem quidem Mathiæ Regis ideo, quod is anno 1456. diem obierit supremum; Numus autem citra omne dubium Sæculo demum decimo sexto natales suos debeat. Porro Johannem Corvinum Mathiæ R. filium naturalem ideo, quod is consistere nullo modo possit, sive in Numo sub nota numerica tertia perforato Zeri signum fuerit expressum, sive numerus quiscunque alter. Si enim anno 1503. legendus est, vixit tum quidem adhuc Johannes Corvinus: at habuit anno 1503. suum Moldavia Vajvodam Stephanum, Regi Hungariæ clientelari jure obnoxium, & fidelem, prout id e literis Wladislai II. Regis, fidem Stephani collaudantis, extra dubium posui. *a*) Hunc vero Stephanum nequaquam anno 1503. ut constare ex gravissimis auctoribus ais, sed anno sequente 1504. post Johannem Corvinum mortuum esse vel ex Timonis Epitome Chronologica cognoscas. Quid quod non ita pridem literas Beatricis Reginæ ad Stephanum Moldaviæ Vajvodam anno 1504. datas, ex autographo exscripsi. Quod si vero pro anno 1503, 1504. &c. substituas, jam eo ipso nullus Johanni tuo Corvino locus est, quippe anno

a) Hæ literæ Wladislai II. editæ sunt Ap. *Pray* Diss. VII. p. 149. & *Katona* T. XVIII. Reg. Hung. p. 339. seqq.

anno adhuc 1504. vita functo. Quare alius nobis Johannes Moldaviæ Vajvoda circumſpiciendus eſt, ab utroque Johanne Corvino diverſus. Suſpicor ego, pro nota tertia non Zero, ſed numerum 7. eſſe reponendum, annumque legendum 1573. atque adeo Numum ipſum *Ivoniæ* Vajvodæ Moldaviæ aſſerendum. *Johannis* nomen *Ivon* efferunt Valachi. De *Ivoniæ* hujus bellicis expeditionibus Leonardus *Gorecius*, illorum temporum æqualis, libellum ſingularem conſcripſit. Sed & *Schurzfleiſchius* peculiarem de *Ivonia* diſſertationem vulgavit. Cur autem huic potius *Ivoniæ*, quam alteri cuipiam Moldaviæ Principi, *Johannis* nomine appellato, Numum vindicandum eſſe cenſeam, hæc unica, ſed graviſſima ratio ſubeſt, quod his diebus nactus ſim Numum archetypum, de quo diſputamus, omnino ſimillimum, niſi quod meus adſcriptum habeat annum 1572. & quod B. M. Virginis effigies, verbis: PATRONVS (non item PATRONA) MOLDAVIE, inſigniatur. Perigraphe IOHANNES VAIVODA, & inſignia Hungarico-Corviniana in meo perinde conſpiciuntur. Quæ quidem armorum inſignia quo jure adhibuerit *Ivon*, equidem non habeo dicere: comperi tamen & alios Vajvodas Moldaviæ, ut *Radulem* anno 1616. hujusque proximum ſucceſſorem *Petraskonem*, Corvum annuligerum in ſcutis ſuis itidem prætuliſſe. Hungarici Regni inſignia impreſſa Numo fuerint, vel quod jure beneficiario Regno Hungariæ obſtrictum ſe eſſe agnoſceret *Ivon*, vel quod Numus in Hungaria, Nagy-Bányæ haud dubie percuſſus eſſet. Ob poſtremam certe rationem, in quibusdam etiam Gabrielis *Báthori*, Principis Tranſylvaniæ Numis inſignia Regni Hungariæ conſpiciuntur. Sed ſatis de Numo Moldavico."

His igitur adductus rationum momentis facile quidem jam patior, IOANNem WAIVODAm in perforato Denario noſtro diverſum eſſe a *Corvino*, non tamen admitto eundem eſſe cum *Johanne* Numi Cornideſiani anno 1572. ſignati, vulgo *Ivon*, vel *Ivonia* di-

cto.

cto. Prohibet id credere annus 1503. in noſtro Numo, utut perforato, ſic tamen conſpicuus, ut certum ſit non alium ibi exſculptum fuiſſe, quoniam reſidua eſt ſuperior pars de Zero, ſive de O, quæ nulla ratione applicari poteſt notæ numericæ 7. Vid. ectypum Numi ſupra indicatum Tab. IV. N. 160. Atqui, inquies, ad annum 1503. nullus in Annalibus legitur *Joannes Moldaviæ Vajvoda*; ſed *Stephanus* id nominis *Quintus*. Bogdani II. filius, & pater Bogdani III. apud ſuos cognomen *Magni* adeptus. Ajo hunc ipſum *Stephanum* fuiſſe alio nomine *Joannem*, atque ad hunc omnino pertinere Numum noſtrum controverſum. Teſtem alterius hujus nominis, per *Stephanum* adſumpti, habeo *Demetrium Cantemirium*, Moldaviæ & ipſum quondam Principem, adeoque conſuetudinum Aulæ Moldavicæ gnariſſimum, qui in ſua Moldaviæ deſcriptione *Parte II. politica*, *Capite 2do* diſertiſſime refert, omnes Moldaviæ Vajvodas inde a *Dragoſchio*, qui Sæculo XIII. floruit, Principatus inſtauratore, inter ceteros titulos ſuos nomen *Joannis* gerere conſueviſſe, propterea, quod Avus Dragoſchii, qui Moldaviam Regis titulo gubernavit, *Johannes* vocabatur. Quod vero attinet ad Inſignia Hungarico-Corviniana, in hoc Numo Moldavico expreſſa, fidenter affero, ea non aliud eſſe, quam plagium Numismaticum, illi ſimile, quod olim in *Aureis*, typo Florentino in Hungaria, & Germania, atque paſſim alibi ſignatis, committebatur. Plagium hoc Vajvodis Moldaviæ longo ſatis tempore placuiſſe, argumento eſt alter ille denarius, a *Cornideſio* productus, qui annum 1572. præſefert, & ad poſteriorem Joannem, vulgo *Ivon*, vel *Ivonia* dictum indubie ſpectat. Cauſæ enim aliæ ſcuti Hungarico-Corviniani in hac moneta Moldavica impreſſi, quales Auctor nunc laudatus ſuſpicabatur, ſi rite expendantur, carent fundamento. Minime vero probari poteſt, Moldavicam hanc monetam *Nagy-Bányæ* in Hungaria procuſam fuiſſe. Ratio quoque, cur in Numis Gabrielis *Báthori*, Principis Tranſylvaniæ, conſpiciantur in-

ſignia

ſignia Regni Hungariæ propria, non rite aſſeritur hæc fuiſſe, quod *Nagy - Bányæ* fuerint ſignati. Eſt enim rei hujus certior altera, quia nempe Principes Tranſylvaniæ ſimul erant *Partium Regni Hungariæ Domini*, in quibus & *Nagy - Bánya* comprehendebatur. Id quod ex Numis tum hujus, tum aliorum Tranſylvaniæ Principum in hoc opere deſcriptis, manifeſtum eſt.

§. XVI.

Numi WLADISLAI II. Regis, ab Anno 1490. *ad* 1516.

I. Numismata magni moduli ex auro, & argento.

1. SANCTVS: LADISLAVS: REX. Statua equeſtris S. Ladislai coronati, & nimbati, armatique bipenne, gladio, & calcaribus. Infra Equum Annus 1499. in quo eſt vetus forma notæ numericæ 4. quaſi pars ſuperior de 8.

MONETA: WLADISLAI: REGIS: VNGARIE. Scutum quadripartitum, in quo 1) quatuor faſciæ. 2) Crux duplex Tricolli, ſed nondum coronato, impoſita. 3) tria capita Leopardina Dalmatiæ. 4) Leo cum cauda bifurcata, coronam unguibus apprehendens. In medio autem ſcuti parmula Aquilam Polonicam continens. Arg. Muſei Cæſ. Vien. Editum *in Monnoies en argent* p. 149.

Annus hujus Numismatis 1499. memoratu dignus eſt, ob *Stephanum* Moldaviæ Vajvodam, de cujus Numo, *Joannis* nomine inſcripto, præced. *§pho* egimus, in Societatem fœderis inter Wladislaum II. Hungariæ, & Albertum Poloniæ Reges contra Turcam initi, receptum. Tabulas hujus fœderis ex MSS. Diplomatario Poloniæ edidit *Sommersberg* T. II. Sileſiæ, & ex hoc *Pray* T. IV. Annal. p. 292.

Animadvertendum eſt præterea, inter Numismata Hungariæ ex argento uncialia, & ſemuncialia (Taleros, & florenos ar-

genti vulgariter dicimus) iſtud eſſe antiquiſſimum. In Germania primus fertur fuiſſe *Albertus* Auſtriacus, qui jam anno 1429. Numos unciales procuderit *a*). Inter ſuperſtites tamen, eosque genuinos magni adeo moduli Numos argenteos pro antiquiſſimo reputatur Numus *Sigismundi* Archiducis anno 1484. ſignatus *b*). Pares huic ætate ſunt Saxoniei, qui Fridericum III. Electorem cum Johanne, & Georgio Ducibus repræſentant; nec non Bohemici Schlickiani, qui, cum in valle Sancti Joachimi cuderentur, *Vallenſium*, & ex teutonico vocabulo *Thal*, quod vallem notat: *Thalerorum* nomen acceperunt. Iidem ſimul ab effigie Sancti Joachimi, qua principio ſignabantur, dicti fuere *Joachimici*.

2. SANCTVS : LADISLAVS : REX : VNGARIE. Statua Sancti Ladislai, ut in præcedente, Equo currenti inſidentis, ſtricta bipenne armati, gladioque ſuccincti, & calcaribus, capite coronato, ſed ſine nimbo. Supra eſt icuncula Deiparæ Jeſulum gerentis in luna bicorni.

MONETA : WLADISLAI : D. G. REGIS. VNGARIE. 1500. Scutum quadripartitum, in quo 1) quatuor faſciæ. 2) Crux duplex in Tricolle. 3) Tria capita coronata Leopardina. 4) Leo coronatus, erectus, cum cauda bifurcata. In medio autem ſcuti parmula Polonicam aquilam exhibens. Extra ſcutum hinc : KREMIZ. inde TVRSO. ſcriptum. *Aur. & arg. ibidem.*

Anno hujus Numismatis 1500. Budæ pax cum Venetis coaluit, bellumque in Turcos decretum, ac in templo germanico Deiparæ Virginis promulgatum fuit. Icuncula Mariana juxta effigiem S. Ladislai in hoc Numismate pertinet ad reliqua R. Hung. inſignia.

3. SAN-

a) Vid. Monathliche Unterredungen Ann. 1695. Decemb. p. 1005.

b) Apud *Mellen* Præfat. ad Syllogen Numorum ex argento uncialium.

3. SANCTVS: LADISLAVS: REX: VNGARIE. 1506. Statua equeſtris S. Ladislai, citato greſſu, gladio ſuccincti, & bipennem vibrantis. Ad latus icuncula Mariana cum Jeſulo.

MONETA. WLADISLAI: D. G. REX (*ſic*) VNGARIE. Scutum coronatum, in octo areas, quæ inſignia Regnorum, & Provinciarum (in ſubjectis adnotationibus mox enumeranda) continent, diviſum. In medio ſcuti parmula bipertita cum armis gentilitiis. Extra ſcutum hinc: KREMIZ. inde TVRSO. *Aur. & Arg. Ibidem. Argenteus etiam in Muſeo R. Univ. Peſt.* Vid. Tab. IV. N. 167. *Tab. IV. N. 167.*

Statuam Equeſtrem S. Ladislai, per Martinum, & Georgium *Rothgieſſeros*, cives Claudiopolitanos, ex ære fuſam, & Varadini anno 1389. ab Johanne, Eccleſiæ Varadinenſis Epiſco, locatam fuiſſe, tradit *Miles* in Chronic. *Tranſylv.* p. 205. qui ſimul narrat, Equeſtri huic Statuæ, Sancti Ladislai, bipennem deauratam vibrantis, additas fuiſſe tres alias, itidem ex ære, ſtatuas, quibus tria Regna, Dalmatiæ nimirum, Croatiæ, & Sclavoniæ, ſub S. Ladislao adquiſita, deſignabantur. *Janus* Pannonius, Præſul Quinque Eccleſienſis, ex thermis Varadinenſibus redux, hoc monumentum propemtico illuſtravit hunc in modum:

„ At Tu, qui rutilis Eques ſub armis
Dextra belligeram levas ſecurim
Cujus ſplendida marmorum columnis
Sudarunt liquidum ſepulcra nectar,
Noſtrum rite favens iter ſecunda."

Annus præſentis Numismatis 1506. morte Reginæ Annæ Candalenſis (al. *Foxiæ*, gallis *de Foix*) quæ Ludovicum, ex Wladislao Rege conceptum, enixa, haud multo poſt obierat funeſtus erat. Habet autem Wladislaus II. in hoc Numismate non ſuorum dumtaxat, verum & ſuæ Conjugis armorum inſignia, Gallica nempe, & Hiſpanica. Quippe *Anna* Regina fuit Regibus Galliæ, &

 Hiſpa-

Hispaniæ ſanguine juncta, cujus Majores vide apud *Iſtvanfium* Lib. IV. enumeratos.

Igitur ſcutum heraldicum noſtri hujus Numiſmatis in octo areas diſpeſcitur. Area prima, & ſecunda exhibet arma Hungariæ, videlicet quatuor faſcias, & crucem patriarchalem. Tertia, & quarta continet inſignia Dalmatiæ, & Bohemiæ. Quinta, & ſexta catenulas Regni Navarræ, ac tres palos Arragoniæ. Septima binos boſculos Luſatiæ ſuperioris, & inferioris. Octava denique lilia Francica, & ſcalas Vaſconiæ. In medio autem ſcuti parmula eſt, quæ hinc aquilam Polonicam, inde binos leunculos, gentilitia nimirum Regis, & Reginæ inſignia complectitur.

Vocabula KREMIZ, & TVRSO extra ſcutum poſita innuunt, hujus generis Numos fuiſſe procuſos *Kremnicii* ſub *Turſone* Cammergrafio, ſeu Præfecto rei monetalis. Erat autem tunc temporis *Joannes Thurſo* de Bethlenfalva, hungaricæ monetæ feriundæ Præfectus, de quo, ac de aliis Thurſonibus recurret ſuis locis mentio.

4. WLADISLAVS: D. G. R. VNGARIE: ET: BOHEMIE. Protome Regis coronati, capillis promiſſis, & incomptis, pectore loricato.

LVDOVICVS: FILIVS: R. VNGA. T. BOHEMIE. 1508. CORONATVS. Infans coronatus in culcitra ſedens. *Aur. & arg. Muſei Cæſ. Vindob. Editus l. ſupr. cit.*

Primum iſtud eſt *Coronationis* Numiſma mnemonicon in Hungaria. Non injucundum eſt obſervare, quibusnam paullatim gradibus, uti aliæ artes elegantiores, ita & Monetaria Sæculo XV. exeunte, & XVI. inchoato, ad perfectionem tetenderint.

Iſtvanfius Lib. IV. Rer. Hung. ad Annum, qui huic Numo inſcribitur, 1508. refert, decretum fuiſſe, ut Ludovicus bimulus, imminente Vere ad diem divo Gregorio ſacram (12. *Martii*) coronaretur,

naretur, biennio poſt adducendus Pragam, Bohemicæ coronationis cauſa. Sed coronationem Hungaricam fuiſſe dilatam usque ad Dominicam poſt Aſcenſionem, quæ tunc in diem *4tam* Junii inciderat, conſtat e Synchrono Manuſcripto Tabularii civitatis Poſonienſis, cujus pars huc pertinens edita eſt in Promptuario Hungarico (*Ungriſches Magazin* T. I. p. 476.) Legi meretur, quoniam ſimul ſolemnia coronationis in eo deſcribuntur, & munera, quæ Civitates Regi juniori obtulere, ſingillatim enumerantur.

II. *Auri communes ejusdem.*

1. ∴ WLADISLAVS. R. VNGARIE. Deipara coronata ſedens in throno quatuor columellis ornato, dextroque ſinu Jeſulum gerens. Infra Iconem Aquila Polonica.

S. LADISLAVS. REX. Effigies S. Ladislai ſtantis, coronati, palliati, cum nimbo circa caput, d. bipennem, s. globum crucigerum tenentis. Siglæ hinc N. inde A & C. *Univ. Peſt.* Vid. Tab. IV. N. 161. *Tab. IV. N.* 161.

2. Alii ſimiles præcedenti, ſed ſiglis, juxta effigiem S. Ladislai occurrentibus, diverſi. Ex quibus aliqui ſunt, cum ſigla H. & capreolo. Vid. Tab. IV. N. 162. Alii vero, qui pro ſiglis habent hinc N. inde duas quaſi ſecures in decuſſim poſitas. *Eadem* Tab. N. 163. In aliis aliæ ſiglæ, ſive Notæ indicantes locum cuſi Numi, & Præfectum rei monetalis. *Tab. IV. N.* 162. *et N.* 163.

3. WLADISLAI. D. G. R. VNGARI. Virgo Deipara coronata ſub pedibus habens lunam bicornem, dextro ſinu tenet Jeſulum, Infra Iconem Aquila Polonica.

S. LADISLAVS. REX. 1507. Effigies Sancti Ladislai ſtantis coronati, nimbati, palliati, & nunc primum toto corpore loricati, dextra tenentis bipennem, haſtæ inſtar longam, ſiniſtra globum crucigerum. Siglæ: K. H. *Ibidem, & in pluribus aliis Muſeis.* Vid. Tab. IV. N. 164. *Tab. IV. N.* 164.

4. Alius

Tab. IV. N. 165. 4. Alius similis, sed anni 1512. & cum siglis K. G. *Ibidem.* Vid. Tab. IV. N. 165.

5. WLADISLAI. D. G. R. VNGARI. Deipara intra lunam bicornem sedens coronata, nimbata, dextra tenet sceptrum, sinistro sinu Jesulum. Infra iconem Insigne gentilitium Aquila Polonica.

S. LADISLAVS. REX. 1515. Stans hic Sanctus coronatus, nimbatus, palliatus, totoque corpore loricatus dextra tenet bipennem, hastæ instar longam, sinistra globum crucigerum. Siglæ: hinc K. inde unicornis. *Ibidem.* Vid. Tab. IV. N. 166.

Tab. IV. N. 166.

Ex his *aureis*, qui nulla anni nota insigniuntur, pertinent ad priores Regis Wladislai II. annos. Aquila infra iconem Marianam est gentilitium Insigne, estque alba Polonica, nam Wladislaus II. erat Casimiri Poloniæ Regis ex Elisabetha Austriaca filius. Observandum est præterea, occurrere quædam in monetis hujus Regis, quæ antea aut nunquam, aut raro fuerant; puta: annum epochæ Christianæ, quo Numus fuit procusus. Item Lunam sub pedibus Virginis Matris, & habitum loricatum Sancti Ladislai. Rosulas, vel alios flosculos, pro punctis inter vocabula inscriptionum, & multa alia ornamenta.

III. *Grossi argentei ac denarii ejusdem.*

1. PATRONA. VNGARIE. Deipara sedens coronata cum Jesulo in sinu dextro. Siglæ: K. H.

✠ M. WLADISLAI. REGIS VNGARIE. Scutum, in quo 1) Fasciæ quatuor. 2) Crux duplex. 3) Tria capita coronata Dalmatiæ. 4) Leo pede anteriore coronam tenens. In medio autem scuti parmula gentilitia polonicam Aquilam continens. *Grossus argent. Com. Festetics.* Vid. Tab. V. N. 168.

Tab. V. N. 168.

2. WLADISLAVS. D. G. R. VNGARI. Deipara sedens cum Jesulo intra lunam bicornem.

S. LADISLAVS: REX: 1503. Consueta effigies S. Ladislai, & siglæ K. H. *Grossus arg. Musei Cæs. Vindob. Editus a Du Val in Monnoies en argent.* p. 149.

Siglæ:

Siglæ : K. H. ſignificant *Kremnitz*, *Hans*; id eſt *Johannes Turſo*, teſte *Turnſchwambio* coævo, cujus germanicum Manuſcriptum de fodinis Neoſolienſibus nuper edidit Cl. *Engel* T. I. Hiſt. Hung. in Prolegom. De quo MSS. plura alibi. Annum 1503. poſteriori huic groſſo inſcriptum bini eventus ſecere memorabilem in Annalibus Hung. nempe ſeptennales inter *Wladislaum II.* Hung. Regem, & *Bajazethem* Turcorum Imperatorem induciæ, ac nativitas *Annæ* Wladislai II. filiæ, quæ dein *Ferdinando I.* futuro Hungariæ Regi nupſerat.

3. PATRON. VNGAR. Deipara coronata, ſedens cum Jeſulo in dextro ſinu. Siglæ : K. H.

M. WLADISLAI. R. VNGARI. Scutum, in quo inſignia Hung. Dalm. Bohem. & in medio aquila gentilitia. *Den. arg. obvius.* Vid. Tab. V. N. 169. *Tab. V. N.* 169.

4. Alius denarius præcedenti ſimilis cum exiguo diſcrimine. *Obvius. Ibidem.* N. 170. *Tab. V. N.* 170.

5. Alius ſimilis, ſed in quo annus eſt 1503. *Obvius.* N. 171. *N.* 171.

6. + MONETA. WLADISLAI. DE. Aquila coronata expanſis alis.

+ REGIS VNGARIE. ETC. Scutum bipertitum, in quo faſciæ quatuor a dextris, & crux duplex a ſiniſtris. Siglæ: C. & R. *Den. arg. Com. Feſtetics.* Vid. Tab. V. N. 172. *Tab. V. N.* 172.

Denarius hic prioribus rarior eſt ob ſolam aquilam in antica expreſſam: videtur *Cibinii* in Tranſylvania ſignatus fuiſſe.

§. XVII.

Numi LVDOVICI II. Regis, ab Anno 1516. *ad* 1526.

I. *Numismata magni moduli ex auro, & argento.*

1. LVDOVICVS. FILIVS. R. VNG. ET BOHEM. 1508. CORONATVS. Inſans Regius, capite coronato, ſedens in culcitra.

1544.

1544. BVDA. POTENS. ET. PANNONII. GENS. MARTIA. REGNI. QVOD. FVIT. ESSET. SI. VIVERET. ISTE. PVER.
Tab. V. N. 180. Infra Epigraphen galea inter ſiglas V. G. *Aureus quinduplus*, & *triplus R. Univ. Peſt.* Vid. Tab. V. N. 180.

Aliud ſimile Numisma ediderunt *Lukius* in Sylloge Numorum rariorum p. 62. *Burghardt* in Suppl. ad Mellen. Tab. V. N. 44. *Du Val* in Monnoies en or. p. 103. Pars antica hujus Numismatis ſumpta eſt ex averſa Numi Wladislaviani præcedente *§pho* inter Numismata magni moduli ſub N. 4. deſcripti, ut adeo P. Adauctus *Voigt* rite hoc Numisma vocet *Reſtitutum*. Meminit hujus monumenti etiam Bohuslaus *Balbinus* in Epitome Rer. Bohem. p. 519. hæc ſcribens: „Hujus *Ludovici II.* Regis ſui amore ac deſiderio Ungari multis licet poſt ejus mortem annis Numos aureos procuderunt, in quorum antica parte Regis pueri coronati, & culcitræ inſidentis effigies viſebatur, his in circulum euntibus verbis: *Ludovicus Filius Regis Ung. & Bohemiæ.* In poſtica carmen legebatur: *Buda potens*, & *Pannonii gens Martia Regni, quod fuit, eſſet, ſi viveret iſte puer.* Fuere in Ludovico præmatura omnia: ante tempus legitimum natus, & ſine pelle: Ungariæ item, & Bohemiæ Rex ante tempus electus, & coronatus, idque cum fletu: ante tempus fari cœpit: ſapiens nimium puer ante tempus: ante decennium Regni negotia tractavit: ante tempus conjugem ſibi deſpondit: decimo quinto ætatis anno duxit: ante tempus conflixit: ante tempus periit, aptiſſimeque Cuthenus hoc ei Chronoſtychium nativitatis ſcripſit: *ante DIeM natVs.*

In antica legitur annus coronationis 1508. In averſa vero annus eſt 1544. quo hoc Numisma mnemonicum procuſum fuerat. Triſtiſſimus tunc erat & *Budæ*, & totius Regni ſtatus; nam Mehemetes, quem Solymannus Budæ, ante triennium captæ, præfecerat, Hungariam ferro, & igni longe lateque depopulabatur, initio facto ab expugnatione arcis *Viſſegradienſis.* Qua de cauſa horum

opinio,

opinio, qui præsens Numisma *Vissegradi* procusum fuisse volunt ob siglas V. G. insculptas, omni caret verisimilitudine. *Varadini* potius, *Georgio* Martinusio, Numi auctore, signatum arbitror. Erat is Episcopus Varadinensis, illa tempestate *Johannis Secundi*, Zapolyæ filii, & matris hujus *Isabellæ* Thesaurarius. Ejus nomen in aliis monetis aureis hungaricis ac Transylvanicis, tunc temporis signatis, communiter vel sola litera G. vel duabus F. G. notatur. Literæ F. G. *Fratrem Georgium Monachum* significant. Forte propositum fuit Georgio *Martinusio*, sparsis idgenus Numis mnemonicis, invidiam, qua tunc factio Zapolyiana propter amissam Budam, Regnumque Hungariæ novis calamitatibus expositum, laborabat, tantisper amoliri, fata Regis *Ludovici II.* in memoriam revocando, hisque malorum omnium, quæ in Regno subsecuta sunt, causam adscribendo.

2. LVDOVICVS. DEI. GRA. HVNGARIE BOHEMIE. EC. REX. Protome Regis laureati, barbati, vultu dextrorsum converso, ad pectus cum torque aurei velleris. In area Annus: 1525.

DVX LVCEN. SLESIA. MAR. MORAVIE. ET. LVSACIE. Novem scuta heraldica, quorum duo in medio locata continent arma propria Ludovici II. & hujus Conjugis Mariæ Reginæ, sub una, eademque corona, addito infra monogrammate utriusque nominis ex L & M. composito. Reliqua septem scuta, in orbem disposita, exhibent insignia Hung. Dalm. Croat. Rasciæ, Silesiæ, Lusatiæ, & Moraviæ. Adsunt præterea juxta dictum monogramma siglæ: K. B. *Arg. Univ. Pest. Alibi aureus etiam.* Vid. Tab. V. N. 181. *Tab. V. N.* 181.

3. LVDOVICVS. DEI. GRACIA. DALMAC. CROAC. EC. REX. Effigies Regis galeati, loricati, ense succincti, in Equo phalerato. In area: KREMNITZ. BERNHART BEHEM.

In aversa parte: MARCHIO MORAVIÆ. DVX. LVCENBVRGENSIS. ET. SILESIÆ. DVX. MDXXV. Novem scuta, & corona, & monogramma ex L M. compositum &c. ut in præceden-

 te.

te. *Aur. & Arg. Musei Cæs. Vindob. Editum Monnoies en Or, & Argent. l. c.*

Multa in duobus his Numis occurrunt animadversionibus digna. In priore Numo *Ludovicus* laureatus, ac torque aurei velleris ornatus depingitur, more scilicet Principum Austriacorum, quippe occasione nuptiarum, Viennæ anno 1515. celebratarum, ab Imp. *Maximiliano I.* in filium fuit adoptatus, & S. R. Imperii Vicarius constitutus. *a*) Anno 1525. quo hic Numus fuit procusus, Rex *Ludovicus II.* agebat annum decimum nonum, cum tamen in hoc Numo videri posset fere quinquagenarius ob promissam barbam, vultusque jam senescentis lineamenta; nec tamen pictura fallit, quoniam ex historia constat, Regem hunc præmature & barbatum esse cœpisse, & incanuisse. In altero autem Numismate ejusdem anni Rex idem proponitur Eques galeatus, armatus, tanquam ad bellum profecturus, vel ab expeditione, prospere terminata, redux. Et vero anno 1524. qui cusionem hujus Numismatis præcessit, Ludovicus II. geminam de Turcis victoriam retulisse legitur, unam scilicet, cum Paulus *Tomoræus* Colocensis Archiepiscopus, Ferhatem Bosniæ Præfectum, Sirmiensibus infestum, fudit, fugavitque: *b*) alteram vero, dum Christophorus *Frangepan*, Illyrici Banus, Jaitzam Bosniæ caput obsidione liberavit, victo, cæsoque Usreffo, Turcorum Præfecto *c*).

De scutis in utroque hoc Numismate conspicuis hæc notanda veniunt. In medio bina sunt scuta formæ paullo majoris. Ad Regem spectat, quod a dextris est, continetque quatuor fascias Hung. alter-

a) Vide id confirmatum Diplomate apud *Pray* P. IV. Annal. p. 378. & *Katona* T. XVIII. Reg. Hung. p. 900.

b) Vid. *Istvánffy* Lib. VII. & *Pray* Annal. ad ann. 1524.

c) *Ibidem.*

alternantes cum Leone Bohemiæ, & in medio parmulam cum gentilitia aquila Polonica. Alterum a ſiniſtris Reginæ eſt, & complectitur inſignia Hiſpanico - Burgundico - Auſtriaca, quæ ob exiguitatem figurarum ægre diſcerni poſſunt. Alia his circumpoſita vix egent interpretatione; non tamen ſilentio præteribimus. Quatuor horum ſunt coronata, quia ſunt totidem Regnorum propria, videlicet, unum, in quo eſt crux duplex in Tricolle, Regni Hungariæ inſigne; alterum exhibet tria capita coronata Leopardina Regni Dalmatiæ; tertium eſt teſſellatum Regni Croatiæ; quartum oſtentat brachium humanum, acinace armatum, quod non Sclavoniæ, uti perperam Hieronymus Lochner explicat, *a*) ſed Raſciæ inſigne eſt. Reliqua non coronata ſcuta, pertinent, unum, in quo eſt aquila uniceps, ad Ducatum Sileſiæ, alterum, in quo eſt boſculus, ad Luſatiam, tertium, in quo eſt rurſus aquila monocephala, ad Marchionatum Moraviæ.

Quidnam ſiglæ K. B. in priore Numo ſignificent, pulcre explicat Numus poſterior, in quo integre ſcriptum eſt: KREMNITZ. BERNHART BEHEM. Virum hunc, ex Germania accerſitum, præfecit Regina *Maria* Cameræ Cremnicenſi Hinc enim pro dote adſignatos ſibi a Conjuge reditus percipiebat. Id quod conſtat ex *Ferdinandi I.* Reſponſo ad Articulos Conſtitutionum Diætæ anno 1545. Tyrnaviæ celebratæ, §. 9. pag. m. 397. Corpore Juris Hung. Quamobrem ratio patet, cur in duobus his majoris moduli Numis non Regis tantum *Ludovici II.* verum etiam Reginæ *Mariæ* ſcutum, & utriusque nomen literis L. & M. inſculptum legatur.

Ceterum eodem hoc anno 1525. quo hæc Numismata in lucem prodierunt, ingens adverſus exteros, præcipue Germanos rei metallicæ, & monetariæ in Hungaria præfectos, tempeſtas exorta fuit.

---

a) Sammlung meckrwürdiger Medaillen, fünftes Jahr, 1741. p. 153. & 1742. p. 397.

fuit. Agebatur enim, ut omnes exauctorarentur, ac proscriberentur *a*). Jamque Budæ *Fuggeris* in Præfectura substitutus erat quidam Emericus *Szeretséni*, e Judæo proselytus: cujus tamen malis artibus compertis, haud multo post suus honos Fuggeris fuit restitutus, retentique sunt alii etiam exteri, postquam clandestina seditiosorum consilia feliciter fuere dissipata. Ad sedandos tumultus Mariam Reginam haud parum contulisse, testis est Baro *Burgius*, Legatus Pontificius, in Epistola ad Card. Sadoletum data *b*).

Porro bina hæc, de quibus nunc egimus, Numismata reperies æri incisa, & prolixis scutorum heraldicorum descriptionibus, nec non genealogicis, & historicis observationibus illustrata, in Collectione Norimbergensi, per hebdomadas annorum 1741. & sequentis ab Joh. Hieron. *Lochner* edita *c*). De iisdem Numis consuli præterea possunt *Dewerdeck* in Silesia Numismatica p. 123. *Lilienthal* Thaler Cabinet N. 179. Adauctus *Voigt* Beschreibung der bœmischen Münzen II. Theil. p. 355.

4. LVDO: VNGAR. BOHE: QVE REGIS. ET. MARIÆ. REGINÆ. DVLCISS. COIVGIS. AC. PROCES. IN FLAN. Protome Regis, & Reginæ, sese mutuo respicientium. Capite Rex pileato est, cum torque aurei velleris ad pectus. Regina itidem muliebri in capite ornatu, cum catenula, & monili in collo. Per aream flores sparsi.

LVDO: HVNG: BOEM. ZC. REX. ANV. AGENS XX. IN. TVRCAS APVD. MOHAZ. CVM. PARVA SVORVM. MANV. PVGNAS. HONESTE OBYT. MDXXVI. Repræsentatio infausti Hungarorum ad

Tab. V. N. 182. Mohacsium prælii. *Arg. Univ. Pest.* Vid. Tab. V. N. 182.

5. MA-

---

a) Vid. in Corp. Juris Hung. Constitut. in Campo Rakos ann. 1525. Artic. IV.

b) Vid. Anzeigen V. Jahrgang. p. 45.

b) Sammlung merkwürdiger Medaillen cet. ut supra.

5. MARIE. HVNGAR. BOHEM. EQVÆ. REGINÆ IAM. PRO. CESARÆ. CAROL. V°. In. FLANDRIS EFFIGIES. Protome Reginæ intra arcum, vultu dextrorſum converſo. Extra arcum a dextris ſcutum hungaricum coronatum quatuor faſcias exhibens, a ſiniſtris bohemicum coronatum Leonem continens; quodlibet ſcutum ſuſtentatur ab Heraldo.

Pars averſa eſt eadem, quæ in præcedente Numismate. *Arg. Com. Feſtetics.* Vid. Tab. V. N. 183. *Tab. V. N.* 183.

Utrumque hoc Numisma funeſtam cladis Mochacsianæ memoriam recolit, de qua ex antiquioribus præcipue Brodericus, Brutus, & Iſtvánfius, ex recentioribus autem Pray, & Katona conſulendi. Inter Numismata ſingularia recenſentur a *Kundmanno* propter Monetarii errores: BOHEM. EQVE pro *Bohemiæque* & PRO CESARÆ. loco *Pro Cæſare a*). Edita ſunt etiam a *Voigtio*, *b*) & in Viennenſibus Indiciis *c*). Annus, quo procuſa fuere, incertus eſt: conſtat nihilominus procudi non potuiſſe ante Annum 1530. ob *Mariæ* Reginæ viduæ titulum *Pro-Cæſare in Flandria*, ſive Gubernatricis Belgii.

Maria, quæ in priore Numismate ſimul cum Ludovico, in poſteriore vero ſola repræſentatur parte antica, primam lucem adſpexit Madriti, progenitoribus *Philippo I.* Hiſpaniarum Rege, & *Johanna* Regina, quæ *Philippo* Auſtriaco Hiſpanias pro dote attulit. Erat igitur *Maria* neptis Imp. Maximiliani I. Sororque Cæſarum Caroli V. & Ferdinandi I. Eam Imp. Maximilianus anno 1515. deſpondit Ludovico II. Hungariæ Regi. Nuptiæ anno 1521. Budæ celebratæ. Poſt interitum Conjugis ad Mohacsium, rebus convaſatis, migra-

---

a) Vid. *Kundmann* Sonderbare Thaler, und Münzen. p. 78.
b) *Voigt* l. cit. P. II. 354.
c) Anzeigen VI. Jahrgang. p. 193.

migravit Posonium, egitque, ut frater suus Ferdinandus Rex Hungariæ eligeretur. Post fratris coronationem Albæ Regiæ anno 1527. peractam, relicto Posonio Viennam, indeque Lincium profecta est; inde vero, posteaquam ab Imp. Carolo V. in locum defunctæ Margarithæ Austriacæ Gubernatrix Belgii nominata fuisset, anno 1531. Bruxellas sese contulit, habuitque in suo Comitatu Nicolaum Olahum Aulæ suæ tunc Secretarium, & Consiliarium, qui serius Ecclesiæ Strigoniensis Archiepiscopus, Regnique Hungariæ Primas factus est. Demum secuta fratris Caroli V. sese Imperio abdicantis exemplum, ipsa quoque Præfecturæ Belgii renunciavit, vitamque privatam usque ad obitum suum, qui in annum 1558. inciderat, egit *a*).

6. LVDOVIC. HVN. REX. 1525. Ludovicus galeatus, loricatus, equo phalerato gradienti insidens.

PATRONA. VNGARIE. Virgo Deipara sedens capite velato, Jesulum sinu dextro, sceptrum manu sinistra gerit. Circa imaginem tria capita geniorum cælestium alis instructa. *Numus aureus,* *Tab. V. N. 179.* *& argent. Musei Cæs. Vind.* Vid. Tab. V. N. 179.

Cum equestres Regum effigies in Numis plerumque aut profectionem ad bellum, aut felicem reditum indicent, credibile est, & hunc Numum simili quapiam de causa fuisse procusum. Accuratiores Chronologi victoriam de Turcis, per quam urbs Bosniæ Jaitza obsidione liberata fuit, referunt ad annum præsentis Numi 1525. teste *Katona* T. XIX. Reg. Hung. p. 483.

II. *Communes Monetæ aureæ Ludovici II.*

1. LV-

---

a) Vid. Nic. *Olahi* Chronicon in Belii Adparatu p. 140. Famianus *Strada* de bello Belgico Dec. I. Istvánfius Lib. XI. p. 108. Brantome des Dames galantes p. 91. seqq.

1. LVDOVICI. D. G. R. VNGARIE. Deipara coronata, ſedens intra lunam bicornem dextra tenet ſceptrum, ſiniſtro ſinu Jeſulum. Infra iconem parmula continens gentilitiam aquilam Polonicam.

S. LADISLAVS. REX. 1517. Conſueta Effigies S. Ladislai palliati, loricati, capite coronato, qui dextra bipennem longam haſtæ inſtar, ſiniſtra globum crucigerum tenet. Siglæ: H. & Monoceros telo confixus. *Com. Feſtetics.* Vid. Tab. V. N. 173. *Tab. V. N. 173.*

2. LVDOVICVS. D. G. R. VNGARIE. Deipara coronata ſedens intra lunam bicornem cum Jeſulo in ſinu dextro. Infra eſt aquila gentilitia.

S. LADISLAVS &c. ut in averſa præcedentis, ſed annus 1518. & L. Ladislaus loricatus ſine pallio eſt. Siglæ: K. G. *Aur. Univ. Peſt.* Vid. Tab. V. N. 174. *Tab. V. N. 174.*

3. Omnia, uti N. 1. ſed annus 1518. *Ibidem.* Tab. V. N. 175. *Tab. V. N. 175.*

4. LVDOVICVS &c. Effigies Deiparæ, uti N. 2.

S. LADISLAVS. REX. 1521. Effigies S. Ladislai uti N. 2. Siglæ vero K. A. *Ibidem.* Vid. Tab. V. N. 176. *Tab. V. N. 176.*

5. Omnia fere, uti N. 2. ſed ſiglæ: K. A. & annus 1524. in quo poſtrema nota numerica veteris formæ eſt, quæ ex inſpectione picturæ, in Tabula propoſitæ, animadverti debet. *Ibidem.* Vid. Tab. V. N. 177. *Tab. V. N. 177.*

7. Aureus præcedenti ſimilis, & ejusdem anni 1524. in quo poſtrema Nota numerica formam habet conſuetam. Siglæ autem ſunt, hinc litera H. inde parmula incertum quid continens. *Ibidem.* Vid. Tab. V. N. 178. *Tab. V. N. 178.*

Quibusnam rebus iconismi Aureorum iſthic deſcriptorum inter ſe differant, facile quivis, contemplando noſtris in tabulis ſingulorum ectypa, obſervabit. De ſiglis tamen non piget hoc loco notitiam paullo uberiorem tradere. Lex fuit inde a Caroli Roberti temporibus, ut in monetis Hungaricis notæ imprimerentur, ex quibus intelligi

intelligi possit, & quo loco, & sub quo Cameræ Præfecto, quilibet Numus fuerit procusus. Notæ istæ modo literis primis Nominis locorum, & Præfectorum, modo aliis quibusdam signis, quæ hodie difficulter intelliguntur, constant. Non desunt tamen subsidia pro his intelligendis, quæ in Numis sub Wladislao II. & Ludovico II. cusis occurrunt. Extat scriptum Thurmswambii ex illa ætate, cum supplemento Ridmülleri, in quo hæc est interpretatio siglarum: K. H. est *Kremniz*, & *Hans*, sine Johannes *Turso*. K. G. Kremniz & Georgius *Turso*. K. A. Kremnitz, & Alexius *Turso*. N. pro K. positum *Nagybányiam* (*Ungrisch Neustadt*) significat. K. B. sub Ludovico II. est *Kremnitz*, & *Bernhard Behem*, vel *Behaim*, serius vero B. idem ac *Bergstadt*, hung. *Bánya*. In aureis Transylvanicis H est *Herrmannstadt*, latine *Cibinium*. *Joannes Turso* præfuit Cameræ Cremnicensi sub Wladislao II. usque ann. 1508. cui defuncto successit filius *Georgius* in munere Comitis Camerarum Hungariæ, dein paucos post annos hujus frater *Alexius*. Hic volente *Maria* Regina successorem habuit in Camera Cremnicensi *Bernardum Beheim*. Genealogiam Familiæ *Tursonum* de Bethlenfalva vide apud Car. *Wagner* P. IV. Analectorum Scepusii p. 60. seq.

III. *Grossi argentei ejusdem Ludovici II.*

1. LVDOVICVS. D. G. R. VNGARIE. Virgo Deipara sedens capite velato, cum Jesulo in sinu dextero. Siglæ: K. B.

MONETA NOVA ANNO DOMINI. 1522. Scutum bipertitum, in quo a dextris quatuor fasciæ, a sinistris Crux duplex.
Tab. V. *N.* 184. *Univ. Pest.* & *Com. Festetics.* Vid. Tab. V. N. 184.

Hæc epigraphe: *Moneta Nova*, etiam in Denariis anni 1521. & seq. occurrit: suntque hæ monetæ ex viliore argento, quam antiquæ. Quantum iisdem ex ære cyprio admixtum fuerit, & quam ob causam vilior hæc moneta signata sit, dicetur sub finem capitis sequentis.

2. LVDOVI-

2. LVDOVICVS. D. GRA. HVNGARIE. BOHEMIE. REX. Protome Regis, capite corona clauſa redimito, ad pectus cum torque aurei velleris.

DALMACIE. CROACIE. EC. MARC. MORA. E. Scutum formæ Hiſpanicæ in duo latera, multasque areas diviſum. Latus dextrum continet inſignia Hungariæ, Dalmatiæ, & Bohemiæ, parmulamque cum aquila gentilitia *Ludovici II.* Siniſtrum vero latus continet *Mariæ* Reginæ inſignia Hiſpanico - Burgundico - Auſtriaca: Supra ſcutum Annus 1523. ſic inſcriptus, quaſi eſſet 1723. Et in lateribus ſiglæ: K. B. *Muſ. Cæſ. Vindob.* Vid. Tab. V. N. 185. *Tab. V. N.* 185.

Siglæ K. B. in monetis Ludovici II. ſignificant, ut paullo ante dictum eſt, *Kremnicium*, & *Bernhardum Beheim*, quem Regina *Maria* Cameræ Cremnicienſi, pro dote ſibi aſſignatæ præfecit. Hinc vero ſimul ratio patet, cur in ſcuto hujus groſſi non ſolum Regis, verum & Reginæ inſignia compareant.

3. LVDOVICVS. D. G. REX VNGARIE. ET. BOHEM. Caput Regis diadematum, ad pectus cum paludamento, more Cæſarum Romanorum ævi Theodoſiani.

TEMP. DAVID. DE. BEREND. CAMER. RIVVLI DO. 1525. Duo Angeli Telamonum vice ſtantes, ſimulque tenentes ſcutum gentilitium Cammergrafii Davidis de Berend, in quo ſunt ſagitta, luna, ac duæ ſtellæ. *Arg. Groſſus Ibidem.* Editus in Monnoies en argent. p. 149.

Inſcriptio averſæ legenda eſt: *Tempore Davidis de Berend Camergrafii Rivuli Dominarum.* Eſt autem *Rivulus Dominarum* idem, qui hodie Nagybánya dicitur, germanis olim *Ungriſch Neuſtadt.* Gens *Berendiorum* jám ſub Carolo Roberto in Hungaria floruit; eſt enim in patriis Annalibus ad Annum 1330. mentio *Magiſtri Martini filii*

Berend a). Habuit eadem plane insignia, quæ *Okolszkius* Polonicam *Sasiorum* familiam habuisse refert, ita scutum describens: *b*) „Est luna alba cornibus sursum obversis, aurei coloris stellas ad cornua tenens, medium lunæ quatit sagitta cuspide prægrandi ad sidera directa, campus est sanguineus.“ — Occurrit hoc insigne etiam in nonnullis antiquioribus aureis hungaricis, *Okolszkio* non ignotis, qui narrationem ita prosequitur. „*Sas* in Saxonia originem habuit — — inde (ex Polonia veniens) in Ungaria post militaris tripudii palmam factus Thesaurarius Regni, continua recepit præmia, sicut in aureis Numis Ungarorum apparet, ubi arma *Sas* conspiciuntur.“ — Cum in Hungaria, & Transylvania exstent pagi *Berend*, credibile est, *Davidis Berendii*, in præsente Numo inscripti, Majores donatione Regia pagum aliquem hujus nominis obtinuisse, indeque *Szazios*, more apud Hungaros recepto, *Berendios*, vel *de Berend* nuncupatos fuisse. — In parte antica nostri Numismatis *Ludovicus* exhibetur imberbis, eoque habitu, quo Imperatores Romani Sæculo IV. & V. in suis monetis occurrunt, repræsentatur. Argumento manifesto, extitisse tempore Ludovici II. non modo in Italia; verum jam in Hungaria quoque artifices, qui picturarum exempla ex veteribus Romanorum Numis capiebant. In præsente tamen Numo jure improbare licet, quod neglectis omnibus vultus Ludoviciani lineamentis artifex effigiem capitis Valentiniani, vel Gratiani serviliter imitatus fuerit.

IV. *Denarii argent. ejusdem.*

1. PATRONA. VNGARIE. Consueta effigies Deiparæ coronatæ cum Jesulo in sinu dextero, & siglæ: K. G. id est: *Kremnicium. Georgius Turso.* LVDO-

---

a) Apud Thuroczium P. II. Chron. Cap. XCVII. & Pray Annal. ad Ann. 1330.

b) Okolszky T. III. Orbis Polonici p. 195.

LVDOVICVS. R. VNGARIE. 1516. Scutum cum insignibus Hungariæ, Dalmatiæ, Bohemiæ, & parmula gentilitia Aquilam Polonicam continente. *Univ. Pest.* Vid. Tab. V. N. 186. *Tab. V. N.* 186.

2. Alii similes, sed annis diversi, nempe annorum 1517, 1518 & 1519. *Ibidem.*

Annis nunc memoratis, Cameræ Cremniciensi præfuisse *Georgium* Tursonem, non modo siglæ K. G. indicant, verum constat etiam ex Literis Ludovici Regis anno 1516. ad Neosolienses datis, *a*) & ex Jodoco Ludovico *Decio*, *b*) qui de Georgio hæc refert: „Georgius Comes Cameraru m Mo ntium Hungariæ, vivente Patre affinitatem cum Fuggeris junxerat; Patre absumpto, totam Provinciam, & negotium Patris suscepit: vir magni ingenii, Latinæ, Germanicæ, Polonicæ, Hungaricæ linguæ peritus, ad omnia patris cœpta natus, verum adversa valetudine ut plurimum infelix, qui aliquanto postea, vel sanitatis gratia, vel uxore urgente, in Augustam Vindelicorum concessit, nunquam integre convaluit, ad 19. Martii anno 1521. diem clausit extremum.“

3. Alii duo prioribus similes, sed cum anno 1520. siglis vero monetalibus in uno K. G. in altero K. A. *Ibidem.*

Cum in denariis eodem anno 1520. signatis modo *Georgius*, modo *Alexius* Turso notetur, inferre licet hoc jam anno *Georgium* ob affectam valetudinem munus Comitis Camerarum dimisisse, eique *Alexium* fratrem in eodem munere successisse *c*).

4. Alii

a) Apud Car. *Wagner* P. IV. Analect. Scepus. p. 78.

b) Ad ann. 1508. ubi de Joanne Georgii patre agit.

c) De *Alexio Turzone* vid. Car. *Wagner* l. supr. cit. p. 80. seqq. Alias *Thurzo* scribi solet, sed in Numis est *Turso*. Lectu dignissima est Genealogia Familiæ *Thurzonum de Bethlemfalva* P. IV. Analect. Scepus. a pag. 46. ad 154.

4. Alii ſimiles ab anno 1520. usque ad 1526. ſed in quibus variant ſiglæ; ut nempe ſit vel K. A. vel K. B. vel in quibusdam L. K. aut K. P. aut L. W. *Ibidem.*

5. Nulla epigraphe. Effigies Deiparæ coronatæ ſedentis cum Jeſulo in ſinu dextro. Siglæ: L. K.

Scutum cum inſignibus Hungariæ, Dalmatiæ, Bohemiæ, & parmula gentilitia Ludovici II. ſupra ſcutum annus 1523. *Ibidem.*
Tab. V. N 187. Vid. Tab. V. N. 187.

6. Alius formæ quadratæ cum iisdem figuris, & eodem anno
Tab. V. N. 188. 1523. *Apud Com. Feſtetics.* Vid. Tab. V. N. 188.

Michael *Siglerus* in Chronol. Rer. Hung. notat ad Annum 1523. qui præſentibus denariis inſcribitur, cuſam tunc fuiſſe in Hungaria monetam *Ellenkeſch* vocatam. Corruptum credo hoc vocabulum eſſe vel ex *Elegyes*, quod miſcellum, vel ex *Ellenkező*, quod repugnans Hungaris ſignificat. Ex potuit ſane alterutrum de hac moneta dici, quia ob nimiam cupri admixtionem priſtinæ monetarum argentearum legi adverſabatur; fuitque populo ingratiſſima.

7. Nulla epigraphe. Deipara coronata, Jeſulum ſinu dextro gerens, & ſiglæ K. G.

Scutum quadripartitum, in quo 1) faſciæ. 2) Crux duplex. 3) Capita Dalmatiæ. 4) Leo Bohem. & in medio ſcuti parmula gen-
Tab. V. N. 189. tilitiam aquilam exhibens. *Ibidem Obolus arg.* Vid. Tab. V. N. 189.

Licet hic numulus nullam anni notam habet, tamen cuſum fuiſſe a *Ludovico II.* Kremnicii *Georgio Turſone* Cameræ Præfecto, certum eſt e ſiglis K. G. Ob quam ſimul cauſam procuſum fuiſſe oportuit ante annum 1521. utpote Georgii Thurſonis emortualem.

8. PATRONA. VNGARIE. Deipara cum Jeſulo uti N. 5. ſiglæ: L. K.

LVDOVICVS. R. VNGARIE. 1527. Scutum, inſignia Hung. Dalm. & Boh. & parmulam gentilitiam continens. *Univ. Peſt.*

Huic

Huic *Ludovici II.* denario argenteo pretium addit Annus 1527. ab Regis hujus obitu proximus. O ſpes hominum fallaces, ſi ſorte non Monetarii errore, verum ex propoſito annus proxime venturus in hac moneta occupatus fuit. Nam *Ludovicus* jam die 29. Aug. 1526. in prælio ad Mohács commiſſo periit. Ceterum non deerunt exempla plurium Numorum, in decurſu hujus Operis deſcribendorum, in quibus videbimus, non unum dumtaxat annum, ſed etiam duos, tresve, mortem Principis ſubſecutos, ſic exprimi, tamquam ſi adhuc in vivis tunc egiſſet, magno utique hiſtoriæ, & chronologiæ præjudicio.

Sequuntur duo Numi *ærei* anepigraphi, ad exitum ſecundæ Regum Periodi ſpectantes.

1. Scutum quatuor faſcias complectens.

Crux duplex, & ſiglæ P. R. *Com. Feſtetics.* Vid. Tab. V. N. 190. *Tab. V. N.* 190.

2. Effigies Regis, capite coronato, ſtantis, palliati, tunicati, gladio præcincti, ac dextra bipennem, ſiniſtra globum crucigerum tenentis.

Pars averſa penitus vacua eſt. *Ibidem.* Tab. V. N. 191. *Tab. V. N.* 191.

Ut hos Numos ad Ludovicum II. referam, perſuadeor, quia cuprei ſunt, & cælatura meliore, quam ut antiquiores videantur. Cupreæ pecuniæ ſub Ludovico II. ſignatæ meminit Articulus XXXIV. Decreti in Campo Rákos Anno 1526. conditi, quem vide in Codice Juris Hung.

CAPUT

CAPUT QUARTUM.

De ratione totius Rei Monetalis Hungarorum ſub Regibus *Periodi II.* & quidem primum ſub CAROLO Roberto. Ex Codice MS. Rationum illius ævi, & ex Decreto Regis ejusdem.

§. XVIII.

Quænam Monetarum, ponderumque ſpecies tempore CAROLI Roberti in uſu fuerint Hungaris.

Quam variæ, ac multiplices monetarum, ponderumque ſpecies ſub CAROLO Roberto in Hung. uſitatæ fuerint, colligere licet ex Codice rationum, quas illa tempeſtate Pontificii decimarum ſexennalium in his partibus Collectores, *Rufinus de Cimino*, al. *de Cibinio*, item Jacobus *Berengarius de Bonoſato*, & Petrus *Gervaſii* conſcripſerunt *a*). Occurrunt ibi ſequentia *Monetarum*, quas in Hungaria, Tranſylvania, Croatia, & Sclavonia collegere, vocabula; 1) Ex *auro*: Aurei, floreni auri de Ungaria, floreni auri de Florentia, denarii aurei imperiales, Ducati de Venetiis, Platæ, & Petiæ auri. 2) Ex *argento*: Denarii de Ungaria, antiqui, novi, lati, parvi, parvuli; denarii parvuli de Alba - Regali, denarii cum aquilis, liliati, montani, parva moneta Chegedienſis, (fors: Szegedienſis) Sirmienſis, Zagrabienſis, denarii Misbani Zagrabiæ, Obuli Chulaquii, Chulati, banales

a) Autographum MS. extat Romæ in Bibliotheca Vaticana. Ex quo Rationes ad Hungariam pertinentes deſcribi curavit Anno 1760. GEORGIVS KLIMO Epiſcopus Quinque Eccleſienſis de patria re literaria optime meritus. Aliud exemplum ex Quinque Eccleſienſi deſcriptum, quo uſus fui, liberalitati debeo RR. D. IOSEPHI KOLLER, Lectoris, & Canonici Quinque Eccleſ.

A° 1316. 2 marcae denar. latorum Viennensium
Győri Rég. füzet I. 4.

banales antiqui, novi, banales Strigonienſes, Quinque-Eccleſienſes, Verecenſes, banales de Clusvár, (al. Kolosvár) banales Henriciani, banales de Guthes dicti, banales cavati, mali cruati, Groſſi de Ungaria, Ungarici, Ungaricales, lati Carolini, cum clypeo regio, denarii, groſſique Viennenſes, Boëmini, Turonenſes, Grecenſes, denarii baga Heinricianorum &c.

Ponderum vero ſunt hæc: Marca ad pondus Budenſe, Marca ad numerum Budenſem, Marca Caſſenſis (Caſſovienſis) Marca ponderis Alba-Regalenſis, Biſtricenſis, Marca ad pondus Tranſylvaniæ, Marca Cibinienſis, Zagrabienſis, Siptienſis (al. Scepuſienſis) Agrienſis, Quinque Eccleſienſis, Jaurinenſis, Ferto, Uncia, Penſa, Lotto, Pondus, Kuntinus, Sectinus, Onequin.

§. XIX.

Excerpta Rationum ab Anno 1317. *ad* 1337. *pro intelligendo valore pecuniæ, apud Hungaros tunc uſitatæ.*

Prævie notandum venit, omnes, quæ ſunt in ſupradicto MS. Codice, rationes quarumcunque monetarum revocari ad marcas argenti vel *puri*, vel *vulgaris*, communisque, marcas vero utrasque ad florenos auri. Marca ponderis *Budenſis* argenti *puri* æſtimatur conſtanter quatuor florenis auri, ſive totidem Ducatis hungaricis; alia autem Marca argenti *communis*, quali ſcilicet in conficiendis vaſis utuntur fabri, pro diverſitate denariorum adpenſorum, modo florenis auri tribus, ac dimidio, modo paucioribus. En exempla de *Summis* perceptis ex aliquot Diœceſibus.

1) *Ex Civitate, ac Dioeceſi metropolitana Strigonienſi.*

„ Summa, inquit Codex MS. omnium marcharum *fini argenti*, ad pondus Budenſe receptarum in Civitate, & Diœceſi Strigonienſi, ſeptuaginta marchæ, quarum quælibet valet *quatuor florenos*

auri,

auri, quæ valent in Summa ducentos octuaginta florenos auri. — — Summa marcharum *argenti banalium*, receptarum in civitate, & Diœcesi supra dictis, novem marchæ, centum septuaginta sex *banalibus* pro qualibet marcha computatis, quarum quælibet valet *tres florenos auri*. Valent in summa viginti septem florenos auri. — — Summa marcharum *Viennensium* ibidem — — octo marchæ, & dimidia, & unus fertonus, quadringentis *Viennensibus* pro marcha qualibet computatis, quarum quælibet valet *tres florenos*, *& dimidium*. Valent in Summa triginta florenos auri, & dimidium, & unum octavum unius floreni auri. — — Summa marcarum *Boëminarum* receptarum ibidem, decem marchæ, sexaginta duobus *Boëminis grossis* pro qualibet marcha computatis, quorum *Boëminorum* sexaginta quatuor faciunt unam marcham fini argenti, quæ valet quatuor florenos auri. Et sic valent triginta octo florenos auri, & duodecim Boëminos grossos."

2) *Ex Civitate, & Dioecesi Quinque Ecclesiensi.*

„Summa omnium marcharum argenti *Banalium* de Quinque Ecclesiis, in Civitate, & Diœcesi Quinque Ecclesiensi prædictis, quadraginta, & una marchæ; ducentis quadraginta *banalibus Quinque Ecclesiensibus* pro marcha qualibet computatis, quarum quælibet valet *tres florenos auri*. Sunt in Summa centum viginti tres floreni auri."

3) *Ex Civitate, & Dioecesi Vesprimiensi.*

„Summa omnium marcharum receptarum per me prædictum Rufinum in Civitate, & Diœcesi Vesprimiensi — — triginta tres marchæ, & dimidia, & dimidius fertonus *fini argenti* ad pondus Budense, quarum quælibet valet *quatuor florenos auri*. Valentes in universo centum triginta quatuor florenos, & dimidium auri."

4) *Ex Civitate, & Dioecesi Jaurinensi.*

„Summa marcharum fini argenti, ad pondus Budense receptarum in Civitate, & Diœcesi Jaurinensi, quarum quælibet valet

let *quatuor florenos* auri, sexdecim marchæ valentes sexaginta quatuor florenos auri. — — Summa marcharum *argenti communis* receptarum ibidem, viginti tres marchæ, quinquaginta sex *Boëminis grossis* pro marcha qualibet computatis, quarum quælibet valent *tres florenos, & dimidium.* Valent in Summa octuaginta florenos, & dimidium auri. — — Summa Summarum — — reductarum ad fl. auri, centum quinquaginta quatuor floreni, & dimidium auri. "

5) *Ex Civitate, & Dioecesi Vaciensi.*

„ Summa marcharum fini argenti, ad pondus Budense receptarum in dictis civitate, & Diœcesi Vaciensi — — duodecim marchæ, quarum quælibet valet *quatuor fl. auri,* & sic valent in universo quadraginta octo florenos auri. "

6. *Ex Civitate, & Dioecesi Agriensi.*

„ Summa marcharum receptarum in Civitate, & Diœcesi Agriensi — — — tresdecim marchæ argenti *Viennensis*, quadringentis denariis *Viennensibus* pro marcha qualibet computatis, quarum quælibet tres florenos auri, & dimidium valet. Valent in universo quadraginta quinque florenos; & dimidium auri. — — — Summa debitorum ibidem septem marchæ, & dimidium Viennenses. "

7. *Ex Civitate, & Dioecesi Transylvaniensi.*

„ Summa omnium marcharum fini argenti ad pondus Budense receptarum — — in Civitate, & Diœcesi Transylvan. centum triginta septem marchæ, quarum quælibet valet quatuor florenos auri. — — Valent quingentos, & octo florenos auri — — Summa omnium marcharum fini argenti *ad pondus Transylvaniense* receptarum — — viginti novem marchæ, quæ valent viginti quatuor marchas, & tres uncias, & tertiam partem unius unciæ, & duas quinquaginta septem partes unius unciæ *ad pondus Budense*, quæ valent in universo nonaginta septem florenos auri, & undecim Boëminos grossos. "

Consectariorum instar observa: I^{mo} *Strigonienses banales nummos* fuisse melioris notæ, vel graviores, quam *Quinque Ecclesienses*, quoniam illorum 175. horum vero 240. habebant valorem trium florenorum auri. II^{do} *Viennenses denarios* fuisse leviores etiam *Quinque Ecclesiensibus*, nam 400. valebant tantum tres florenos, & dimidium. III^{tio} *Grossos Bohemicos* pro marca puri argenti numeratos fuisse 64. tametsi eorum 62. adpenderint unam marcam: pro uno itaque floreno auri datos fuisse 16. idgenus grossos. IV^{to} Marcam *ponderis Transylvanici* fuisse leviorem marca *ponderis Budensis*, cum 29. marcæ Transylvanicæ ponderaverint solummodo 24. marcas Budenses, & 3. uncias cum $\frac{1}{3}$ & $\frac{1}{57}$ unius unciæ particulis, ideoque videri eandem fuisse cum marca *Cibiniensi*, cujus fit mentio in Privilegio *Andreæ II.* Saxonibus Transylvaniæ dato, utpote quæ dimidio fertone, & uno denario Coloniensi augeri debuit, ut æquaret marcam ponderis regii Budensis, secundum quam exigi solebat lucrum Cameræ Regiæ. Vid. *Diss. II. Cap. IV. §. XXIII.*

§. XX.

Marcarum numeralium, pensarum, & monetarum variarum ex eodem Codice MS. Recensio.

Marca *Numeri Budensis* constabat 56. grossis latis, id quod plurimis nostri Codicis MS. paginis indicatur. Paginas citabo ex Codice Regiæ Universitatis Pestiensis, in tres Tomulos diviso.

Marca *Jaurinensis, Albensis, Zagrabiensis* numerat 40. grossos, T. I. p. 231. seq. *Siptiensis*, sive Scepusiensis, & Quinque Ecclesiensis 48. groff. *Ibid.* p. 153. *a*).

Agrien-

a) „Frater Theodoricus solvit pro Alberto de *Sips* Ordinis Sistriciensis decem marcas. *Quadraginta octo grossi* faciunt marcam *Siptiensem*.“

Agriensis marca erat 50. grossorum. *Ibidem* p. 356. *a*).

Colocensis, & *Bacsiensis* 60. grossor. T. II. p. 146.

Sed ut rectius ponderum simul, ac monetarum, ævo Carolino in Hungaria receptarum, tam vocabula, quam valores, modique computandi intelligantur, non morabor, quæ hunc in finem ex Codice hoc manuscripto excerpseram, isthic referre, atque ubi opportunum videbitur, etiam nonnullis animadversionibus illustrare. Hæc autem sunt:

„ Magister Sixtus de Panthata — — persolvit *tres marcas* Budenses, & decem *pensas parvorum denariorum* — — D. Præpositus portavit decem marcas Budenses in *grossis*, & quatuor *ptitulas* argenti, & novem grossos *b*).

Ptitulæ, al. *Petiolæ*, frustilla argenti.

„ Nicolaus Archidiaconus Simegiensis solvit duas marcas *latorum Carolinorum*. Item Albensis de Archidiaconatu suo quatuor pensas *parvorum Carolinorum* *c*).

Lati, & *parvi Carolini* denarios integros, ac medios, sive obulos Caroli Roberti significant.

„ Dominus Cosmas Canonicus Capituli Baciensis — — — solvit duodecim fertones, *sexaginta banales pro fertone* computando. Item D. Albertus Canonicus ejusdem Ecclesiæ — — triginta grossos, *quatuor banales pro grosso computando* *d*).

Hinc apparet, *banales* hos communibus denariis fuisse graviores; nam *grossus* eodem tempore valebat sex denarios communes. Vid. *Decretum Caroli Roberti*. Sed variæ erant numorum *banalium* species, de quibus infra recurret mentio.

a) „ Capitulum *Agriense* dedit sexdecim marcas cum dimidia. Marcam cum *quinquaginta grossis* computando."

b) T. I. p. 356.

c) Tom. II. p. 96.

d) Ibidem p. 146.

„ Item Dominicus — — solvit XIII. marcas grossorum, & IV. grossos ad numerum Budensem. Item X. pensas *denariorum Baga Hainricianorum a*).

Baga, pro *Paga*, Gall. *Paiement*, quod solutionem significat. De *Hainricianis* non dubito, quin fuerint denarii *banales*, ab *Henrico* Sclavoniæ Bano. Alibi vocantur *banales herinciani*, & *Herniciani* mendose. Vid. RR. Koller T. II. Episcop. Quinque Eccl. p. 380. ubi ex eodem MS. legitur Petrus Cantor Capituli de Posoka (*Posega*) solvisse 51. grossos regales, & 7. pensas *banalium Henricianorum*. Item p. 388. Alius Petrus Sacerdos (in Archidiaconatu de Pozaga) 20. *banales Hernicianos*. HENRICUM Banum lego in Tabulis Capituli Spalatensis apud Farlatum T. III. Illyrici sacri p. 283. his verbis: „ Anno MCCLXXI. Indict. XIV. Decima Januarii, regnante Domino nostro Stephano Serenissimo Rege Hungariæ — — inclyti viri Bani *Henrici* Comitis &c. An idem hic *Henricus* Banus, vel alius ejusdem nominis in denariis nunc memoratis intelligi debeat? incertum est. Illud constat, extare denarios cum inscriptione: *Moneta Regis pro Sclavonia*, in quorum nonnullis pro sigla occurrit H. qua *Henricus* idgenus monetæ auctor, vel Præfectus indicari potest.

„ Item XIV. grossos, & III. pensas, & XXX. denarios *usualis monetæ Sirmiensis*. Item D. Dominicus solvit — — tres marcas ad numerum Budensem, minus quatuor grossis. Item duas marcas cum fertone in pondere monetæ *Chegediensis b*).

Rescribendum esse videtur *Szegediensis* pro *Chegediensi*.

„ Plebanus de Poch solvit — — *LX. grossos Turonenses* pro marca *c*). *Septem banales pro grosso d*). “ Alibi

---

a) Ibidem p. 147.

b) Ibidem.

c) T. II. p. 149.

d) Ibidem p. 150.

Alibi occurrunt *ſex banales* pro groſſo. Supra vero vidimus *quatuor* tantum banales pro groſſo. Unde liquet, *banalium* numorum varias fuiſſe ſpecies.

Leguntur quoque in eodem MS. *ſeptuaginta banales* pro *fertone*, ſeu quarta parte marcæ, & *ſexaginta groſſi* pro marca Bohemica *a*). Item quadraginta *banales* pro *floreno*, & *ſexaginta* banales pro fertone *b*). In alia vero pagina ſunt quadraginta banales pro fertone, totidem nempe, quot paullo ante pro floreno *c*). Alibi iterum ſeptem denarii, vel banales, pro groſſo, talesque ſeptuaginta banales pro fertone *d*).

In *Zagrabienſi* Diœceſi *Marca quinque penſis* computabatur, vel *quadraginta groſſis*. Ita enim *ibid. T. II. p.* 172. & 175. legitur. „Præbendarii de choro Zagrabienſi ſolverunt quinque marcas, & tres penſas. Marcam cum quinque penſis computando, vel pro quadraginta groſſis ad rationem Zagrabien.“ 5 den = groſſ.

In *Varadienſi* Diœceſi occurrit *Marca ſexaginta ſex groſſorum e*). In *Tranſylvania* memorantur *denarii parvi*, quorum *octo* valebant groſſum *f*). Ibidem eſt Ferto fini argenti quarta pars marcæ, *g*) & Ferto fini argenti cum pondere Biſtricenſi *h*).

„ Henricus de Vegla ſolvit *quinque Kuntinos argenti*, *Kuntinus facit quartam partem trium ponderum i*).

Hoc

---

a) Ibidem.
b) Ibidem p. 151. & 160.
c) Ibidem p. 164.
d) Ibidem.
e) Ibidem p. 195. ſeq.
f) T. III. p. 29.
g) Ibidem. p. 32.
h) Ibidem. p. 35.
i) Ibidem. p. 36.

Hoc ſic interpretor: *Pondus* vocabatur illo ævo pars 48va unius marcæ. Ergo tria pondera $=\frac{3}{48}$, ſive $\frac{1}{16}$. Hinc vero ſequitur, *Kuntinum* fuiſſe $\frac{1}{64}$ marcæ, ſive $\frac{1}{8}$ unciæ, aut $\frac{1}{4}$ ſemunciæ, quod æquale drachmæ, germ. *Quintl.* Itaque *Kuntinus* quaſi *Quintinus*.

„ Heugmannus de villa Ludovici ſolvit *tres ſectinos* argenti, quorum *ſectinus* facit unum pondus cum medio *a*).“

Sectinus proinde valuit *duos Kuntinos*, id eſt, duos tales groſſos, qualium 64. numerabantur pro una marca puri argenti.

„ Coſmas Sacerdos de Buza — — ſolvit *IV. groſſos*, *XXII. novos banales*, & *XIII. liliatos*, & *IX. parvulos b*).“

Facile intelligitur *liliatos* fuiſſe denarios communes *Caroli* Roberti, a liliis gentilitiis, quibus ſignabantur, ſic dictos. *Parvulos* autem vocatos infimæ ſpeciei numos argenteos, al. *obulos*, aut *filiér*.

„ Nicolaus Plebanus de Lanouk — — ſolvit tres fertones denariorum, *lottonem cum XI. denariis computando c*).“

„ Magiſter Jacobus de Oza Archidiaconus ſolvit duas marcas, unam in argento, & aliam in *banalibus antiquis*, *lottonem* cum XI. computando *d*).“

Magiſter Salamon Archidiaconus de Torda ſolvit centum groſſos, XX. penſas denariorum, & unam marcam in denariis ad rationem argenti, *triginta duos* pro *lottone* computando *e*).“

En! quam diverſi ponderis, & valoris denarii eodem tempore apud Hungaros in uſu fuerint. *Undecim* antiqui *banales denarii* valebant *lottonem*, ſive ſemunciam argenti, cum tamen ex aliis denariis

---

a) T. III. p. 37.
b) Ibidem p. 61.
c) Ibidem p. 63.
d) Ibid. p. 94. ſeq.
e) Ibid. p. 114. ſeq.

riis triginta duo numerari debuerint pro *lottone*. Sed posteriores hi videntur ex illorum, qui *parvuli* vocabantur, genere fuisse.

„ Laurentius Sacerdos de S. Cruce solvit XI. banales antiquos, & unum grossum, & XV. banales Vercenses *a*)."

Alibi *Verecenses*. *Verôcze* Civitas, & Comitatus Regni Sclavoniæ, habens illa ætate officinam monetalem.

„ Petrus Sacerdos de Chachana solvit XXX. lottones —— & hoc *Viennensibus*, & XXX. *liliatos*, & IV. antiquos *banales b*)."

Denariorum *Viennensium* in Hungaria cursus postea Decreto Caroli Roberti interdictus.

„ Johannes de villa Sanctæ Mariæ de Archidiaconatu *Hunodiæ* solvit sex pensas denariorum, & quinque novos banales, & XXXIV. *Thulaquios c*)."

Alibi occurrunt *Chulaquii*, *Schulaquii*, & *Chulati*, mendis utique scribarum, ut adeo genuinum vilissimæ hujus monetæ nomen ignoretur hodie. Archidiaconatus *Hunodiæ* idem procul dubio qui *Hunyadiæ* in Transylvania.

„ Zebedæus Sacerdos de Papsalva solvit *undecim banales de Chusvár*, & XIX. denarios *montanos d*)."

Banales de *Chusvár*, sive *Kolosvár*, id est, Claudiopolitani Transylvaniæ. Non igitur Numi *banales* in sola Sclavonia, aut Croatia, verum etiam in aliis Provinciis ad Hungariam spectantibus, Sæculo XIV. feriebantur. A denariis *montanis* diversos fuisse prodit laudatus nunc Manuscripti locus.

„ Johan-

---

a) Ibid. p. 74.
b) Ibid. p. 78.
c) T. III. p. 87.
d) Ibid. p. 108.

„Johannes Sacerdos de Kezy solvit XI. *banales cruatos*. Petrus Sacerdos de Desvár solvit VII. grossos, & VIII. *banales malos cruatos a*).“

Suspicor, *Cruatos* pro *Crucatis*, sive *Cruciatis*, id est cruce signatis Numis dici. *Mali* vocantur, qui parum argenti in se continent. Tales nempe fuerint aliqui inter complures *banalium* numorum species.

„Sebastianus de Kurczmar solvit *VIII. grossos malos*. — Petrus Sacerdos de Hunad solvit tres pensas denariorum, & XXVII. denarios, & unum grossum *Vercensem*. — Dominicus Sacerdos de Saaspotok XXXIII. *obulos*, & sex *Vercenses b*).“

„D. Michael Plebanus de Kalnuk solvit quatuor aureos. Item D. Nicolaus Plebanus de Beech unum florenum *c*).“

„Magister Michael Archidiaconus de *Clus* solvit duas marcas grossorum pro Canonia, & Archidiaconatu, quamlibet marcam cum sexaginta quatuor grossis computando. — Item Magister Bulchonius — — pro medietate Canoniæ unam marcam grossorum, sexaginta duos grossos pro marca computando *d*).“

Marcæ per *6. pensas*, sive per 50. grossos computatæ occurrunt in Regestro trium annorum Ecclesiæ Bosnensis, hoc modo: „Primo D. Episcopus solvit *XXII. marcas per sex pensas*. Item Præpositus solvit quinque marcas cum sex pensis *e*).“

„Solutio secundi anni Ecclesiæ Bosnensis. Solvit D. Episcopus XXII. marcas, per quinquaginta grossos *f*).“

Antiqui

a) Ibid. p. 111. & 112.
b) Ibidem p. 154. 124.-128.
c) Ibidem p. 143.
d) Ibidem p. 143. & seq.
e) Ibidem p. 213.
f) Ibidem p. 215. seq.

Antiqui banales modo XI. modo XXII. pro *lottone* computantur locis ſequentibus:

„ Magiſter Ladislaus Magnus (*Nagy*) pro Canonia ſua ſolvit mediam marcam antiquorum banalium, *undecim* pro lottone computando. — Item Magiſter Nicolaus — — pro Canonia ſua unam marcam antiquorum banalium, *duodecim* pro lottone computando *a*).

Semuncia (*Loth*) vario denariorum numero definitur, nempe XXXII. denariis Tom. III. p. 147. item XXXIV. denariis ibid. p. 148. alibi XXIV. den. *ibidem*; & XXIII. denariis ibid. p. 150.

Banales *Cruati*, & *Schulaquir* memorantur p. 155. *Chulati* vero p. 168. *Chulaquii* p. 172. & 177.

Marcæ argenti communis pondere *Albenſi* p. 162.

Denarii cum *aquilis* p. 177. *Obuli* p. 178. Denarii de *Hungaria* p. 181.

Denarii *aurei imperiales*, p. 190. „Magiſter Johannes Archidiaconus Albenſis (in Tranſylvania) habuit duos *denarios aureos imperiales*, & unum fertonem. — —. Item habuit marcam auri „ minus quinque *Kuntinis*.“

„ Paulus Sacerdos de Philpus ſolvit decem *denarios montanos*, & unum *Onequin*.“ Ibidem p. 192.

Onequin videtur fuiſſe ponduſculum *Kuntino* levius.

§. XXI.

Reliqua excerpta Rationum, ab Anno 1338. *ad* 1342. *conſcriptarum*.

Florenorum auri de Hungaria, & marcarum auri, plus minus puri mentio fit hiſce verbis:

„Anno

---

a) Ibidem p. 146.

„ Anno MCCCXXXVIII. die XVII. Julii. Ego dictus Petrus Gervasii recepi in Regno Hungariæ a Religioso viro D. Jacobo Berengarii — — *centum florenos auri de Ungaria a*)." Item anno MCCCXL. die I. Febr. — — *sex marcas, & sex pondera auri, decem & septem Caractarum ponderis Budensis b*) „Item — — *sex marcas, & sex pondera auri, decem, & octo Caractarum ponderis Budensis c*)."

Pondera hoc loco, Marcis postposita, non significant *libras*, sed partes quadragesimas octavas unius Marcæ. Itaque hæc sex pondera auri valent $\frac{1}{8}$ Marcæ auri, sive unam unciam, aut duas semuncias.

Monetæ Zagrabiensis, *Misbavi*, alias *Misban* dictæ, ducenti denarii pro una Marca, eruuntur ex his: *d*)

„ Item anno, quo supra, die XXV. Nov. recepi a D. Johanne dicto Decano Canonico Zagrabiensi, subcollectore Decimæ sexennalis, olim impositæ in Concilio Viennensi — — — sexcentas decem, & octo marcas cum septuaginta denariis monetæ *Misbavi*, computando *ducentos denarios pro una Marcha*: & fuit vendita dicta pecunia, seu permutata pro mille quadringentis quinquaginta septem florenis auri."

Marca decem pensis, & *pensa quadraginta denariis parvulis Viennensibus* computata. *Ibid.* p. 266. seq.

„ Item anno, quo supra (1341) die XI. mensis Junii recepi a Capitulo Ecclesiæ Vesprimien. tredecim marchas, & tres pensas *parvulorum Viennensium*: computando decem pensas pro marcha, & XL. denarios pro *pensa*. Fuerunt venditæ XVII. florenis auri."

Calcu-

a) T. III. 262.
b) Ibidem p. 263.
c) Ibidem.
d) Ibidem p. 265.

Calculo inito eruitur, quadringentos parvulos Viennenses effecisse unam marcam numeralem, quæ non plus valuit, quam unum florenum auri, & 93. idgenus parvulos denarios: quos proinde oportebat esse admodum leves, vel certe nimis multum æris argento permixti habuisse.

Grossi Ungarici cum clypeo Regis octodecim pro floreno auri. *Ibidem* p. 267.

„ Item anno, & diebus, quibus supra, recepi — — a Capitulo Ecclesiæ Vesprimiensis LVII. *grossos Ungaricales* cum clypeo Regis, quorum XVIII. *grossi* venditi fuerunt pro uno fl. Valent tres fl. auri cum tribus grossis. “

Viginti duæ marcæ monetæ Zagrabiensis venditæ Venetiis pro 46. florenis auri. *Ibidem* p. 268.

„ Item — — recepi a D. Johanne dicto Decano subcollectore Decimæ sexennalis, olim impositæ in Concilio Viennensi, in Civitate, & Diœcesi Zagrabiensi de Summa XXXVI. marcharum *monetæ Zagrabiensis*, computando marcham pro ducentis denariis; recepi XXII. marchas, quas Venetiis vendidi *pro quadraginta sex florenis auri*, & reliquas XIV. marchas dimisi sibi pro expensis, quas fecerat dictam Decimam colligendo. “

Marca monetæ Zagrabiensis, *Misban* dictæ, valuit *duos florenos auri*. *Ibidem* p. 305.

„ Item Anno, quo supra (1342.) die XXVI. Junii misi de Zagrabia D. Johannem, dictum Decanum Canonicum Zagr. Eccl. & D. Nicolaum Cantorem dictæ Eccl. cum pecuniis, quas habebam, ad littus maris in Sinham, & dedi dicto Cantori quinque Marchas monetæ Zagrabiensis *Misban*. Valent decem florenos. Item dedi dicto Johanni tres marchas dictæ monetæ *Misban*. Valent sex florenos. “

Pensa parvulorum denariorum Albaregalensium computata denariis quadraginta. Duodecim pensæ Viennensium latorum pro una marca, & XXIV. grossis; pro grosso autem sex denarii. Ibidem p. 284.

„ Summa prædictorum — — — de reliquis Decimæ sexennalis — — — centum nonaginta marchæ grossorum ad numerum Budensem, tredecim marchæ grossorum antiquorum cum dimidia. Quinque pensæ cum dimidia parvulorum denariorum de Albaregali, computando *quadraginta denarios pro pensa.* Quinque marchæ argenti cum dimidia. Quinque floreni auri. *Duodecim pensæ Viennensium latorum*, quæ valent *unam marcham, & viginti quatuor grossos*, computando quadraginta denarios pro una pensa, *& sex denarios Viennenses pro uno grosso.*"

Triginta sex pensæ parvulorum denariorum de Alba - Regali venditæ quatuor fl. auri, & sex grossis Ungaricis, occurrunt *ibidem* p. 285. Quinque pensæ cum dimidia eorumdem pro undecim grossis Ungaricis. *Ibid.* p. 292.

Hinc patet, pensam dimidiam, sive 20. parvulos denarios Alba-Regalenses unicum dumtaxat grossum Ungaricum valuisse.

§. XXII.

Exemplum additionis pecuniarum diversi generis, & reductionis ad florenos auri ex eodem Codice MS. Accedit de Pensis aureorum aliud documentum.

In eodem MS. Codice T. III. p. 291. seqq. occurrit exemplum factæ additionis pecuniarum perceptarum, varii generis, reductionisque ad florenos auri hunc in modum:

„ Summa Summarum omnium prædictarum per me Petrum Gervasii receptorum ex quacunque causa in Regno Hungariæ: sex millia, & sexaginta duo floreni."

„ Quatuordecim marchæ cum I. Qu.

„ Tre-

„ Trecentæ quadraginta quinque marchæ groſſorum ad numerum Budenſem, & viginti groſſi.

Duodecim marchæ banalium Strigonienſium.“

Viginti tres marchæ cum dimidia antiquorum groſſorum Ungaricalium. Quinque penſæ cum dimidia parvulorum denariorum de Alba - Regali.“

Triginta octo marchæ argenti.“

De ſupra dicta Summa trecentæ quadraginta quinque marchæ, & viginti groſſi ad numerum Budenſem, venditæ fuerunt, ſive commutatæ pro mille ducentis quadraginta ſeptem florenis auri de Ungaria, & undecim groſſis cum dimidio, computando marcham pro quinquaginta ſex groſſis cum dimidio.“

„ Item quindecim marchæ groſſorum ad numerum Budenſem, reſtantes de ſupra nominata majore ſumma fuerunt commutatæ, ſeu venditæ Venetiis pro quinquaginta florenis auri, & ſex groſſis.“

„ Item duodecim marchæ groſſorum banalium ſupra dictorum venditæ fuerunt pro triginta novem florenis auri, & novem groſſis Ungariæ, dando pro quolibet floreno ſeptemdecim groſſos, & marcham pro quinquaginta ſex groſſis computando.“

„ Item viginti tres marchæ cum dimidia groſſorum antiquorum venditæ fuerunt pro ſeptuaginta tribus fl. auri, & duobus groſſis, dando pro quolibet fl. octodecim groſſos, computando marcham pro quinquaginta ſex groſſis.“

„ Item duæ marchæ, cum XXVII. denariis, groſſorum novorum Ungaricalium venditæ fuerunt, ſeu commutatæ pro octo fl. auri, & undecim groſſis Ungariæ, dando pro floreno ſedecim groſſos.“

„ Item quinque penſæ cum dimidia parvulorum denariorum venditæ fuerunt pro undecim groſſis.“

„ Item de ſupra dicta ſumma XXXVIII. marcharum argenti venditæ fuerunt XXX. marchæ pro centum quinquaginta fl. auri.

Item

Item reliquæ octo marchæ pro triginta novem fl. auri, cum dimidio groſſorum, dando marcham pro quinque florenis minus duobus groſſis. "

„ Summa florenorum auri receptorum pro prænumeratis pecuniis, & argento, ut præmittitur, venditis, ſeu commutatis, mille quingenti quadraginta tres floreni auri, computatis in dicta ſumma tribus florenis pro quadraginta ſex groſſis cum dimidio. "

„ Summa univerſalis omnium receptorum facta reductione ad florenos, prout ſupra dicitur. Septem millia ſexcenti duodecim floreni. Quatuordecim marchæ auri, & Qu. Tres groſſi. " *Ibidem* p. 293.

„ De qua quidem ſumma florenorum auri D. Bernardus de Lacu, tunc Apoſt. Sedis Nuncius in partibus Lombardiæ recepit a Priore, & Conventu SS. Johannis, & Pauli Ord. Prædicatorum Venetiis duo millia *florenorum auri de Florentia.* "

„ Item anno Domini 1342. die 3. Septembr. — — depoſui penes Priorem, & Conventum — — prædictos, de mandato D. Camerarii quatuor mille trecentos nonaginta ſeptem *florenos auri de Venetiis.* Item ſexcentos tres *fl. auri de Florentia.* " Ibid. p. 294. Præterea p. 297. fit mentio de receptis duabus *platis* auri, una ſex marcharum, duarum unciarum, & trium *Cart.* ſeu quartarum de XVII. *Cadrat*, ſive Karatis; aliam vero ſex marcharum, duarum unciarum, & trium *Cart.* de XVI. *Cadrat.* ad pondus *Curiæ.*

Hæc ſunt, ut præmiſi ex MS. Codice Rationum, quas Pontificii Collectores decimarum ſub Carolo Roberto conſcripſere. Habemus vero ex illa ætate aliud etiam, idque longe illuſtrius pro hiſtoria Hungaricæ rei monetalis documentum in Codice Juris Patrii, Decretum nempe Caroli Roberti, quod proximo Capite explanaturus, non poſſum interea non meminiſſe alterius ex eodem Sæculo monumenti, nondum, ſi rite memini, editi, ac vulgati, in quo commemoran-

memorantur *pensæ aureorum*, quas necquicquam alibi quæsiveris, quarumque sensum, & valorem ægre reperias. Est illud de anno 1325. & sic habet:

„ Nos Capitulum Ecclesiæ Nitriensis damus pro memoria, quod Comes Bethlen, & Petrus Filii Drág de Koros, coram nobis personaliter constituti, iidem possessiones, seu villas ipsorum, Koros inferiorem, Szelcsan minorem, & Illus, Benedicto Koncsek cognato suo a Festo præsenti Ascensionis Domini usque ad aliam annualem revolutionem ejusdem Festi *pro centum*, & *quinquaginta pensis aureorum*, plene receptorum, ut asseruerunt, pignori obligasse retulerunt coram nobis &c. Datum in Dominica Invocavit. Anno Domini MCCCXXV. a).

Quotnam aureos efficiant expositæ isthic 150. *pensæ aureorum*, obscurum est hodie, vixque aliter, quam conjectando explicari potest. *Pensam* enim interpretes nostri vario sensu accipiunt. Exempli causa, *centum decem pensas auri* in Decreto S. Stephani interpretantur totidem Numos aureos byzantinos, vel certe totidem auri pondusculа his proxime æquivalentia. *Pensam* absolute, sine addito *auri* vocabulo, in Decreto S. Ladislai habent pro numero 40. denariorum argenteorum, quot nempe illo tempore valebant unum aureum byzantinum. At vero serius, in Decreto Caroli Roberti occurrens *Pensæ* vocabulum, observant alio etiam sensu fuisse adhibitum, ad significandam nempe *unciam*, partem Marcæ octavam. Quod cum ita sit, patet, in quæstione proposita *de* 150. *pensis aureorum*, primum decerni oportere, quonam sensu isthic *pensæ* intelligendæ sint. Opinione mea, vocabulum *pensæ* hoc loco non potest esse *Numi* synonimum, eo ipso quod non *auri*, ut in Decreto S. Stephani, sed *aureorum* vocabulo jungantur. Et alioquin si dicta summa non plures quam

a) Ex MSS, *Prayanis* Tom. C. p. 196.

quam 150. aureos significaret, additio *pensarum* esset prorsus otiosa, immo inepta. Sed neque existimandum est, *pensas* in hac summa esse numeros, quadraginta aureorum singulos, adeoque has 150. pensas aureorum efficere 6000. aureos. De solis enim denariis argenteis id verum est, quod eorum quadraginta imputati semper fuerint in unam *pensam*; de aliis vero majoribus monetis neutiquam. In Rationibus enim paullo ante descriptis, ubi de *grossis* est sermo, horum *octo*, nonnunquam pauciores, aut uno dumtaxat, alterove plures, in una sunt *pensa*. Itaque nihil jam verisimilius est, quam illas 150. *pensas* esse totidem *uncias* aureorum. Antiquo pondere hungarico 9. aurei communes appendebant *unciam*, uti constat ex Verbökziano Trip. Jur. hung. P. II. Tit. 73. *a*). Quamobrem summa 150. aureorum per 9. est multiplicanda, patebitque illas 150. pensas aureorum significare 1350.

§. XXIII.

Decretum CAROLI Roberti de cusione novorum denariorum, & lucro Camerae, Notis illustratum. Pars prima.

Quaenam denique totius rei monetalis ratio fuerit in Hungaria postremis Caroli Roberti annis, ex Decreto, quod unicum hujus Regis in Codice Juris Patrii exstat, intelligere licebit. Est autem hujus tenoris:

„ Nos CAROLVS Dei gratia Rex Ungariae, memoriae commendantes tenore praesentium significamus, quibus expedit universis. Quod nos Praelatorum, & Baronum nostrorum voto unanimi, & de consilio eorundem, consideratis fidelitatibus, & industriosis virtutibus, Magistri Ippoliti Castellani de Arva, fidelis nostri, Comitatum

Camerae

---

a) Ibi Marca auri efficit 72. florenos auri, sive ducatos. Cum igitur *pensa*, sive *uncia* partem octavam Marcae constituat, consectaneum est, ut 9. aurei unciam adpendant.

Cameræ nostræ de Kremnicz, *a*) cum omnibus Comitatibus, Districtibus, villis, oppidis, qui, et, quæ ab antiquo ad eandem Cameram nostram dignoscuntur pertinuisse, scilicet cum Comitatibus, Nitriensi, Neogradiensi, Barsiensi, Posoniensi, Hontensi, Trenchiniensi, de Zolyom, de Pesth, & de Comarom, ex alia parte Danubii, scilicet a Posoniensi, & Bachiensi partibus situatis, *b*) eidem Magistro Ippolito *pro octingentis marcis*, partim in *florenis*, seu *aureis denariis* Cameræ nostræ ejusdem cusis, & cudendis, *c*) partim vero cum integris Cameræ nostræ monetis annorum præteriti, tertii, & quarti, & præsentis, per totum Regnum uniformiter discurrendis, ad modum anni præteriti tam per ipsum, quam per alios Regni nostri Camerarios ampliandis, *d*) nobis in terminis infra scriptis persolvendis, Anno Domini millesimo, trecentesimo, quadragesimo secundo, a data præsentium per anni circulum simul cum Decimis Archiepisco-

---

a) *Comitatus Cameræ de Kremnitz* significat *Præfecturam* Cameræ Cremnicensis, cui, qui præfuit, *Comitis* titulo gaudebat.

b) Comes Cameræ Cremnicensis potestatem habuit exigendi lucrum Cameræ, de quo infra dicetur, solummodo in his Comitatibus Hungariæ, qui hoc loco enumerantur, reliqui Comitatus erant distributi inter Præfectos aliarum Camerarum eundem in finem. Hoc ergo sensu ad Kremnicensem Comitatum, seu Præfecturam pertinebant Comitatus Nitriensis, Neogradiensis, Barsiensis, Posoniensis, Hontensis, Trenchiniensis, Zoliensis integri, Pestinensis vero, & Comaromiensis non integri, sed solummodo secundum terras, respectu Budæ trans Danubium sitas, sive quatenus Comaromiensis est Posoniensi, Pestinensis vero Bachiensi Comitatui finitimus.

c) His verbis certi reddimur de *aureis* Cremnicii cusis sub Carolo Roberto, typo scilicet florentinorum, quales supra descripsimus.

d) Hinc facile intelligitur præter *Hippolitum* Cameræ Cremnicensis Comitem, etiam aliarum in Hungaria Camerarum Præfectos Decretum huic simile eodem, vel alio tempore accepisse, de elocatis sibi Cameris.

epiſcopalibus, *a*) dedimus iterato, & locavimus ad exercendum, procurandum, & tenendum iſto modo:

„ Quod idem Magiſter Ippolitus faciat fabricari integros denarios, Cameræ noſtræ argenteos *veræ combuſtionis tertiæ*, ad modum, formam, & valitudinem denariorum annorum præteriti, tertii, & quarti, eosdem ampliando in vera, & tertia combuſtione, ex quibus de una marca fini argenti duodecim penſæ incidantur, *b*) & octo

---

a) Archiepiſcopi Strigonienſes liberalitate Regum percipiebant non modo *Piſetum*, de quo infra dicetur, ex cuſione monetæ proveniens, verum etiam decimas quorumvis metallorum, teſte Card. Pazmanno in Appendice III. Synodi Strigonienſis. *Carolus Robertus* hoc Decreto etiam has decimas, facta indubie prius transactione cum *Chanadino*, qui tunc Eccleſiæ Strigonienſi præfuerat, eidem *Hypolito* elocavit ſimul cum aliis Cameræ Cremnicenſis reditibus.

b) Non rite *Mosoczius* hinc arguit, *Marcam montanam* eo tempore *duodecim unciis* conſtitiſſe. Senſus enim longe alius latet in his Decreti verbis. Præſcribitur nempe, hoc loco materia, forma, pondus, & valor tam internus, quam externus novorum denariorum. *Korn*, *und Schrott* breviter dicunt hodie germani. Ut igitur cuderentur ex argento *tertiæ combuſtionis*, id eſt: ejus notæ, cui non plus, nec minus, quam tertia pars cupri incocta, ac permixta ſit. Nunc tale argentum vocamus lothonum 10$\frac{2}{3}$. germ. *Zehen und zwei drittel löthig*, ob diviſionem probitatis argenti in 16. gradus, *loth* dictos. Hoc ſignificant verba illa: *Quod idem Magiſter Ippolitus faciat fabricari integros denarios, Cameræ noſtræ argenteos, veræ combuſtionis tertiæ*, quales nempe jam cudebantur tribus quatuorve præcedentibus annis, quorum numerus ampliandus, ſive augendus erat nova cuſione. Sequitur in contextu: *eosdem ampliando in vera, & tertia combuſtione, ex quibus de una marca fini argenti duodecim penſæ incidantur.* Senſus eſt, *ex quibus*, id eſt, quorum denariorum *duodecim penſæ*, ſive denarii 480. (nam 40. efficiebant unam *penſam*) *incidantur*, ſeu excudantur *de una marca fini* (puri) *argenti*, poſtquam nempe huic in igne reſolutæ admixta fuerit media marca cupri; id quod jam ex præmiſſis intelligi

octo penſæ ex iisdem, & non plures, unam marcam ponderis Budenſis, in ſtatera ponderabunt, & current pro marca fini argenti in montanis *a*)."

„Qui quidem denarii noſtri integri cambientur per hunc modum: Quod ipſe Comes Cameræ, vel ſui Officiales, in ſingulis foris Civitatum, & liberarum villarum regalium, & reginalium, ac quorumlibet aliorum, præſentibus hominibus Dominorum Archiepiſcopi, Magiſtri Tavernicorum, & Comitis Parochialis, ac uno Judice Nobilium, ſub teſtimonio alicujus Capituli, in eisdem foris, ipſos denarios ampliandos Cameræ, & multiplicandos, publice ſuper tabula ſua exponere debeat, & tres ex ejusdem denariis pro quatuor *latis Viennenſibus*, vel aliis Cameræ noſtræ monetis, quinti anni jam abolitis; aut etiam in aliis præcedentis anni fabricatis, combuſtionem Viennenſem habentibus, cambientur, & ſex ex eisdem tam *denariis novis*, quam annorum

intelligi debet. Atque ſic jam cudendorum denariorum non materia tantum formaque, verum & pondus determinatur, magis tamen iſtud aliis his verbis explicatur: *& octo penſæ ex iisdem, & non plures, unam marcam ponderis Budenſis in ſtatera ponderabunt, & current pro marca fini argenti in montanis.* Ita quippe, cujusnam ponderis cudi deberent ſinguli denarii, propius adhuc declaratum eſt. Oportebat nempe, ut quælibet talium denariorum quadragena, ſive *penſa*, unam unciam, octo autem eorundem *penſæ*, ſive 320. denarii, octo uncias, adeoque marcam Budenſem pondere ſuo æquarent

a) Quod vero additur ibidem: *& current pro marca fini argenti in montanis*; pertinet ad lucrum Cameræ; hoc enim Edicto Regio conſtitutum eſt, ut in *Montanis Civitatibus* quævis marca puri argenti non majore pretio redimatur per Cameram, quam *octo penſis* hujusmodi *denariorum.* Ut ſic nempe in ſingulis marcis tertiam circiter argenti puri partem lucraretur Camera Regia, convertendam in novos alios pari emolumento denarios procudendos. In hoc igitur Decreto mentionem fieri duplicis marcæ, puta *montanæ* duodecim unciarum, & alterius *Budenſis*, octo unciis definitæ, commentum eſt.

teriti, tertii, & quarti Cameræ noſtræ monetis (quia ipſorum annorum præteriti, tertii, & quarti denarios in ſuo eſſe, curſu, & cambio remanere volumus) pro *groſſo*, & octo penſæ, ac ſedecim denarii pro marca pagamenti, absque aliqua augmentatione, ubique currant, & ſolvantur *a*).“

„Si

a) En leges Cambii, ſeu permutationis monetæ antiquioris cum nova pro lucro Cameræ. 1) Hæc permutatio inſtitui debebat vel per ipſum Cameræ Comitem, vel per hujus Officiales. 2) Negotio huic intereſſe oportebat quinque teſtes, unum ſcilicet ab Archiepiſcopo Strigonienſi, alterum a Magiſtro Tavernicorum, tertium a ſupremo Comite ejus Provinciæ, in qua idgenus Cambium inſtituebatur, deputatum, quartum Judicem Nobilium, quintum denique ex parte Capituli. 3) Deſtinata cambiis loca fuerunt Civitates, & liberæ villæ Regis, ac Reginæ. 4) Tempus aſſignatum, quo fora publica celebrabantur. 5) Tabulæ, in quibus eſſent novi denarii cum antiquis permutandi, debebant publice exponi. 6) Mandatum erat Regium, ut hac vice pro quatuor *latis Viennenſibus* denariis, vel etiam pro *hungaricis*, quinto abhinc anno, abolitis; nec non pro aliis antiquioribus *combuſtionem*, ſeu *ligam*, id eſt, temperaturam argenti *Viennenſem* habentibus; tres novi denarii darentur, ſive hoc ipſo anno 1342. ſive tribus præcedentibus annis procuſi, *groſſus* autem argenteus ut ſex talibus denariis permutaretur. 7) Ut eorundem novorum denariorum octo penſæ additis inſuper 16. denariis, id eſt, ut 336. denarii imputarentur in unam marcam *pagamenti*, ſeu ſolutionis, aut marcam, ut dicimus, numeralem. — *Pagamentum*, gall. *Payement*; lat. *perſolutio*, nonnunquam illo ævo maſſam quoque metalli, ad procudendos numos parati ſignificabat. Hoc ſenſu *Moſsoczius* ad hunc Decreti locum: *nunc*, inquit, *pagamentum eſt marcarum* 75. Quibus verbis marcam *pagamenti* ſane non pro eo, ac oportuit, explanavit. Notandum eſt præterea, triplicem tunc in uſu fuiſſe marcam pecuniæ ſignatæ. 1*mo* Marca erat denariorum ad *pondus Budenſe*, octo præciſe *penſarum*, id eſt, 320. denariorum. 2*do*, Marca *Numeri Budenſis*, ſive *pagamenti*, qualis hoc loco memoratur, in qua octo penſis adjiciebantur 16. denarii, quo

fieret

„ Si quis vero jam dictas monetas nostras, annorum præteriti, tertii, & quarti, & etiam hoc anno, pro earundem ampliatione in eodem valore fabricandas, in numero augmentantes reperti fuerint, tanquam mandatorum nostrorum regalium, & statuta Cameræ infringentes, in rebus, & personis, per ipsum Comitem Camerarum nostrarum puniantur, nostra authoritate mediante."

„ Item si leviores denarii istis præsentibus, præteriti, tertii, & quarti annorum Cameræ monetis, pejoris *combustionis*, plures, quam octo pensæ, & *tres, vel quatuor denarii* marcam ponderantes, *a)* apud quemcunque sive in Civitatibus, sive aliis locis, sive etiam circa Camerarios, vel suos Officiales, numerum marcarum augmentantes, ubicunque invenientur, tamquam falsarii, nostra authoritate puniantur."

„ Propter quod volumus, & committimus, ut in cunctis Civitatibus, & locis publicis statera cum suis ponderibus semper habeatur, & servetur, ad evitandum, quod mercatores, & alii forenses, aut etiam quicunque ex civibus, & hospitibus eorum juxta abusivam eorum consuetudinem, & fraudem, graviores denarios ipsius mone-

---

fieret Marca numeri 336. denariorum. *3tio* Marca *gravis ponderis*, quæ 360. denariis constabat. Valor hic erat marcæ puri *argenti*, quatuor *auri florenis*, sive totidem *ducatis hung.* æstimatæ in communi commercio.

a) Tres vel quatuor denarii isthic memorati pertinent ad *Remedium* legis. Hoc vocabulo in re monetaria intelligitur permissus auctoritate legitima modicus aliquis defectus vel excessus in *liga*, seu temperatura, & *pondere* monetæ, ex auro, aut argento signatæ, idque propter magnam difficultatem summæ in hoc negotio exactitudinis. Quapropter licet hoc Decreto dissimuletur tantillus excessus, vel defectus; statuitur tamen pœna illis, apud quos invenirentur denarii pejoris notæ, ponderisque levioris, quam vel per hujusmodi legem *Remedii* liceat,

monetæ Camerarum noſtrarum, præſentis, præteriti, & quarti, non poſſint eligere, vel diminuere per inciſiones *a*).“

„ Iſtud tamen pro multiplicatione earum monetarum Camerarum noſtrarum maxime, & ſpecialiſſime, cum ipſo Comite Camerarum noſtrarum, juxta ſuam ſpontaneam obligationem, & noſtram omnimodam intentionem, volumus, & comittimus, ut in cunctis locis Camerarum, in quibus monetæ Camerarum cudi ſolent, nunc in principio ad minus mille marcas idem Camerarius fabricari faciat, cambio exponendas, qui ſi non non fecerit, tamquam nos ſeducens, & Regnicolas noſtros decipiens, remanebit. Item ordinavimus, quod abhinc unusquisque cambſores denariorum, ut ſoliti fore dicuntur, per ſe ſervare ceſſet omnino, & deſiſtat. Si enim aliquos ex eisdem cambſoribus in detrimentum Camerarum ſervare, & habere ipſe Comes Camerarum ſciverit, in præſentia hominum Dominorum Archiepiſcopi Strigonienſis, & Magiſtri Tavernicorum noſtrorum, triumque aliorum prædictorum, & una cum eisdem invenerint, nedum ipſi cambſores, verum etiam ipſi Domini eorum, in ablatione bonorum, & rerum ipſorum punientur, & dehoneſtabuntur in perſona *b*).“

„ Item *florenus*, ſeu *aureus* denarius Cameræ, pro *nonaginta denariis integris* Cameræ noſtræ ampliandis, ſemper absque augmentatione, & refutatione ubique acceptetur, & cambiatur *c*).“

„ Item

---

a) Ad evitandas fraudes præcipitur legitimorum ponderum in Civitatibus, & locis publicis cuſtodia, uſusque.

b) Comes Camerarum jubetur providere, ut mox in principio minimum mille marcæ novorum denariorum in ſingulis locis, ubi officinæ monetales fuerunt, excudi curet. Uſus privatorum Cambſorum, ſeu trapezitarum inhibetur.

c) Valor *aurei hungarici* hac lege definitus eſt, ut ſcilicet pro 90. novis *denariis integris* ubique per Hungariam acceptetur. *Sex* hujusmodi denarii efficiebant unum *groſſum* latum Carolinum, unde ſequitur,

„Item una *marca auri*, ponderis Budensis *duodecim caratorum*, cambitur cum *septem marcis* ipsorum denariorum Cameræ, cum eodem pondere Budensi levando in statera *a*).“

„Et nullus possit cambire aurum, vel argentum cum pecunia numerata, sed debeat cambire in Camera regali pro eisdem denariis ampliandis, levando in statera. Si qui autem secus fecisse, vel facere reperti fuerint, pœna condecenti, tanquam transgressores regalis mandati, & statuta Camerarum infringentes, punientur *b*).“

„Cete-

tur, *quindecim grossos* æquivaluisse uni *floreno auri*. Verum teste Collectore Decimarum Pontificiarum, anno 1336. dabantur 18. *grossi lati* pro uno auri floreno, quod nempe paullo viliore, ac recentiores, constabant argento.

a) Auri probitas dividitur in 24. gradus, qui *Karati*, *caractiæ*, vel *ceratia* vocari solent. Itaque memorata in hac lege *Marca auri duodecim karatorum* non plus reipsa *puri auri* in se continebat, quam dimidium Marcæ, seu 4. uncias, reliquum erat argentum, vel aliud vilius metallum. Quæ cum permutata fuerit apud Cameram 7. marcis denariorum argenteorum, apparet, pro Marca *auri purissimi* datas, vel dandas fuisse 14. marcas eorundem denariorum. Non tamen hinc sequitur, rationem auri purissimi ad argentum purissimum fuisse ut 1. ad 14. nam constat ex præmissis, novos hos denarios non fuisse ex argento purissimo, verum *tertiæ combustionis* tantum, sive, ex tali argento, cui pars tertia vilioris metalli fuit permixta. Reductione igitur facta, videtur tempore Caroli Roberti circa ann. 1342. auri puri ad argentum purum fuisse ratio, fere uti 1 ad $11\frac{2}{3}$. In libello, cui titulus: *Gründliche Nachrichten von Münzwesen*, sunt sequentes pro diversis annis rationes auri ad argentum, quas P. Adauctus *Voigt* P. III. sui Operis de monetis Bohemiæ exhibet; nempe pro Anno 1252. quo Florentiæ cœperunt *aurei* procudi, erat ibidem aurum ad argentum, uti 1 ad $10\frac{17}{24}$. — — Anno 1407. sicut 1 ad $10\frac{5}{13}$. — — Anno 1409. uti 1 ad $11\frac{7}{12}$. — — Anno 1457. uti 1 ad $9\frac{1}{2}$. — — Anno 1484. uti 1 ad $11\frac{1}{2}$. — — Anno 1496. uti 1 ad $11\frac{3}{5}$. — — Anno 1524. uti 1 ad $11\frac{1}{3}$.

b) Hoc Articulo vetatur auri argentique pro pecuniis numeratis commutatio in quibuscunque aliis locis, præterquam in Cameris Regiis.

„ Ceterum ſtatuimus, ut nullus omnino hominum cum aliquibus antiquis monetis, aut auro, vel argento in ſpecie, & ſpecialiter cum *parvis*, & etiam cum *mediocribus Viennenſibus*, quorum omnimodam extirpationem volumus, & committimus, præterquam cum prædictis monetis Camerarum noſtrarum mercandi habeat facultatem; alioquin emptores, & venditores ſuas res, & bona perdent, & dehoneſtabuntur in perſonis *a*).“

„ Præterea nullus mercator extraneus, vel hujus Regni ſuperveniens, palam, vel occulte, in domibus, aut Camera ſuas res, & bona tam in pannis, quam in aliis generibus, & ſpeciei rebus, pro aliis monetis antiquis, cujuscunque formæ, auro vel argento vendere, aut commutare præſumat, ſed pro monetis Cameræ: de notitia tamen, & ad ſcitum Comitis Camerarum, aut prædictorum hominum Dominorum Archiepiſcopi, & Magiſtri Tavernicorum noſtrorum, & aliorum, dum ad locum depoſitionis ad vendendum, vel commutandum devenerit, vendendi habeat facultatem *b*).“

„ Si qui autem ſecus facientes, & exercentes, per ipſum Comitem Camerarum, vel ſuos Officiales reperti, ſeu per eosdem deprehenſi fuerint, res venditioni tam in pannis, quam in aliis rebus expoſitas, & pro venditis rebus receptas perdant, & puniantur in perſonis. Et nedum illi, qui per ſe, & ſua propria authoritate, contra ordinationem Camerarum noſtrarum & noſtram voluntatem, aurum, vel argentum in ſpecie (præterquam in aureis, aut argenteis

a) Prohibetur uſus publicus in commerciis monetarum antiquarum, ſimulque denariorum Viennenſium tam parvorum, quam mediocrium.

b) Interdicitur Mercatoribus venditio mercium pro antiquis monetis, vel pro auro, argentoque rudi, niſi id prævie conſtet Comiti Cameræ, & iis, qui in hoc negotio vices agunt Archiepiſcopi Strigon. & Magiſtri Tavernicorum.

genteis novis denariis) exportantes inventi fuerint, ablatione earundem, & dehonestatione personarum suarum puniantur *a*). "

„ Hoc tamen in præsenti Articulo specialiter expresso, quod Comites Camerarum nostrarum, sub quorum jurisdictione Montana habentur, & existunt, pro comparando plumbo, & aliis evidentibus necessariis Camerarum, & Montanarum, sine quorum copia mineræ auri, & argenti minime videntur posse procurari, ad notitiam eorundem hominum Domini Archiepiscopi, & aliorum, si tamen evidens necessitas id requirit, de auro, & argento tantum ad comparationem habeant transmittendi facultatem *b*). "

„ Item, sub cujuscunque Comitis Camerarum Comitatu, vel in Provincia, præsens nostra moneta, ex mala procuratione falsificata fuerit, & discurrere, ac abundare cœperit; ipseque Comes Camerarum eandem falsam monetam captivare, & annihilare non persuaserit; ipsi Comiti Camerarum sic imputabitur, ac si in locis Camerarum suarum ipsa falsa moneta fuisset fabricata. "

„ Si autem idem Comes Camerarum ad compescendum eosdem falsarios, de eorum malitiosis operibus, propriam alicubi non habuerit facultatem; ex tunc idem Camerarius sub testimoniis prædictorum quinque hominum, veritate de eorum falsariorum maleficiis indagata, & recepta, eosdem falsarios, nobis, & nostris Baronibus, ac Regno nominatim debeat declarare, & nos pro extirpatione eorundem solicite tenebitur incitare *c*). " §. XXIV.

---

a) Hic articulus omnem auri, argentique ex Regno evectionem prohibet, præterquam in Numis aureis, vel argenteis novis denariis.

b) Permittitur tamen Comitibus Camerarum, ut si plumbum, & alia necessaria comparari aliter nequeant, quam auro, argentove, id quoque consciis hominibus Archiepiscopi, & Magistri Tavernicorum, transmittere valeant, moderatione adhibita.

c) De pœnis falsariorum monetæ vide *Belæ IV.* Literas Diss. I. Cap. IV. § XXXV.

§. XXIV.

Decreti ejusdem pars altera.

„ Item, quia volumus, ut præfens moneta noftra, tertiæ combuftionis, amplianda, per totum Regnum noftrum immutabiliter poffit perpetuari, & abundare, & ipfi denarii Cameræ noftræ annorum præteriti, tertii, & quarti una cum eisdem novis pariter debeant difcurrere, & acceptari: ftatuentes ordinavimus, & committimus, ut in quolibet Comitatu, *de fingulis portis*, per quas currus cum fœno, vel frugibus oneratus intrare poteft, & exire, five fub eadem *porta*, feu *Curia* portam habente, tres, aut quatuor, vel etiam plures exiftant homines refidentes, five folum unus commoretur in eadem, nec in tantum egens, & pauper, ut folvendi non habeat facultatem, quod videlicet prænominati quinque homines, Archiepifcopi, & aliorum, juxta ipforum confcientiam folvere poffe cognoverint, ac Domini terræ, feu Officiales fibi folutionem facere poffe, vel non poffe juramento fuo dixerint (exceptis fervis, & conditionariis noftrorum regalium, & reginalium, Ecclefiarum, & aliorum quorumlibet, nec non exercituantibus, fervientibus Dominorum terræ, quos ipfi juramento ipforum exceperint, & iidem quinque homines, fcilicet Domini Archiepifcopi, & aliorum, fore exercituantes inveftigando fciverint, & etiam exceptis Ecclefiis, Civitatibus, vel aliis, evidenti privilegiatica libertate fultis) facta dicatione, infra quintum decimum diem, *decem & octo denarios* prædictæ Cameræ noftræ, pro lucro Cameræ ipfi Comiti Camerarum dare, & folvere teneantur *a*). "

„ Tali

---

a) Hoc Decreti Articulo conftitum fuit, ut a qualibet *porta*, five Curia (hodie *feffionem* vocamus) 18. denarii, five tres groffi lati, contribuerentur pro lucro Cameræ, idque propter cufionem novæ monetæ, veteri abolita. Ab hac tamen contributione excipiebantur primum, qui

„ Tali tamen expreſſione mediante, quod ubi, & in quibus Comitatibus, aut Regni noſtri partibus, portæ ex conſuetudine non habentur, tum etiam propter defectum lignorum fieri non potuerunt, inibi & ipſi tales prædictum lucrum Cameræ, ſecundum quod aliis temporibus, juxta tamen diſpoſitionem, & conſcientioſam ordinationem prædictorum quinque hominum ſolvere tenebuntur. “

„ Civitates autem, & alii Regnicolæ noſtri, prætactam evidentem libertatem habentes, a ſolutione lucri Cameræ taliter ſint exempti; ſi tamen ipſas monetas Cameræ noſtræ in tenutis ipſorum, & inter eos, ac Jobbagiones eorumdem acceptari faciendo, continuum curſum, & cambium eorundem voluerint facere, & exercere: ſin autem; non per nos, ſed per ſeipſos, libertates eorum infringentur; & ſic ad ſolutionem ejusdem lucri Cameræ, ſicut alii Regnicolæ noſtri, ſic & ipſi (dummodo hoc, ut ipſa moneta noſtra per eos non fuerit acceptata, nec inter eos, & ad eos pertinentes, cambiri curata fuerit, ad relationem quinque hominum prædictorum, videlicet Archiepiſcopi, Magiſtri Tavernicorum, ac Comitis Parochialis, unius Judicis Nobilium, & alicujus Capituli, nobis pateat evidenter) tenebuntur. “

„ Ita tamen, quod quivis Camerariorum ad ſingulos Comitatus ſuæ Cameræ, ſufficientes denarios Cameræ noſtræ, pro multiplicatione dictorum modernorum denariorum noſtrorum, ad ſcitum, & notitiam eorundem quinque hominum in tanta abundantia, quod

qui ob nimiam egeſtatem non erant ſolvendo, deinde ſervi omnes, & milites, item Eccleſiæ omnes, nec non Civitates, & perſonæ, ac loca privilegiata. Ceterum Civitatibus Regiis, aliisque locis, ac perſonis privilegiatis incumbebat onus, novas monetas præſcripta *Cambii*, ſeu permutationis, lege acceptandi, hisque ſolummodo utendi, uti paullo infra dicetur.

ipſe Comitatus de ipſa contentetur, dare debeant cambio exponendos. Qui ſi non facerent, aut ipſos noſtros denarios in tam larga copia cambio exponere non curarent; illic, & in illis Comitatibus, jura ſua perdendo, nec *dicam* faciendi, nec *lucrum Cameræ* exigendi habeant facultatem *a*). "

„ Solventibus autem in quibuslibet Comitatibus unus locus communis, & conveniens pro dicta ſolutione deputetur. Et, ſi qui præſentes præ multitudine ſolventium, aut aliquo alio impedimento præpediti, die aſſignato ſolvere non poſſent, absque aliquo gravamine, quatuor diebus continuis expectentur, nec infra ipſos quatuor dies integros, ſi ſolutionem fecerint, poſſint aggravari. "

„ Hoc expreſſo, quod iidem Comites Camerarum noſtrarum, ipſum lucrum Cameræ, ratione Cambii ſignanter impoſitum, non aliter, videlicet *Viennenſibus*, aut aliquibus antiquis denariis, vel groſſis, per formam compoſitionis, aut alicujus alterius coloris cautela, niſi cum ipſis denariis Cameræ noſtræ ampliandis, exigere tenebuntur; & quod univerſos denarios antiquos, aut *Viennenſes* groſſos, tam *Boëmiales*, quam *Pachienſes*, & alios cujuscunque formæ exiſtant (exceptis ſolummodo præſentibus denariis Cameræ noſtræ, perpetuo currere ſtatutis) comburere, & infundere, ac in formam modernorum denariorum noſtrorum redigi facere, pro multiplicatione eorundem, teneantur: conditione tali, quod, ſi qui facta dica-

a) *Dica* Jurisconſultis eſt judicium, actio, libellus actionem continens, alias vero ſignificat *exactionem publicam*, uti in hoc articulo. Item *Dica* ſolet accipi pro *taleola*, Gallis *Taille*, Hungaris *Rovás*, in qua rerum numerus annotatur; qui apud veteres Hungaros bacillis incidebatur. *Thuroczius* P. I. Chron. Hung. Cap. XXIV. de Siculis: *Hi nondum Scythicis literis obliti, eisdem non encauſti, & papyri miniſterio, ſed in baculorum excifionis artificio, Dicarum ad inſtar, utuntur.*

dicatione, in termino assignato, lucrum Cameræ non persolverit, tunc iidem quinque homines ad possessionem, de qua ipsum lucrum Cameræ non est persolutum, accedant, & tamdiu moram ibi facient (absque destructione, & spoliatione possessionaria) in expensa moderata ejusdem possessionis, donec ipsum lucrum Cameræ, *cum judicio trium marcarum*, persolvatur *a*).“

„Si vero populi, vel Domini villarum, non solventium lucrum Cameræ prænotatum, præterito termino solutionis, dictis hominibus, in Officio Cameræ procedentibus, cum pecunia debita, & judicio jam ordinato, extra villam placatum obviarent, extunc ipsi executores negotiorum Cameræ, in talibus villis descensum facere nequeant aliqualem.“

„Comites autem Parochiales, & judices Nobilium, favore, vel pretio corruptos, justitiam Cameræ celantes, & homines de dicta solutione defendentes, vel quoquo modo contra nostram ordinationem procedentes (dummodo contra ipsos evidenter hoc possit comprobari) pœnis non solventium decrevimus puniendos.“

„Et quia promisimus seriem omnium præmissorum inviolabiliter observare, volumus, ut idem Comes Camerarum nostrarum immutabiliter in præmissis perseveret. E converso autem, *b*) remedio

a) Existimat Math. *Belius* T. IV. Not. Hung. p. 184. grossos *Pachienses*, qui in hoc Decreti Articulo memorantur, dictos pro *Péchiensibus*, id est, *Quinque Ecclesiensibus*. Mallem *Bachienses*, seu *Bachienses* intelligere, nisi verisimilius appareret, *Pachienses* grossos, denariosque monetam quamdam non Hungaricam, sed exteram fuisse, perinde ac *Viennenses*, & *Boëmiales*, seu Bohemicos, qui eodem sunt in contextu. Accedit & hæc animadversio, quod in aliis ejusdem ævi documentis denarii quidem communes, & banales inveniantur scripti diserte *de Quinque Ecclesiis*, vel *Quinque Ecclesienses*, nunquam vero Pachienses, aut *Péchienses*.

b) Sensus requirit, ut hoc loco post *autem* sequatur particula *ne*, quæ per librarii incuriam omissa esse videtur.

medio aliquarum literarum post emanationem præsentium confectarum, aut acquisita aliqua astutia, quicquam immutare queat de singulis præmissorum. Quia si quis contra hoc facere ex ipsis Comitibus Camerarum attentaret, dictos quinque homines, sine quorum juvamine lucrum Cameræ exigendi nolumus habere facultatem, a societate ipsorum, authoritate præsentium jubemus separari. Nam hanc *Dicam* non exactione antiquarum monetarum, aut *Viennensium*, sed pro ampliatione monetarum, Cameræ nostræ perpetuo discurrere in in toto Regno nostro ordinatarum, duximus ordinandam."

„ Item volumus, quod dictus Comes Cameræ nostræ, absque prædictis quinque hominibus in negotio Cameræ in exterioribus, seu extraneis, videlicet in Comitatibus, fiendis, & peragendis, utpote in dicationibus, & executionibus lucri Cameræ, nihil possint exercere. Si vero ausu temerario contra hoc procederent, & in hoc malum aliquod paterentur, merito patientur, & sustinebunt."

„ Igitur, si Comiti Cameræ, aut suis sequacibus, ac cum eo procedentibus violentiam cuipiam inferrent manifeste, tales secundum qualitatem, & quantitatem delicti punientur."

„ Civitatenses vero sub Comitatu, & jurisdictione eorundem Comitatuum Cameræ existentes, juxta præsentem taxationem nostram, & Baronum nostrorum, certam Summam pecuniæ de prædictis monetis Cameræ ampliandis, similiter infra prætactum temporis spatium pro argento cambire, vel *finationem* evidentem monetæ campsæ, in eisdem denariis Cameræ ampliandis dare, & solvere teneantur: videlicet Civitas *Trenchiniensis* decem marcas: item Civitas *de Bach*, *a*) triginta quinque marcas: item *Korponia* similiter triginta quinque

a) Civitas *de Bách* simili forsan errore pro *Báth*, oppido perantiquo Comitatus Hontensis. Nam *Bách*, seu *Báts* præcipuum Comitatus *Bacsiensis* oppidum non pertinebat ad jurisdictionem Cameræ *Cremnicensis*, uti ex Decreti hujus exordio colligere licet.

quinque marcas: item Civitas *Barfienfis* quindecim marcas: item Civitas de *Tirnavia* centum marcas, & Civitas *de Tapolchan* viginti marcas, modo prædicto cambire teneantur. Ita tamen, quod aut ipfi Civitatenfes, receptis ipfis quantitatibus pecuniæ, novæ monetæ Cameræ, pro qualibet marca octo marcas in ftatera ponderante unam marcam *fini argenti*, vel folum nihil recipiendo, *combuftionem*, feu *finationem* fingularum marcarum ipfius monetæ, videlicet de fingulis marcis fuper ipfos impofitis, fingulas quatuor penfas prædictarum monetarum, quarum octo penfæ marcam ponderant, dare debeant *a*)."

„Si

a) In hoc Articulo nominantur fex tantum liberæ Civitates, in quibus Comiti Cameræ Cremnicenfis licebat *cambium* publicum præfcripto modo exigere. Aliæ Civitates Regni Hungariæ aliis Comitibus Camerarum hunc in finem fuerunt affignatæ. Exigebatur vero a fingulis Civitatibus determinatus quidam numerus marcarum *puri argenti* pro totidem marcis novorum denariorum, ex argento *tertiæ combuftionis*, five tali, quod una tertia fui parte vilius metallum continebat, fignatorum. Liberum tamen fuit Civitatibus hoc permutationis onus redimere perfolvendo ad Cameram tot dimidias marcas denariorum eorundem, quot integras marcas *puri argenti cambire*, feu permutare pro integris marcis fimilium denariorum debuiffent. Atque hoc erat *combuftionem*, feu *finationem* fingularum marcarum ipfis impofitarum folvere, five, uti eft in hac lege, *de fingulis marcis fuper ipfos impofitis fingulas quatuor penfas prædictarum monetarum, quarum octo penfæ marcam ponderant, dare.* Nempe Camera regia in fingulis marcis puri argenti, cambio feu permutatione denariorum novorum aquifitis, lucrari folebat quatuor penfas denariorum. Nam, ut præcedente §pho dictum eft, ex qualibet marca puri argenti, in igne refoluta, & cum media marca cupri permixta procudere folebat duodecim penfas, id eft, mediam fecundam marcam denariorum novæ monetæ regiæ. Hoc ergo lucrum ex tali proveniens *liga*, feu temperamento argenti fignati perfolvendum erat a Civitatibus, quæ non volebant, vel non poterant demandatas *argenti puri* marcas cum totidem marcis denariorum hujusmodi cambire, ac permutare.

„ Si quæ autem Civitatum negligens fuerit in solvendo, prædicti executores negotiorum Cameræ in medio talis Civitatis tamdiu permanebunt, quousque cum gravamine duodecim marcarum solutionem faciet prænotatam; in expensa tamen ejusdem Civitatis moderata, ut superius est expressum.“

„ Eo etiam declarato, quod quilibet *Nobilis*, super solutione lucri Cameræ *literas expeditorias* a Comite Cameræ pro uno *grosso* redimere, licet plures habeat possessiones, teneatur *a*).“

„ Item statuimus, ut in quibuslibet solitis locis, in Civitatibus debeat fieri *domus regalis*, ad quam omnes homines aurum, & argentum, ad vendendum, comburendum, & cambiendum deferre teneantur: vel si palam, vel occulte alias comburere, vendere, vel commutare præsumpserint, & in hoc comperti fuerint; per eundem Comitem Camerarum omnia bona sua, præsentibus supra dictis testimoniis, auferantur, & insuper ut *infideles* puniantur.“

„ Volumus etiam, ut nullus alias, præterquam in Camera regia, aurum, quot *Karatorum* existat? probare debeat; sed Camerarius debeat examinare in domo regia, & ponere *Karatos* super aurum, & signum nostrum regium, & sic ad Cameram aurum deferatur. Contra hoc autem præsumentes, per eundem Comitem Camerarum prædicta pœna jussimus puniendos *b*).“

„ Ceterum

---

a) *Literæ expeditoriæ* hoc loco significant apocham, vulgo *quietantiam*.

b) Legitima igitur probatio auri peragi debebat in Camera Regia. Ibi Camerarius per suos Zygostatas explorabat, quotnam *Karatorum* esset aurum ipsi præsentatum. Ejusdem quoque muneris erat, imprimere auro numerum Karatorum, signumque regium. Vocabulum barbarum *Karat* ortum est ex *Ceratio*, quo intelligebatur Sæculo IV. ac deinceps Numus argenteus, qui unius *Solidi aurei* partem vicesimam quartam valebat. Quemadmodum igitur *Solidus aureus* dividebatur in 24. *ceratia*, sic *auri* quoque *puritas* postmodum in totidem gradus, qui & ipsi

„ Ceterum ſtatuimus, ut nullus mercator, aut quilibet ultra duas marcas denariorum ad Montana ſecum deferre præſumat pro expenſis. Si autem idem Comes Camerarum, vel ſui Officiales apud tales ultra duas marcas repererint in denariis, auferant bona ſua univerſa, & puniant eos in perſona, præſentibus teſtimoniis ſupra dictis. "

§. XXV.

Pars tertia ejusdem Decreti.

„ Et ut Camerariorum noſtrorum juſtitia appareat in denariis fabricandis, ſtatuimus, ut quilibet eorum, in ipſorum monetis ſignum habeat, per quod moneta per ipſum fabricata cognoſcatur *a*). "

„ Ceterum volumus, ut ipſe Comes Camerarum monetarios, ſeu cuſores denariorum, ubicunque in Civitatibus, aut villis invenire poterit, & eosdem captivare voluerit, tunc Judex, Jurati, & univerſitas Civitatis, vel villæ, in qua reperti fuerint, ad requiſitionem ejusdem Comitis Cameræ, vel ejus Officialium, ipſos monetarios captivare, & ad manus Comitis Camerarum teneantur aſſignare. Secus autem ſi qui fecerint, eadem pœna, qua monetarii contumaces ſunt plectendi, puniantur. "

„ Idem ipſe Comes Camerarum noſtrarum in Civitatibus noſtris, ubi monetæ noſtræ fabricantur, debet habere duo ſcrinia, in quorum uno *ferramenta formalia*, *b*) ſub ſigillis hominum Domini Archi-

& ipſi *Ceratia*, ſerius *Caractæ*, dein *Karati* vocabantur, diſtingui cœpit. Accipitur *Karatus* etiam pro pondere auri. Marca enim *auri* dividitur in octo uncias, uncia in tres Karatos, Karatus vero in duodecim grana.

a) Legem hanc diu obſervatam fuiſſe, oſtendunt ſuperſtites ex illa periodo Numi.

b) *Ferramenta formalia*, id eſt Typaria, vel Marculos ſignatorios.

Archiepiſcopi, & Magiſtri Tavernicorum conſerventur; in altero vero virgulæ pro monetis fuſæ, absque monetis novis, ſub ſigillis tribus, & clavibus tribus eorundem trium hominum, videlicet Domini Archiepiſcopi, & Magiſtri Tavernicorum, ac ejusdem Camerarii, debeant conſervari; & ſemper in præſentia ipſorum hominum, Domini Archiepiſcopi, ac Magiſtri Tavernicorum aperiantur, nec poſſint aliquo ipſorum abſente aperiri, vel opera monetarum exerceri."

„Ita, quod ſi idem Comes Camerarum noſtrarum ipſis duobus teſtibus abſentibus, vel aliquo ipſorum abſente, fractis lancibus, & ſigillis, monetas faceret fabricari, per ipſum Magiſtrum Tavernicorum tamquam falſarius puniatur; dummodo hoc iidem homines, Domini Archiepiſcopi, & Magiſtri Tavernicorum fateantur."

„Specialiter dum funditur argentum, omnes perſonaliter intereſſe debeant. Et ſingulis ſeptimanis ipſos novos denarios noſtros ipſi homines Domini Archiepiſcopi, & Magiſtri Tavernicorum *in combuſtione quadraginta eorundem denariorum novorum* debeant examinare, & ſic iidem novi denarii cambio exponentur *a*)."

„Item cuſores denariorum, & fabricatores in iisdem Civitatibus noſtris commorantes, ne ipſe Comes Camerarum noſtrarum pro falſis monetis inculpetur, ſub poteſtate, & jurisdictione ejusdem remanebunt. Ceterum antiqua libertate Camerarum noſtrarum requirente, ſtatuimus, ut omnes Servientes, Officiales, ac Monetarios ipſe Comes Cameræ noſtræ, & non alter debeat judicare. Et, ſi ipſe

a) Ne forte Comes Cameræ, cui fuit elocata cuſio monetæ, deteriores cudi faceret denarios, quam lex admittebat, idcirco quavis hebdomada debebant Archiepiſcopus Strigonienſis, & Magiſter Tavernicorum per ſuos homines explorare bonitatem denariorum, reſolvendo in igne unam penſam, ſive quadraginta denarios, & ſic obſervando, quantum iis ineſſet cupri.

ipse ex parte suorum justitiam dare neglexerit, Magister Tavernicorum nostrorum prædictus justitiam facere teneatur, quibuscunque querulantibus de eisdem. "

„ Item pro ampliatione earundem monetarum Cameræ nostræ statuimus, ut universi Ecclesiarum Prælati decimas, & debita, ac quosvis reditus, ac etiam cuncti Regni nostri Barones, & Nobiles, aliique cujusvis status homines, ipsorum proventus universos, scilicet tributa, terragia, & quasvis collectas, a quibuscunque eorum debitoribus, & Jobbagionibus, tributariis, & Officialibus, cum ipsis monetis Cameræ nostræ, aut florenis, recipere, & exigi facere teneantur. Dummodo ipsi denarii Cameræ nostræ in tanta copia cudantur, ut omnes debitores sua debita cum ipsis denariis Cameræ nostræ persolvendi habeant facultatem. Nos autem promittentes assumpsimus universas nostras collectas regales, & reginales, per totum Regnum nostrum, specialiter tributa nostra, & tricesimas nostras, exigi facere, & recipere cum eisdem. "

„ Item, si qui contra ipsum Comitem Camerarum nostrastrum, ratione injuriarum, seu damnorum, aut nocumentorum, personis Camerariorum nostrorum, in Officio procedentibus illatarum, ad nostram, vel Magistri Tavernicorum præsentiam citati fuerint, in primo termino, absque ulteriore dilatione, dante justitia, ipsa causa finaliter debeat terminari. Quicunque autem Comitem Cameræ nostræ prædictum ordine judiciario in causam attraxerit, præfatus Magister Tavernicorum nostrorum ex parte ejusdem justitiam faciat nostra authoritate mediante. "

„ Hoc etiam ordinavimus, ut de quibuslibet rebus, & bonis ipsarum Camerarum nostrarum, ubicunque in terra, & in aquis, per earundem Officiales deferendis nullum tributum exigatur. "

„ Præterea, de qualibet marca *unum pondus* ad rationem denariorum, ratione conservationis ferramentorum, homini ejusdem

Domini Archiepiſcopi, omni die operis, & *dimidius ferto* homini ipſi Magiſtri Tavernicorum, præter Summam conventionis noſtræ regalis, perſolvatur. Si vero ipſe Comes Cameræ noſtræ quolibet die operis de ſingulis marcis cuſis ſingula pondera denariorum, & dictos dimidios fertones præmiſſo modo perſolvere recuſaverit, vel dilationem facere vellet, homines ipſius Domini Archiepiſcopi, & Magiſtri Tavernicorum *ferramenta formalia* includendi habeant facultatem *a*). "

„ Item, Aulæ noſtræ Vice-Cancellario idem Comes Cameræ noſtræ proventus ab antiquo conſuetos, videlicet *triginta marcas* in terminis ſolutionis ſubſcriptarum (ſalvis proventibus Notariorum remanentibus) plane dare, & ſolvere teneatur *b*). Hoc etiam adjecto, quod injurias, & damna Officialium Camerarum, per quospiam irrogata, præfatus Magiſter Tavernicorum proſequatur, & emendet. De falſariis autem, & eorum fautoribus antiquam Regni noſtri conſuetudinem volumus obſervari *c*). "

„ Item ſtatuimus, ut Comites parochiales quorumlibet Comitatuum non plus, quam *tres marchas*, *octo penſarum novæ monetæ noſtræ* a Comitibus Camerarum noſtrarum petere, vel recipere ratione fororum præſumant *d*). Nobiles autem, & cujusvis alterius ſtatus

a) Unum *pondus* fuiſſe unum *groſſum* ſex denariorum, *dimidium* vero *fertonem* ſignificaſſe *medium florenum* paullo infra in eodem Decreto exponitur.

b) Antiqui proventus Vice-Cancellarii Aulæ Regiæ fuerunt ex Camera Regia 30. marcæ per annum, id eſt, 120. fl. auri.

c) Antiqua Regni conſuetudine falſarii monetæ, horumque fautores notam infidelitatis incurrebant, omnibusque bonis fuerunt ſpoliati. Vid. Diſſ. I. Cap. IV. §. XXXV.

d) Non ſine cauſa hoc loco additur, cujusnam generis tres *marcas* Comites parochiales tempore Cambiorum a Comitibus Camerarum exigere

ſtatus homines, fora habentes, prætextu fororum ipſorum ab eisdem Camerariis quicquam petere, vel recipere non præſumant.“

„Volumus etiam, ut tam Magiſtri Tavernicorum ſuos *dimidios florenos*, quam Dominus Archiepiſcopus ſua *pondera* quibuspiam vendere non poſſint, & locare. Quod ſi fecerint, his juribus ipſorum priventur *a*).“

„Præ-

gere poſſint, nempe *octo tantum penſarum* ſingulas, adeoque non plures quam 320. denarios pro ſingulis marcis. Erant enim eodem tempore etiam alia *marcarum* genera in uſu præter marcam hanc ponderis Budenſis, nempe *Marca* quædam *Numeralis* 336. denariorum, & alia *gravis ponderis* Marca denariorum 360. de quibus jam ſupra meminimus. Idem vero intelligendum eſt de triplici genere *Fertonum*, ſeu *florenorum*. Hinc profluxit florenorum inæqualitas, quam poſtea Rex Sigismundus, ut infra dicetur, vetuit.

a) Qui paullo antea *dimidii Fertones* dicti ſunt, nunc *dimidii floreni* appellantur. *Pondera*, quæ hic nominantur, iterum non aliud quam *groſſi* ſunt, qui ex monetarum *argentearum* cuſione Archiepiſcopo Strigonienſi obveniebant. Poſteriora Regum Decreta homines illos, qui pro Archiepiſcopo Strigonienſi apud Cameras Regias fuſioni auri, argentique, & monetarum cuſioni adeſſe, & ne dolus interveniret, attendere debebant, vocantur *Piſetarii*, proventusque huic officio adſignati veniunt nomine *Piſeti*, de quo Cardinalis Petrus *de Pazman*, Strigonienſis Sæculo XVII. Archiepiſcopus, in Adpendice III. ad Acta Synodi Strigon. §. III. p. 154. ubi de Privilegiis, & reditibus Archiepiſcopalibus agit, hunc in modum ſcribit: „In Cameris omnibus totius Coronæ, in locis item, quibus pecunia cudebatur, ex qualibet marca auri, & argenti cuſi, vel non cuſi, *Piſetum* unum, vulgo *Nehezék*, hoc eſt, tertia pars *unciæ* (reſcribendum ibi *ſemunciæ*) ſeu *quadrageſima octava pars unius Marcæ* Archiepiſcopo Strigonienſi data fuit.“ Et provocat ad Regia Diplomata Tabularii Strigonienſis *Capſa A. n.* 2. & 20. *Capſa B. n.* 2. 4. 57. *Capſa I. num.* 1. Egit Pazmanus de recuperando jure *Piſeti*, cauſamque lucratus, Summam

quinque

„ Præterea idem Archiepiſcopus, & Magiſter Tavernicorum, tales homines in proſequendis negotiorum Cameræ transmittant, qui poſſeſſiones habeant, et, ſi demerita ipſorum requirerent, *pendere habeant a*). Item Comites Camerarum noſtrarum, qui anno ſequenti Cameras noſtras conducere voluerint, in die *ſtrenarum* venturo, de prædictis debitis ipſorum rationem nobis perſonaliter reddendo, conducant *b*)."

„ Item, quia ſuperius tetigimus, ut præfati quinque homines, executores negotiorum Cameræ ſuper Civitates, huic noſtræ ordinationi rebellantes, lucrum Cameræ, in expenſa modica commorando, cum ſubſidio Judicum, & Juratorum earundem Civitatum plene exigere, cum gravamine judicii duodecim marcarum, & eisdem Comitibus Camerarum noſtrarum plenarie perſolvi facere teneantur; ideo volumus, ut, ſi ipſi Judices, & Jurati præſenti noſtro mandato obedire recuſarent, extunc ipſum lucrum Cameræ non ſolutum plene, & dictum judicium marcarum, cum duplo perſolvere teneantur *c*)."

„ Expe-

quinque millium florenorum, quotannis e *Piſeto* redeuntem, aſſignavit fundato a ſe Convictui juvenum Nobilium Tirnavienſi, cui fundationi poſtmodum Auguſta MARIA THERESIA alios annuos bis mille florenos ex regiis proventibus benigne adjecit, teſte Articulo XLIII. Decreti Anni 1741.

a) Id eſt: ut ſolvendo ſint, ſi forte munere ſuo male functi ad id condemnarentur.

b) Dies *Strenarum* erat 1*ma* Januarii. *Strenæ* vocabantur munuſcula, pro *Novo anno* dari ſolita.

c) Præſcribitur modus cogendi Civitates vel ad faciendum cambium, vel ad ſolvendam hujus loco definitam pecuniæ Summam exactoribus lucri Cameræ. Quæ enim Civitates id præſtare detrectabant, mulctabantur *duodecim marcis*, præter alia incommoda, quæ idcirco tolerare debebant. Quod ſi autem ipſi adeo Judices, & Jurati Civitatum obtemperare

„ Exprimentes etiam, quod, quicunque res, & bona, ratione non obſervationis aliquorum articulorum præmiſſorum, & transgreſſionis mandati noſtri regalis, ſeu violationis ſtatuti Cameræ, a quibuscunque perſonis hominum, & in quibuscunque locis auferentur, in tres partes debeant dividi coæqualiter, quarum duæ partes ipſi Comiti Camerarum, tertia vero in manus prædictorum hominum, Domini Archiepiſcopi, & Magiſtri Tavernicorum, debeant provenire. "

„ Item, de quibuslibet marcis, pro lucro Cameræ *dicatis*, & exactis, *unum groſſum*, ſeu *unum pondus*, homini Domini Archiepiſcopi, alium vero *groſſum*, ſeu *pondus*, homini Magiſtri Tavernicorum dare, & ſolvere tenebitur Comes Camerarum prædictarum *a*). "

„ Iſtud tamen expreſſe volumus, quod, ſi ipſe Comes Camerarum noſtrarum ipſam monetam Cameræ noſtræ in locis ſolitis Cameræ, cudendo abundanter fabricari non fecerit, & ipſe ſolum ad *Dicam*, & exactionem, lucrum ejusdem Cameræ ſe diſſimulando commiſerit, extunc ipſe talis, tamquam nos ſeducens, & Regni noſtri deceptor, ſeu mendax, contra noſtram Majeſtatem convincetur. "

„ Ut autem idem Comes Cameræ memoratam Summam pecuniæ *octingentarum Marcarum* nobis facilius ſolvere poſſit, ordinantes decrevimus, ut in Octavis Feſti Nativitatis Beati Joannis Baptiſtæ ducentas marcas; item in Octavis Nativitatis Beatæ Virginis iterum ducentas marcas; & modo ſimili ducentas marcas in Octavis Beati Martini Confeſſoris; reſiduas vero ducentas marcas in Octavis diei

perare Regio huic mandato recuſarent, ſequebatur pœna *dupli*, ſive mulcta *viginti quatuor marcarum*.

a) En *ponderis* vocabulum hoc loco reſtrictum ad ſignificandum *groſſum*, ſive Numum, *ſex denariis integris* tunc æquivalentem.

diei *Strenarum*, ultimam ſolutionem faciendo, in terminis ſeſe invicem ſubſequentibus nunc venturis, hic in *Wiſſegrad*, cum monetis prænotatis, modo præmiſſo, nobis tenebitur. Pœnam dupli incurret, ſi aliquem terminum præmiſſorum omiſerit inſolutum. Datum in *Wiſſegrad* in Feſto Purificationis Virginis Glorioſæ, Anno ſupra dicto, videlicet Milleſimo, Trecenteſimo, Quadrageſimo ſecundo *a*).“

Sunt, qui exiſtiment, hoc primum Decreto rem monetariam Hungariæ per *Carolum Robertum* fuiſſe inſtauratam: ſed veriſimilius eſt, id jam *quarto* abhinc *anno*, videlicet 1338. contigiſſe; nec enim vi præſentis Decreti de Anno 1342. nova quæpiam lex condita fuit pro denariorum cuſione, aut novus quidam, ut dici amat, *pes monetarius* conſtitutus, ſed priorum dumtaxat quatuor annorum ſtabilitus, uti patet ex continua repetitione præcepti, Comiti Cameræ Cremnicienſis dati, de procudendis denariis ad modum, formam, valoremque denariorum illorum, qui annis, præterito, tertio, & quarto fuerunt procuſi. Priora Caroli Edicta indubie continuerint leges non modo cuſionis *denariorum*, verum etiam groſſorum *argenteorum*, immo & *auri florenorum*. Sed hæc ad noſtram ætatem non pervenere, aut ignota deliteſcunt in Tabulariis. Itaque, quantum in *denariis* valuerint *groſſi*, vel *floreni auri*, id quidem e ſuperſtite, quod nunc integum recitavimus, Decreto Regio facile intelligimus, verum quantæ *puritatis* præſcriptum fuerit ſive argentum pro *groſſis*, ſive aurum pro *florenis*; & quotnam ex una marca *groſſi*, aut *aurei* debuerint eo tempore ſignari, id quidem nullo præſentis Decreti Articulo exponitur. Quo magis proinde mirari ſubit, quinam doctiſſimo Auctori Diſſertationis *de Numiſmatica Hungariæ*, *Diplomaticæ accomodata*, in mentem venire potuerit, ut p. 55. de *Groſſis Caroli*

b) Huic Decreto Rex Carolus Robertus non diu ſupervixit; eodem enim anno 1342. die 16. Julii extinctus fuit.

roli Roberti hæc ſcriberet: *Statutum eſt ibidem, ut argentum Groſſorum purum ſit, & ponderet* $\frac{1}{8}$ *lot, atque talium Groſſorum 8. penſæ, ſeu 16. lotones valeant unam Marcam Budenſem; ex quo apparet, quod 1. penſa æqualis ſit 16. Groſſis, & 8. penſæ, hoc eſt 1. Marca valeat 128. groſſos. Hinc ſi quando penſa groſſorum memoratur, certe pro 16. groſſis accipienda eſt, ſive* $\frac{1}{8}$ *Marcæ. Si vero penſa denariorum occurrat? intelligendi ſunt 96. denarii. Quod ſi ita eſt, neceſſe fuit Marcam valere denarios 768.* Atqui paullo ante, omnia Decreti Carolini verba recitavimus, nec tamen uspiam talem de cuſione groſſorum doctrinam obſervavimus. Sed neque ullo alio documento probari poteſt, cuſos fuiſſe a Carolo Roberto *Groſſos* ex argento *puro*, ſine omni æris admixtione, & quidem ex *lotone*, ſive ſemuncia *octo*, adeoque ex duobus lotonibus, id eſt, ex una *penſa*, ſive uncia *ſedecim*, quodque hinc ſequeretur, ex marca una 128. groſſos. Certe omnes *Carolini groſſi*, quorum fit mentio ſeu in Decreto hujus Regis, ſeu in Codice MS. Rationum Decimæ Pontificiæ, longe majoris erant ponderis, quia multo pauciores numero unam marcam efficiebant, nempe 48, vel 56, vel 60, vel 62, ſummum 64. Quid jam dicam de Marca denariorum 768? Recolat Lector, quæ in præcedentibus ad laudatum Caroli Decretum Notis de triplici Marca denariorum in medium allata ſunt.

CAPUT QUINTUM.

De ratione rei Monetalis Hungaricæ ſub LVDOVICO I. hujusque Succeſſoribus ab Anno 1342. ad 1456.

§. XXVI.

Sub LVDOVICO I. ab Anno 1342. *ad* 1382.

Dictum eſt in animadverſionibus ad Numos *pro Sclavonia* ſub Rege *Carolo Roberto* cuſos, *Banis*, ſeu *Ducibus* Sclavoniæ collatam fuiſſe Cameram, jusque ſignandi monetas e præſcripto Regum Hungariæ, ibidemque facta fuit mentio Literarum *Nicolai* Bani, anno 1344. adeoque regnante *Ludovico I.* datarum, quibus ille Cameram ſuam alteri elocavit. Iſtud igitur documentum hoc loco in medium affero, quod ſic habet: *a*)

„ Nos Nicolaus Banus totius Sclavoniæ, memoriæ commendamus tenore præſentium — — quibus expedit univerſis. Quod nos conſiderantes — — devotionis ſinceræ, item & fidelitatis conſtantiam Jacobi filii Ulfardi, civis de Civitate Grecen. *b*) quibus nobis ſtuduit complacere, de conſenſu, & deliberatione univerſorum Nobilium Regni Sclavoniæ, nobiſcum exiſtentium, *Cameram noſtram* per totam Sclavoniam cum omni plenitudine juris, & lucro ejusdem ad honorem Banatus ſpectantibus, a feſto S. Martini Confeſſoris incipiens usque ad revolutionem ejusdem, *pro trecentis marcis denariorum novorum monetæ noſtræ* anno in præſente *cum quinque penſis*

---

a) Autographum exſtat in Tabulario Cameræ Regiæ.

b) *Civis de Civitate Græcenſi.* Dubito ſitne hoc loco *Græcium* Styriæ intelligendum, an potius *Zagrabia*, cujus Civitatis pars, monti impoſita, vocabatur Civitas *de monte Græcenſi.*

penſis computatis — — nobis perſolvendis, eidem Jacobo — — duximus collocandam, cet. Datum Zagrabiæ in feſto S. Martini Confeſſoris, Anno Domini MCCCXLIV."

Eo tempore in Sclavonia *pro lucro Cameræ* exigebantur *ſeptem denarii banales*, pro *Marturina* vero *contributione* ſimiles duodecim denarii, uti ex *Relatoriis*, ad eundem Nicolaum, totius Sclavoniæ Banum, anno 1349. datis, conſtat *a*). Articulo XII. Decreti *Ludovici I.* Nobiles Sclavoniæ ſolummodo ad lucrum Cameræ perſolvendum adſtringebantur, a *marturina* Collecta, vulgo *Bansul mora*, *b*) aliisque contributionibus immunes. At vero in Hungaria etiamnum titulo *lucri Cameræ* pendebantur a qualibet porta, id eſt, de quolibet integro Curiæ fundo, *denarii octodecim*, ſeu *tres groſſi*. Nam *Ludovicus I.* Patris ſui hac de re conſtitutionem confirmavit, teſte Articulo Decreti de anno 1351. qui hujus eſt tenoris: „Lucrum Cameræ, prout tempore Inclyti Principis Domini *Caroli*, olim Regis Ungariæ, Genitoris chariſſimi, piæ memoriæ, de quolibet integro fundo Curiæ *tres groſſi* ſolvebantur, ſic & nunc cum *tribus groſſis*, in noſtra Camera cudendis (quorum groſſorum unus *ſex denarios* Cameræ noſtræ, in valore, & quantitate *latorum Viennenſium*, valeat, & *ipſorum groſſorum quatuordecim unum fertonem faciant*) perſolvatur." In antiquioribus hujus Decreti editionibus legitur hoc loco: *unum florenum faciunt*. Quapropter quidam exiſtimant, *florenum auri*, qui ſub Carolo Roberto 90. denariorum fuit, reductum fuiſſe ad

 valo-

a) Vid. Kercselich Not. prælim. p. 241.

b) *Mosoczius* in Not. ad Artic. 12. Decreti Ludovici I. *Marturinas*, *Bansul mora*, Illyrice dictas, ſignificare vectigal maritimum. Sed propius vero eſt; *marturinas* fuiſſe tributum, quod in Sclavonia, & Croatia pendi ſolebat *Banis*, vel in pellibus muſtellæ martis, vel harum vice in præſcripto denariorum numero. Exemplum ſimilis fere contributionis ſuppeditat hodierna Ruſſia.

valorem denariorum 84. quia groſſi 14. tot ſolummodo denarios efficiunt. Non tamen ita ſe res habet; nam *Ferto*, vel *florenus* 14. *groſſorum* in lege Ludovici I. valorem habuit non *floreni auri in ſpecie*, ſed alterius minoris *floreni* idealis. Animadvertendum eſt præterea, denarios novos ſub Ludovico I. ad normam denariorum latorum Viennenſium fuiſſe procuſos, adeoque hanc monetæ ſpeciem, quæ anno 1342. per Decretum Caroli Roberti prohibita fuit, poſt hujus obitum in Hungaria rurſus acceptatam fuiſſe. Et vero colligere id licet ex Rationibus *Arnoldi de Caucina*, Decimæ Pontificiæ per Hungariam ſub Rege *Ludovico I.* (ab Anno 1346. ad 1353.) Collectoris, in quibus hæc leguntur: „Jacobus *Parvus* (Hung. *Kis*) Canonicus Nitrienſis, pro Præbenda ſua ſolvit *duas marcas cum dimidia*, computando *decem penſas* pro qualibet, & *penſa fuit quadraginta denariorum Viennenſium*, *qui faciunt undecim florenos & decem denarios*." Si calculum ineamus, evidenter patebit *Caucinam* hoc loco ſingulos florenos 90. denariis computaſſe. Nam 25. penſæ per 40. denarios multiplicatæ producunt 1000. denarios. Facit autem $\frac{1000}{90} = 11\frac{10}{90}$. hoc eſt, 11. florenos, denariis 90. computatos, & prætera 10. denarios reſiduos. Reducti 90. denarii ad groſſos 6. denariorum, efficiunt 15. groſſos; unde ſequitur, *Fertonem* 14. *groſſorum* in citata lege Ludovici non ſignificare *florenum auri* in ſpecie, ſed alium dumtaxat *florenum* idealem minoris numeri.

§. XXVII.

Sub SIGISMVNDO Rege ab Anno 1384. *ad* 1437

Florenum auri, 90. denariis hucusque æſtimatum, *Sigismundus* Rex ad 100. denarios elevavit, ſimulque uſum, ſeu potius abuſum, aliorum minoris cujuscunque numeri florenorum in omnibus emptionis, ac venditionis Contractibus ſub pœna ablationis re-

rum

rum venalium, emptarumque, *Articulo VII.* Decreti sui *Tertii*, anno 1405. conditi, vetuit. In Codice Juris patrii legitur sequens adnotatio ad cit. Articulum: „Florenus minor primum denariorum 40. uti Bizantius Belæ Regis. Postea denariorum 60. Tum Caroli Decreto circa annum Domini 1342. denariorum 90. quod tamen de majori floreno intelligitur. Deinde Ludovici primi tempore 84. denariorum, id est grossorum majoris monetæ 14.“ Brevem hanc de diversis florenorum in Hungaria quondam usitatorum notitiam sequentes animadversiones redditurae sunt paullo ampliorem. Origo *florenorum* nunc narratorum, simulque aliorum, æque in nonnullis per Hungariam locis consuetorum, repetenda est a varietate *Marcarum*, *fertonumque ponderalium*, & *numeralium*, ex Rationibus supra memoratis Decimæ Pontificiæ cognitorum. In *Marca* nempe 4. *pensarum* Sæculi XI. ac XII. *Ferto*, seu quarta pars Marcæ, unicam continebat *pensam* 40. denariorum, sed ex *puro argento*, & pondere paullo majore signatorum, totidemque *denarii* constituebant valorem unius *auri Byzantini*. Sæculo XIII. invaluit Marca 5. *pensarum*, adeoque 200. denariorum, qui tamen antiquioribus illis denariis nec bonitate argenti, nec pondere fuerunt æquales. Alterius igitur hujus Marcæ *Ferto* constabat 50. denariis, isque numerus etiam postea dictus fuit *florenus*. Ineunte Sæculo XIV. ac forte jam etiam sub finem præcedentis Sæculi in quibusdam Hungariæ Provinciis usitata fuit Marca 6. *pensarum*, id est 240. denariorum, unde *Fertoni*, seu floreno tertiæ hujus speciei conveniebat numerus 60. denariorum. Tempore Caroli Roberti *Marca ponderis Budensis* definiebatur 8. *pensis*, adeoque 320. denariis integris *tertiæ combustionis*, ut supra dictum fuit, *Fertonem* ergo duæ idgenus *pensæ*, seu 80. hujusmodi denarii constituebant, atque hic erat quarti jam generis *Florenus*. Idem vero Rex Carolus instituit aliam insuper marcam *pagamenti*, seu numeri Budensis dictam, quæ 16. denariis major erat priore, ac proinde constitit

336.

336. denariis, quorum quarta pars, videlicet 84. denarii efficiebant *Fertonem*, adeoque quinti jam generis *Florenum* numeralem. Praeterea in usum venit & alia Marca *novem pensarum*, hoc est, 360. denariorum, cujus proinde Summae *Ferto* valuit 90. denarios, eratque hic valor unius *veri floreni* ex auro signati, per legem Caroli Roberti, & Ludovici I. determinatus. Postremo *Sigismundus* Rex marcam novorum denariorum suorum definivit 10. pensis, id est, 400. denariis, voluitque hujus marcae *Fertonem* esse 100. denariorum, qui & legitimus esset posthac valor *floreni auri*, seu *Ducati hungarici*; omnesque alios minoris numeri *florenos* antiquavit, ac interdixit. Ceterum haec minorum florenorum prohibitio non ubivis per Hungariam observata fuit, quoniam in partibus Regni superioribus retinebatur adhuc usus *florenorum Cassoviensium*, quorum unus 50. denariis erat definitus. Quam in rem testes appello literas anni 1410. quibus Rex idem Sigismundus Jacobo, filio Joannis de Uszfálva, & Jacobi filiis indulget, ut possessionem Prukekmal retineant, donec eis restituantur *ducenti floreni Cassovienses, valentes centum florenos novae monetae regalis a*). Hodie quoque in Hungaria superiore praeter communem 60. cruciferorum florenum, *Német forint* dictum, sunt in usu alii minores floreni, *Kurta forint* alter, & alter *Vonás forint* adpellati, quorum ille 50. hic vero 51. cruciferos efficiunt.

Modestinus *Fachsen* in hungarico Sigismundi *Aureo* bina tantum argenti grana reperit, ideoque arbitratur, *Aureos* sub Rege *Sigismundo* habuisse puritatem 23. *Karattorum*, & 10. *granorum b*). Nec dubium est, quin Regibus Hungariae semper curae fuerit, ut aurei sui lege optima, justoque pondere ferirentur. Justum pondus erat 72. Aurei ex *Marca* Budensi, 9. autem ex *uncia*. Erat tamen in

a) Vid. ap. Wagner Diplom. Sárossien. p. 360.

b) Vid. Davidis Thomani ab Hagelstein Acta publica monetaria P. II. Tit. III. p. 5.

in uſu etiam alia quædam auri marca, 60. florenis, ſive aureis numis, definita, cujus mentio fit in Decreto II*do* Sigismundi Regis Articulo XV. in hæc verba: *unam marcam auri, vel ſexaginta florenos — — — ad temonem currus apponendo.* Hanc arbitror *judicialem* fuiſſe marcam, vulgari leviorem, nec moveor his Gloſſatoris ad laudatum Decreti Articulum verbis: „Marca auri tunc valebat fl. 60. nunc marca judicialis auri facit fl. 72. ut patet P. II. Tit. 73. Marca vero auri montana, flor. 96. Nam *Piſetum* auri valet fl. 2. ut notavit Mosoczius ad h. l. & vid. Tyroc. Jur. Hung. P. I. Tit. 2. §. 4.“ his, inquam, verbis non moveor, nihil enim aliud ſunt, quam opiniones, nulli ſolido innixæ fundamento. Videatur argumentum, & ſenſus citati Articuli, & patebit, *marcas*, de quibus ibi ſermo eſt, non eſſe communes, atque ordinarias, verum arbitrio Legislatoris pro caſibus ibidem propoſitis determinatas, unam ſcilicet 60. florenorum, vel in auro ipſo, vel in moneta ejusdem valoris, alteram vero leviſſimam, cujus nempe dimidium non plus valeret, quam unum florenum. Quod autem attinet ad marcam montanam 96. florenorum, de hac nulla omnino eſt mentio in Decretis Sigismundi, ſed eſt a Moſoczio dumtaxat inventa ex conſideratione *Piſeti* auri, quod illius tempore in Montanis Civitatibus redimebatur duobus *florenis Rhenenſibus*, non vero totidem *florenis auri*, ſeu *ducatis Hungaricis*. Erat nempe *Piſetum* pars 48*va* marcæ auri, ideoque 48. *Piſeta*, unam *marcam* efficientia, *duobusque fl. Rhen.* ſingula æſtimata, valorem utique in Montanis, dicto recentiore tempore, habuerunt 96. *florenorum Rh.* Quamquam id quoque animadverti hoc loco debet, hoc ipſum quoque *Piſeti* pretium in Montanis variare pro ratione temporis, valorisque extrinſeci aureorum, & neceſſitatum publicarum. Qua de re præter alios videatur Samuel *Köleſerus* in Auraria Dacico-Romana p. 212.

Hacte-

Hactenus de *florenis* tempore Sigismundi apud Hungaros usitatis actum est, nunc de argenteis ejusdem ævi monetis videamus. Vocabula earum, præter commune & genericum *Denariorum* nomen, reperio sequentia: *Fillér*, *Quadring*, *Ducat*, *Grossus latus Bohemicus*, vel *Pragensis*, item *sexagena* talium grossorum.

Fillér dicebatur numulus argenteus *medium denarium* communem valens. In collectaneis MSS. Caroli Wagner legi Decretum Imp. ac Regis Sigismundi contra falsarios monetæ, vulgo *Fillér* appellatæ, datum Tatæ anno 1424. *Ducenti Filléri* æquivalebant *uni floreno auri*.

De Quadring, numulis ita vocatis, quod *quaterni* pro *uno denario integro* dari consueverint, in Transumpto Capituli Castriferrei hæc occurrunt Regis *Sigismundi* verba: „*Centum* majores *denarii*, qui jam cuduntur, valeant *unum florenum auri*, de alia vero nostra moneta *Quadringh* vocata, nunc currente, *quadringenti denarii similiter unum florenum auri* reputabantur. — — — Datum Posonii in Dominica Invocavit Anno Domini MCCCCXXX.“ *a*)

Vilissima species monetæ, uti videtur, cupreæ, vel quasi cupreæ fuit, quæ *Ducat* sub Rege Sigismundo vocabatur, *decemque* idgenus numuli pro uno integro denario argenteo numerabantur. Forte vocabulum *Ducat* pro *Decade* fuit usurpatum, quia talium numulorum *Decas* valebat unicum *denarium* integrum argenteum. Pro uno igitur *auri floreno*, sive *Ducato aureo* dabantur *mille idgenus Ducati cuprei*. Memoria hujus pecuniæ superest in Literis Anno 1430. Tirnaviæ datis, *b*) quibus Rex Sigismundus præcepit, ut *centum* denarii noviter cusi valeant unum florenum auri; de alia vero minore moneta, *Quadring* vocata, *quadringenti* denarii similiter. Item, ut pro uno *denario* majore, vel *quatuor* minoribus, *decem* denarii, *Ducat* vocati, solvantur. Quam tamen vilem adeo monetam Rex idem

a) Exstat in Tabulario Regiæ Cameræ Hung.

b) Ap. Kercselich Hist. Eccl. Zagrab. p. 165.

occurrunt denarii [illegible] fassionales anni 1436 de quibus 240 computantur in unam libram.

idem ad breve dumtaxat tempus admiſit, donec videlicet alii denarii majores, & minores alii Quadring dicti, majore copia procuderentur *a*). Quod ipſum ex aliis quoque literis eodem anno 1430. apud Kuckhe in Vigilia Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ ſcriptis, quibus moneta *Ducat* abolita, ejusdemque uſus in quocunque Contractus genere vetitus fuit, eruitur *b*). In quibusdam tamen Croatiæ locis uſum monetæ *Ducat* paullo diutius perſeveraſſe, conſtat ex epiſtola Joannis IV. Epiſcopi Zagrabienſis, ad Regem hac de re perſcripta *c*). Habemus quoque documentum de ipſis *Quadringis* quodam tempore usque adeo imminutis, ut abolitæ monetæ *Ducat* ſucceſſerint, proque uno integro denario non, uti antea, *quaterni*, ſed jam *deni* numerari debuerint; pars enim epiſtolæ Petri de Rozgon Epiſcopi Agrienſis anno 1436. datæ ita habet: *d*) „Diſpoſitio univerſorum Prælatorum, & Baronum decrevit, quod decimæ bladorum Eccleſiæ noſtræ, & per conſequens nobis provenientes, anno in præſenti cum frugibus in ſpecie, aut pro qualibet Capecia *octo denarios* majoris monetæ, vel *cum denariis* 80. *præſentis minoris monetæ*, *Quarting* appellatæ, extradare, & perſolvere debuiſſent.“ cet.

Groſſus latus Bohemicus, ſeu *Pragenſis* in Hungaria tempore Sigismundi Reg. permutabatur *ſeptem denariis novæ monetæ regalis*. Certum id eſt e ſequentibus literis: „Nos Sigismundus Dei gratia Rex Hungariæ, cet. Marchio Brandeburgicus, cet. Sacri Imp. Romani Vicarius Generalis, & Regni Bohemiæ Gubernator, memoriæ commendamus per præſentes. Quod nos fideli noſtro dilecto, Nobili, ac ſtrenuo Maſcyſio, Domino Poſnanienſi, & ſuis legitimis here-

dibus,

a) Ibidem.

b) Autographum extat in Archivo Cameræ regiæ.

c) Ap. Kercselich Hiſt. Zagrab. l. cit.

d) Ap. Wagner in Diplomatario Sároſienſi.

dibus, *in duobus millibus Sexagenarum Grossorum Pragensium, pro quolibet Grosso septem denarios novæ nostræ præsentis monetæ computando*, prætextu veri debiti, rite, & rationabiliter obligamus, pro quibus sibi Castrum nostrum &c. Datum Posonii Feria tertia proxima post Octavas SS. Corporis Christi Anno ejusdem MCCCCX.“ *a*) Hinc vero sequitur *Sexagenam* idgenus *Grossorum* apud Hungaros æstimatam fuisse 420. denariis hujusmodi, quorum 100. æquiparabantur uni floreno auri.

Celebris est quæstio in historia Hungariæ, quidnam valuerint illa 37. *millia sexagenarum grossorum latorum monetæ Bohemicæ*, pro quibus *Sigismundus* anno 1412. *Wladislao* Polonorum Regi tredecim opida Scepusiensia oppignoravit. Tabulas hujus mutui præter alios edidit RR. *Pray* T. II. *Annalium* p. 237. una cum P. Gelasii *Dobner* Disquisitione de sexagenis grossorum latorum Pragensium. Auctor hic unam *sexagenam* talium grossorum supponit in se continuisse unam *puri argenti Marcam Coloniensem*, 20. fl. Rh. hodie æstimatam, indeque arguit, illa 37. *millia sexagenarum* æquiparati hodiernis 740. *millibus florenorum Rhenensium.* Id nimium esse videtur P. Adaucto *Voigt*, nec enim existimat, in illa sexagena plus argenti puri inesse potuisse, quam quod nunc æstimaretur 15. florenis Rh. Quamobrem secundum hanc hypothesin ducto novo calculo, pro supra dictis 37. millibus sexagenarum Grossorum memoratorum eruit aliam pecuniæ hodiernæ summam æquivalentem, scilicet 463. millia, & quingentos fl. Rhen. Alii aliter super hoc argumento disseruerunt. Quibus perlectis hoc demum fecit consectarium Carolus *Wagner* P. I. Analect. Scepus. p. 313. „Qui grossorum, inquit, Pragensium novæ monetæ? quis item Sexagenæ valor? non una est Auctorum opinio. Alii hunc immensum augent, ultra modum imminuunt alii. Hos,

a) Ex Archivo Ven. Capituli Posoniensis.

Hos, qui volet, consulat. Nobis supervacaneum videtur de annosa hac lite disceptare, quam dirimere is solus potis est, ad quem pertinet de pignore isto arbitrari. Ceterum de quibus hic sermo est, XIII. Scepusiensia oppida, quæ sigismundus Imp. & Rex Hungariæ Polonis anno 1412. pignori locaverat, evolutis ab eo tempore 360. annis ad S. Coronæ Hungaricæ obsequium postliminio rediere anno 1772. V. Novembris." Nihilominus tamen, cum certum sit ex præmisso documento, *grossum Pragensem* tempore Sigismundi Regis æstimatum fuisse *septem denariis hungaricis* hujus generis, quorum *centum* numerabantur pro uno floreno auri, sive pro uno aureo hungarico, valorem utique *Sexagenæ grossorum* illorum in denariis, nunc dictis, facile intelligimus, esse nempe 60 X 7 = 420. den. Quo habito duc jam 37000 in 420, & obtinebis 15540000. denariorum; Rescinde hinc duos Zeros, & patebit 155400. auri florenos, sive aureos communes hungaricos fuisse tunc pretium adæquatum illarum 37. millium Sexagenarum grossorum Pragensium.

Ad historiam hungaricæ rei monetalis pertinet, sequens etiam documentum, quod ex Archivo Civitatis Cassoviensis descriptum piæ memoriæ Carolus *Wagner* mecum olim communicavit, regium videlicet anni 1436. mandatum, ut Civitas *Kesmark* mutuas daret *centum marcas argenti* Cameræ *Cassoviensi* pro continuenda cusione denariorum ejusmodi, quorum centum efficerent unum florenum auri. Verba Mandati, usque nunc, ut reor, inediti, hæc sunt: „SIGISMVNDVS Dei gratia Rex Hungariæ cet. Fidelibus nostris, Judici, Juratis —— ac toti Communitati nostræ Civitatis *Kesmark* vocatæ, salutem, & gratiam. Quia nos disponendo commisimus fideli nostro egregio *Leonardo Nofry* de *Baymocz*, Comiti Tricesimarum, & urburarum, & cusionis monetarum nostrarum, ut ipse inter cetera loca cusionis monetarum nostrarum in Civitate nostra Cassoviensi præsentem novam nostram monetam majorem, cujus *centum*

 denarii

denarii faciunt, & repræſentant unum *florenum auri*, pro uſu Regnicolarum noſtrorum cudi faciat, & fabricari, pro cujus quidem monetæ prædictæ exercitio, & continuatione, præſertim circa principium, & inceptum ejusmodi copia argenti nobis neceſſaria eſt, & valde opportuna. Ideo volentes, & decernentes ad hujusmodi monetæ noſtræ cuſionem in Camera noſtra Caſſovienſi exercendam, per vos inter alios noſtros Civitatum certum ſubſidium in argento nomine mutui, & ſub ſpe reſtitutionis præberi, & aſſignari, fidelitatis veſtræ Univerſitati firmiſſimo, & ſtrictiſſimo noſtro ſub Edicto præcipimus, & mandamus, quatenus agnita præſentium, omni ceſſante occaſione, & qualiter excuſa poſtergata, *centum marcas argenti* de veſtro medio exquirendo, & computando, præfato Comiti *Leonardo*, ejusque nomine Camerario ſuo, ibi conſtituto, ad prædictam Cameram noſtram Caſſovienſem pro uberiore *continuatione cuſionis monetæ noſtræ* prænotatæ, pro pretio condigno, & conſueto, nomine *mutui*, & ſub ſpe reſtitutionis, concedere, dare, aſſignareque modis omnibus debeatis. — — — Datum Budæ Sabbato proximo poſt Feſtum SS. Corporis Chriſti, Anno ejusdem MCCCCXXXVI. Regnorum anno Hungariæ quinquageſimo, Romanorum vigeſimo ſexto, Bohemiæ decimo ſexto, Imperii vero quarto.“

§. XXVIII.

Sub ALBERTO Rege ab Anno 1437. *ad* 1439.

Tempore *Alberti* Regis invenio mentionem monetæ *Bardus* dictæ. Duo *Bardi* valebant unum groſſum minorem, & 72. *Bardi* numerabantur pro floreno auri. Id e ſequentibus epiſtolæ *Stanislai*, Præpoſiti Jaſzovienſis, Anno 1438. datæ, verbis colligitur: „ Quod quamquam *Petrus*, pater memorati Georgii de *Fyged* — — — totam portionem ſuam in *Fyged* pro quadringentis florenis, quemlibet

bet videlicet *floreuum* per *triginta ſex groſſos*, & groſſum per duos antiquos *Bardus* computando, usque redemptionis tempus oppignoraſſet, cet." *a*)

In Comitiis, Budæ anno 1439. celebratis Decretum fuit *Articulo X.* ne Rex monetam auri, & argenti, in valore, & curſu, ſine Conſilio Statuum, & Ordinum Regni, immutet, utque cudantur *obuli* ejusdem legis, ſeu *ligæ*, qua majores denarii, duoque *obuli* valeant unum denarium integrum. Præterea ut Archiepiſcopus Strigonienſis, & Magiſter Tavernicorum cuſioni monetæ per aliquem fidelem, & idoneum virum invigilent, numorumque probitatem explorent. Articulo autem XI. prohibitus eſt monetarum exterarum uſus.

§. XXIX.

Sub WLADISLAO I. & LADISLAO Poſthumo ab An. 1440. *ad* 1457.

Anno 1441. in *Poſonienſi Camera* cuſi fuerunt *novi denarii* ex argento, tanta cupri admixtione inquinato, ut talium denariorum *ducenti, ac viginti* pro uno *auri floreno hungarico* numerari debuerint. Teſtes hujus rei ſunt hæ Literæ: *b*)

„ ELISABETH Dei gratia Regina Hung. Dalm. cet. fidelibus noſtris Judici, ac Jurato — — Oppidi *Ovár* Salutem & gratiam. Quia nos fidelium noſtrorum communicato conſilio id ſtatuimus — — — *quod quilibet florenus auri Ungaricalis pro ducentis & viginti denariis, dumtaxat præſentis novæ monetæ*, quæ pro nunc in *Camera* noſtra *Poſonienſi* cuditur, cambiri debeat, & commutari. Igitur fidelitati veſtræ mandamus, cet. Datum Poſonii in Vigilia Feſti Aſcenſionis Domini, Anno ejusdem MCCCC. *quadrageſimo primo.*

Anno

a) Apud Car. *Wagner* iu Colleࢭ. MSS.

b) Ex MSS. *Kaprinaianis*, quæ poſſidet Bibliotheca R. Univ. Peſt.

Anno autem 1453. vel ſequente cudi cœperunt denarii ex argento, *octavæ*, ut nunc vulgo dicitur, *probæ*, germ. *acht löthig*, eorumque *ducenti* æquabant valorem floreni auri. De hoc Edicto Regio extant literæ *Petri Vicarii* in Cancellaria R. Hungaria Protonotarii, Vienna perſcriptæ Bartpham anno 1453. hunc in modum: „ Pro moneta cudenda omni die debent emanare Literæ ad ſingulos Comitatus, debetque cudi & Viennæ, & in Hungaria ſub eadem *liga*, ita videlicet, ut una medietas ſit purum argentum, altera autem cuprum, ejusdemque monetæ *ducenti denarii* debent valere unum florenum hungaricum. " *a*)

CAPUT SEXTUM.

De re Monetali Hungariæ ſub MATHIA Corvino, & hujus Succeſſoribus ab Anno 1457. ad 1526.

§. XXX.

Sub Rege MATHIA Corvino ab Ann. 1457. *ad* 1490.

Primis MATHIAE *Corvini* annis deterior adhuc, quam ſub *Ladislao Poſthumo*, ſignabatur moneta, retento nihilominus eodem valore extrinſeco denariorum, & obulorum. Sancitum quippe erat *Decreto* anno 1458. per Michaëlem *Szilágyi*, vices *Mathiæ* electi Regis Hungariæ agente, *Articulo* XII. ut pro uno auri floreno *ducenti denarii*, vel *quadringenti obuli*, numerarentur. In denariis, & obulis *Ladislai Poſthumi*, quibus hic valor fuit impoſitus, argentum æquali portione, ut

a) Ap. *Wagner* Diplomatarii Sároſſienſ. p. 112.

ut ſupra diximus, cupro permixtum erat; verum in denariis *Mathiæ Corvini*, ſub initium cuſis, *quarta* ſolummodo *pars* puri argenti inerat, reliquum vero cuprum. Signabantur viles idgenus monetæ partim *Budæ*, partim *Caſſoviæ*. Privilegium, quod *Corvinus* Rex anno cit. Civitati *Caſſovienſi*, ob navatam ad extirpandos latrones operam, elargitus eſt, complectitur plenam feriundæ hujus generis monetæ inſtructionem, hiſce verbis *a*). „Nos MATHIAS Dei gratia Rex Hung. cet. tenore præſentium ſignificamus, quibus expedit univerſis, Quod nos revocantes in memoriam graves labores, & magnas impenſas fideliſſimæ Civitatis noſtræ *Caſſovienſis*, quas ipſa Civitas ab initio regiminis noſtri usque ad hoc tempus in exterminandis latronibus, partes noſtras ſuperiores vaſtantibus, & expugnatione caſtellorum, apud manus eorundem latronum habitorum, pro honore noſtræ Majeſtatis, & utilitate totius Regni, cum ſumma fide fecit, & pertulit: ad hæc de ejus fide, & conſtantia, & ſagaci proviſione, & ſolertia ad plenum confiſi, eidem Civitati noſtræ, tanquam bene meritæ, & ſpeciali gratia duximus annuendum, & concedendum; quin immo annuimus, & concedimus præſentium per vigorem, ut ipſa Civitas noſtra hanc monetam noſtram, quam ex deliberatione Prælatorum, Baronum, ac Regnicolarum noſtrorum cudi fecimus, vel, quæ in futurum cudetur, ſub eisdem pondere, forma, ac lege, ſub quibus in hac Civitate noſtra Budenſi cuditur, a data præſentium per duos annos integros plenam cudendi, & monetandi habeat facultatem, videlicet ſub iſta liga, & pondere. *Primo*, quod hujusmodi moneta cudatur de tribus partibus, ſive *tribus marcis cupri*, & *una marca argenti fini*, inſimul mixtis, & in virgas more antiquo con-

a) Ex Archiv. Civit. Caſſov. deſcripſit, & edidit P. Steph. *Kaprinay* P. II. Dipl. Hung. p. 190. ſeq.

consueto, & solito fusas, atque *masas*, *a*) cudatur ex eis moneta, cujus quidem monetæ *trecenti septuaginta quinque denarii* ponderent unam marcam, & quælibet marca denariorum in *lega* contineat *pesetas duodecim fini argenti*, *b*) vel saltem *medium quartale* plus de uno *peseto*, vel minus. *c*) Similiter & una marca excedatur denariis quatuor, vel quinque ad majus, *d*) de qua moneta *ducenti denarii* valeant *unum florenum auri*. *e*) Cui cusioni monetæ ipsa Civitas nostra diligenter provideat, & ubi directe probatam invenerit, tunc valeat ipsam monetam in communem usum extradare. Harum nostrarum vigore, & testimonio Literarum mediante. Datum Budæ Feria quinta proxima post Festum ad Vincula beati Petri Apostoli, Anno Domini Millesimo quadringentesimo quinquagesimo octavo."

Alias ejusdem Regis *Mathiæ* Literas, quibus hujus monetæ vilioris acceptationem, usumque publicum in valore præscripto demandat, editas vide apud *P. Kaprinay* Hist. Dipl. P. II. p. 189.

Ut autem illa tempestate monetæ ex tam vili argento in Hungaria cuderentur, occasionem præbuerunt Imp. *Fridericus III.*

„Anno

---

a) *Masas*, id est, immutatas, alteratas, ex hungarico *Másolom*. Argentum ita cupro corruptum hodie vocatur germ. 4. *löthig*, seu *quatuor lothonum*, aut *quarti gradus*.

b) *Peseta* fuit unius unciæ *sextula*, seu Marcæ pars *quadragesima octava*. Id quod eruitur ex hoc ipso Edicti Corviniani loco, quo præscribitur, ut marca talium denariorum, quibus tantum quarta pars puri argenti inesse debeat, *pesetas duodecim fini argenti contineat*; nam quater duodecim faciunt quadraginta octo.

c) Hoc apud Monetarios vocatur *Remedium Legis*, vulgo *Ligæ*, quo excusatur Monetarius si forte a præscripta miscendi cum cupro argenti quantitate tantillum aberravit.

d) Istud pertinet *ad Remedium ponderis*.

e) Uti sub *Ladislao Posthumo*, cujus tamen denariis alterum tantum inerat argenti.

& hujus frater Albertus, aliique Principes Germaniæ, qui tunc pessimæ notæ Numos procudi fecerunt, per contemptum vulgo *Schinderling* vocatos. En testimonia! 1*mo* Chronicon *Salisburgense*: *a*) „ Anno Domini, inquit, 1457. & tribus annis sequentibus *Fridericus* Imp. fabricari fecit monetam vilem, & despectam, quæ a populo vocabatur *Schinderling*. Quod intelligentes alii Principes, videlicet *Albertus* Dux Austriæ &c. etiam fabricaverunt talem monetam, ne ipsi exinde sentirent damnum, — — — & ita indies dicta moneta magis, ac magis vilescebat, & pejorabatur in tantum, quod communis populus noluit eam plus recipere, quia erat tantum cuprea, nec poterat quis comparare unum par calceorum pro *octo solidis denariorum*, *b*) vel unum librum papyri, mandantibus Principibus, quidquid voluerint, quia nemo voluit vendere pro ista pecunia, & fuit magna angustia in terris nostris. Sed habentes *grossos bohemicales* potuerunt emere in optimo foro, quæcunque volebant, aut antiquis denariis *Landshuetensibus* — — — Unum bonum, & largissimum prandium dabatur pro uno grosso bohemicali, vel unum par calceorum. Et tandem pecunia dicta *Schinderling* fuit omnino refutata, & dabantur decem, aut duodecim denarii pro uno antiquo. “ 2*do* Aliud Chronicon, itidem *Salisburgense*, de eadem moneta sic habet: *c*) „ Item Anno Domini 1459. & 1460. *Fridericus* Imp. *Albertus* Dux Austriæ, *Joannes* Dux de Monaco, *Ludovicus* Dux Landshuttæ, *Otto* Dux de Neumarkt, *Ulricus* Episcopus Pataviensis, *Sigismundus* Archiepiscopus Salisburgensis, & alii quam plures fecerunt monetam vilissimam, & pessimam, & quæ moneta pro-

a) Apud *Duellium* Miscell. Lib. II. p. 141.

b) Unum Solidum constituebant 12. denarii, igitur 8. *solidi denariorum* hoc loco significant 96. *denarios*.

c) Apud *Pez* T. II. Scriptor. Austr. p. 430.

propter sui vilitatem vulgariter *Schinderling* est nominata, tam modicæ æstimationis, quod *sex*, aut *septem libræ denariorum* ejusdem monetæ fuerunt datæ *pro uno aureo.*" *3tio*: Hanc monetæ argenteæ depravationem Thomas quoque *Eberndorffer* sub Imp. Friderico III. in Universitate Vindobonensi Professor inter calamitates sui temporis recenset, Lib. IV. Chronici Austriaci ita scribens: *a*) „Ad quod anno 1459. plurimum accessit vilitas monetæ usualis utriusque Principis, qui propria voluntate, irrequisita patria, unus in *Grätz*, & *Nova Civitate*, alter in *Anaso*, & *Jura* — — — sic monetam diminuerunt, ut in vicinis partibus pro cupro, prout est, aut ferro reputarentur, proprie *Schinderling* dicti; saliit quoque hoc ingenio *florenus*, Aureus, a tali uno ad 12, 13, 14. solidos, nec sic æqua judicatur commutatio."

Res eadem contigit Viennensibus, nam, ut perhibet Leopoldus Fischer P. II. Notit. Vindob. p. 60. Imp. *Fridericus III.* anno 1458. Privilegium cudendæ monetæ Civitati Viennensi ademptum in quosdam Nobiles transtulit, qui magna rei monetariæ ruina induxerunt numos vilissimæ notæ, *Schinderling* ludibrio dictos.

In Hungaria vero denarii, de quibus agimus, utut & ipsi ex vili fuerint argento, utpote tribus partibus cupri permixto, germanicis tamen nunc memoratis paullo meliores erant. Ultra septennium vix toleratos crediderim. Nam in *Decreto* anni 1464. occurrit *Articulus XXII.* quo sancitum fuit, ut bona moneta cuderetur in liga, & pondere monetæ Sigismundi Regis, sive illorum denariorum, quorum centum numerari solebant pro uno auri floreno. Et reipsa tales deinceps denarios sub *Mathia Corvino* in usu fuisse, testatur imprimis in Decreto anni 1478. Articulus IV. hujus tenonis: *pro floreno uno centum denarii recipiantur, non ultra.* Dein rem eandem

a) *Ibidem.* p. 896.

eandem colligere licet ex Apocha de anno 1487. *ſuper denariis viginti quinque Centis, valentibus XXV. florenos.* Sed juverit hanc Apocham luce publica nunc primum donare ex MSS. Car. *Wagner*: „ Georgius Haday, Capellanus in Ztropko, damus pro memoria univerſis quibus expedit, & ſingulis. Quod Nobilis Egidius Sombos ſolvit nobis in perſona Egregii Domini Benedicti Borsos, Caſtellani de Sáros, *denarios viginti quinque centos*, quos quidem *viginti quinque florenos* per annotatum Egidium Sombos mutuo dederamus, & accommodavimus præfato Domino Benedicto Borsos, *de quibus viginti quinque centis denariis* eum quitum, & expeditum, pariter & abſolutum reddimus præſentium per vigorem. Datum in Ztropko Feria quinta proxima poſt Feſtum Briecii Confeſſoris Anno Domini MCCCCXXXVII. “

Groſſus Corvinianus illa ætate valebat quinque denarios integros, eratque ex argento ejusdem cum his temperamenti. Tales *viginti* permutabantur cum uno auri floreno, octuaginta vero idgenus groſſi adpendebant unam marcam Budenſem. Leviores erant, argentique deterioris, qui pro eodem Rege ſignabantur Vratislaviæ in Sileſia. Recole, quæ in animadverſionibus ad *Wratislavienſem* Mathiæ Corvini *groſſum* retulimus.

Capeciæ, quæ memorantur *Articulo V. Decreti V.* anno 1481. ſub Mathia Corvino conditi, pro quarum *quatuordecim* licuit *unum aureum*, vel *centum denarios* exigere, nequaquam pro monetis ſive realibus, ſive idealibus, ut quidam voluere, accipi debent. Nec enim aliud ſignificant ibidem, quam frumenti manipulos conſuetæ magnitudinis, poſt meſſem factos, quorum *decimus* quisque Eccleſiis, vel harum Præſulibus, aut in natura, aut in pretio æqualente pendi ſolebat.

§. XXXI.

Sub WLADISLAO II. Rege ab Anno 1490. *ad* 1516.

Commemoranda nunc veniunt varia Marcarum, in judiciis pro *birſagio*, ſeu mulcta, conſtitutarum genera. Apud *Verbôczium* in Opere Tripartito Juris Hung. per *Wladislaum II.* adprobato, ſequentia leguntur: 1mo *Marca auri* florenorum ſeptuaginta duorum. *P. II. Tit.* 73. §. 4. *Marca* argenti *gravis ponderis*, æſtimata 4. florenis auri, ſive 400. denariis, *ibidem Tit.* 28. §. 1. 3*tio Marca homagialis*, modo eadem, quæ gravis ponderis, nimirum 4. florenorum auri. *Ibidem Tit.* 70. §. 5. modo vero eſt prioris dimidia tantum, hoc eſt duorum florenorum auri. *Ibidem in Notis.* 4*to Marca minoris*, ſeu *levioris ponderis* definita unico auri floreno. *Ibidem Tit.* 82. §. 22. & *Tit.* 86. §. 1. 5*to Marca leviſſima* medii tantum floreni, ſeu 50. denariorum, apud Siculos Tranſylvaniæ uſitata. *P. III. Tit.* 4. §. 4.

Marcæ omnes, quibus res mobiles, & immobiles *P. I. Tit.* 133. æſtimantur, ſunt gravis ponderis, ſeu 4. florenorum auri. Legitimum autem valorem unius *floreni* etiamnum *centum denarios* fuiſſe conſtat ex Articulo XLI. Decreti II. anno 1495. conditi. Bos unus in cit. Tripart. Jur. Hung. valet unam marcam, ſeu 4. florenos auri. Idem pretium ibidem habent duæ Vaccæ ſine vitulo, vel una vacca cum vitulo, vel quatuor oves &c.

Sed qui noſſe cupit, quænam forenſia rerum diverſarum pretia fuerint tempore *Wladislai II.* is inſpiciat, legatque Rationes anni 1494. quas Sigismundus Epiſcopus Quinque Eccleſienſis, *Wladislai II.* Theſaurarius, filius Joannis de Ernuſt, conſcripſerat. Has ex Manuſcripto Vindobonenſis Bibliothecæ Cæſareæ, a) haud ita

pridem

---

a) Titulus Manuſcripti: *Regiſtrum Proventuum Regni Hungariæ &c.* Adſervatur inter Codices hiſt. prof. N. 487.

l. Magyar Sion 2 köt. 221 l. „Középkori olcsóság" 1808-dik évről.
1 magy. frt = 100 denár; 1 magy. denár = 3 bécsi denár
1 krajczár = 4 bécsi d. = 1⅓ magy. dénár. vagyis: 4 dén = 3 kr.
100 den = 75 kr.

pridem edidit Cl. ENGEL in Historia Hungariæ, quam etiam sub hoc titulo: (*Fortsezung der allgemeinen Welthistorie durch eine Gesellschaft cet. 49ter Theil. Halle* 1794. 4to) imprimi fecit. Ex hoc Libro descripta sunt, quæ sequuntur. In rationibus anni 1494. scriptum est p. 78. *Quingentos, & quinquaginta florenos* datos esse *ad Rivulum Dominarum* (hodie *Nagybányam* vocamus) *pro centum marcis argenti.* Igitur illo anno marca puri argenti in montanis Hungariæ civitatibus vendebatur $5\frac{1}{2}$. florenis auri, sive 550. denariis illius temporis argenteis. Nunc pretia rerum aliarum videamus ibidem exposita. Ulna telæ crassioris emebatur 2. den. interdum $1\frac{1}{2}$. sic enim legere est p. 90. „Relictæ Nicolai Waczii pro trecentis ulnis telarum, unamquamque ulnam pro 2. den. emptam pro subductura curruum Regiæ Majestatis, soluti sunt 6. fl.“ Item, „Margarethæ Wazonaros pro 550. ulnis pabulatoriis Equorum R. Majestatis necessariarum — — pro unaquaque ulna denarios $1\frac{1}{2}$. faciunt flor. $7\frac{1}{2}$.“ *Ibidem.*

„Nono die April. de mandato Regio empta sunt pargamena pro Cronica Hungarorum, quam compilat *Bonfyn*, pro 4. fl. Eadem die Scriptori *Antonii Bonfyn* datus est 1. fl. *Ibidem.* p. 71.“

„Ulna Scarlathi pro 3. fl. p. 94.

„Marco Horvàth regio Aulico, qui missus fuerat per ipsam R. Majestatem, in recessu suo de Cassovia huc Budam ad Dominum Thesaurarium, dati sunt eidem pro exp. 12. fl. Eidem de Mandato regio de panno bono datæ sunt ulnæ VII. pro fl. 5. emptæ, una pecia medii Pernisii pro fl. 7. faciunt similiter 12. florenos. *Ibidem.*

„De panno Italico ulnas 7. faciunt 8. fl. p. 96.

„Emptæ sunt *Subæ* XVI. videlicet de ventre vulpium VII. de dorso IX. singulam ulnam fl. VII. quæ missæ sunt per Nicolaum literatum, & Petrum Jungher post sese ad Wylak Domino Regi, & faciunt 112. fl. pag. 101.

„XIII.

„ XIII. Dec. empti ſunt pulveres bombardarum Centenarius unus, qui miſſi ſunt R. Majeſtati ad Wylak, 6½. fl. pag. 112. Eadem die ad Mandatum Regium emptæ ſunt de purpure deaurato a Felice ulnæ XIII. Singula ulna pro ſex fl. 6. faciunt fl. 78. De pellibus hermelinis emptæ ſunt pro ſubdučtura ejusdem, ligaturæ ſex, ſingula ligatura pro fl. 4. faciunt fl. 24. & datæ ſunt Domino Dragſy Waydæ ad nuptias ſuas. Inſimul faciunt fl. 102. *Ibidem.*

„ Decimo octavo die ab Almano Regia Majeſtas levare fecit in Bachya Subas 3. de pellibus Mardurinis, ſingulam earum pro fl. 17. vulpinas ventrium Subas 8. ſingulam pro florenis 8. & orthone, dorſinas vulpium 4. pro fl. 6. ſingulam earum cum *medio.* Faciunt 145. fl. *Ibidem.*

Plura vide *L. cit. a pag.* 17. *ad* 181. & non pauca lectu digna reperies, quæ rebus, ſub *Wladislao II.* in Hungaria geſtis, lumen accendunt, præcipue in iis, quæ ad Ærarii Regii rationes attinent.

In eodem *Engelii* Opere nunc primum Adnotationes quædam *Thurnſchwambii*, qui Turſonum, & Fuggerorum, ſub Wladislao II. & Ludovico II. rem Hungariæ metallicam dirigentium, Curator, ſive, ut vulgo dici ſolet, Factor erat, typis excuſæ ſunt a pag. 190. ad 209. Titulus eſt: *Extract aus der Beſchreibung des Mitternhaus, in Neuſohl gelegen, durch Hanſen Thurnſchwamb, des Herrn Fugger geweſen Factoren daſelbſt, ſambt andern, was ſich in der Kron Hungern zugetragen. Geſchrieben* 1563. Agitur in hoc Scripto potiſſimum de origine, & progreſſu fodinarum Neoſolienſium, quæſtuque cupri exercito, paucis, quæ proprie ad rem monetariam illius ætatis ſpectant, interjectis, additisque. Nempe *Bela IV.* (ut res præcipuas ex illo MS. referam) accitis ab Rheno, & ex Misnia Saxonum coloniis, partem apud Neoſolium, tunc adhuc pagum, locavit. Hi Saxones usque ad *Sigismundi* Regis fere tempora effodiendo dumtaxat

taxat auro, argentoque intenti, mineras cupri negligebant, usque dum venirent quæstores, qui etiam cupri mineras, nam argento divites fuisse compererunt, cupide cœpissent conquirere, & Cracoviam, ac Wratislaviam versus ad loca, ubi tunc argentum a cupro separari solebat, transmittere. Exortis postmodum litibus, fodinas Neosolienses, quæstumque cupri Rex *Mathias Corvinus* ad sese traxit, suoque Thesaurario, ad cujus tunc officium pertinebat omnium regiorum proventuum, & expensarum administratio, tradidit. Ab obitu Mathiæ dux *Joannes Corvinus*, Regis Nothus, omnem cupri Neosoliensis quæstum Joanni *Tursoni* elocavit, initumque eatenus jam anno 1494. Contractum inter *Tursonem*, & *Sigismundum Ernestum*, Regis *Wladislai II.* eo tempore Thesaurarium, confirmavit. Quæstus hic sub *Tursonibus*, horumque affinibus, ac sociis *Fuggeris*, magna cepit incrementa. Habebant hi liquatorias fornaces, in quibus cupri Neosoliensis mineras excoquebant, argentoque separato elaborabant, non modo prope Cracoviam in Polonia, verum etiam Erfordiæ in Thuringia, & in Hochkirchen, & in Foro Julio. Laboratorium Forojuliense vocabatur *Fuggeravium*; inde metalla elaborata per omnem late Italiam divendebantur. Demum, ubi Imp. *Maximilianus I.* qui & ipse propriis in terris fodinas cupri possidebat, cuprum hungaricum per suas terras devehi prohibuisset, aliæ mox officinæ liquatoriæ, & malleatoriæ in ipsa Hungaria, & in territorio Neosoliensi extrui cœperunt. Regnante *Wladislao II.* ipsa etiam Camera *Cremnicensis* elocata fuit iisdem *Tursonibus*, ac *Fuggeris*: quam cum postea *Ludovicus II.* Conjugi suæ *Mariæ* reginæ pro dote assignasset, hæc *Bernhardum Behaimb*, e Germania evocatum, constituit Cameræ hujus Comitem. Sed quæstum cupri Neosoliensis etiamnum retinuere *Tursones*, ac *Fuggeri*, novis cum Rege *Ludovico II.* stipulationibus factis. Hæc sunt compendio, quæ *Thuruschwambius* de origine, ut præmissum est, ac progressu rei metallicæ Neosoliensis narrat.

rat. De cusione autem *monetæ Hungaricæ* paucis ita meminit l. cit. p. 207. Regnante Wladislao II. cusos ait fuisse Cremnicii denarios, quorum 416. unam marcam ponderabant, plus minusve quatuor denariis pro consueto Monetariorum remedio, ac *Tursonibus* quidem curæ fuisse, ut omnes denarii essent uniformes, æqualisque inter se ponderis, forma plana, ac perfecte rotunda, sed id postea sub Bernardo *Behaimb* non adeo exacte observatum esse Monetariis. Thurnschwambii continuator *Riudmillerus* addidit interpretationem duarum literarum, quibus loci, & Præfecti cusæ monetæ nomen indicari solebat; nimirum K. H. esse *Kremnitz*, & *Hans*, sive *Joannes Turso*. K. G. Kremnitz, & Georgius *Turso*. K. A. *Kremnitz*, & *Alexius Turso*. K. B. *Kremnicz*, & *Bernhardus Behaimb*. H. vero in aureis Transylvanicis significare *Herrmannstadt*, &c. uti jam supra dictum est in adnotationibus ad Numos *Ludovici II*.

§. XXXII.

Sub LVDOVICO II. Rege ab Anno 1516. *ad* 1526.

LVDOVICVS II. argenti inopia, & belli Turcici necessitatibus urgentibus, jussit novas monetas prioribus leviores procudi, nec tamen externum eorundem valorem idcirco imminui. Testantur id Literæ ejusdem ex Castris Tolnensibus anno 1521. ad Civitates montanas datæ, quas ex Tabulario Bartphensi sæpius laudatus Wagnerus l. supr. cit. p. 82. edidit. In quibus licet novæ illius monetæ lex (*liga*) non prodatur, tamen ex *Thurnschwambio*, & præcipue *Spervogelio* constat, quartam solummodo argenti partem tribus cupri portionibus admixtam in illa moneta fuisse. „Cusa est, inquit *Spervogelius* (apud *Wagnerum* P. II. Analect. Scepus. p. 144.) moneta pessimi valoris, si cum veteri conferatur: nam unus florenus veteris monetæ valebat duos florenos novæ — — — in qua moneta

nova

nova erant 4. lottones in una moneta.“ Pollicebatur quidem Rex Ludovicus vilem hanc monetam, cessante bello, abolitum iri; verum perstitit ejus usus fere quadriennio. In Comitiis Budensibus anno 1523. celebratis, *Articulo XXXIII.* constitutum fuit, ut una marca argenti in Cameris redimeretur *sex florenis*, & *quinquaginta denariis*, adeoque uno amplius floreno, quam sub Wladislao II. redimi consueverit, indubie propterea, quod hi floreni auri non in auro, sed in denariis *novæ* hujus *monetæ argenteæ* persolvebantur. Ejusdem Decreti *Articulo XXXIV.* prohibita fuit argenti, & monetæ antiquæ de Regno exportatio. *Articulo XXXV.* sancitum erat, ut in redemptione antiquarum monetarum pro novis facienda apud Cameram, pro centum antiquis denariis darentur decem supra centum ex novis, plures vero nullus auderet exigere a Camera. Nempe, quia idgenus redemptionem, seu permutationem fieri oportebat cum determinato Cameræ lucro. *Articulo XXXVI.* cavetur, ne mercatores, & artifices pro mercibus, vel operibus plus audeant exigere in monetis novis, quam antehac exegerint in antiquis. *Artic. XXXVIII.* Obulorum cusio, quorum bini unum æquent denarium, decernitur. *Articulo XXXIX.* agitur de admittenda libera fodinarum auri, argenti, cupri, aliorumque metallorum cultura, ac de advocandis exteris metallurgis, ut aurum, argentumque majore copia obtineri posset pro monetis cudendis. *Artic. XL.* Quælibet privata monetarum cusio sub nota infidelitatis interdicitur.

Sequente anno, scilicet 1524. Rex *Ludovicus II.* peculiare privilegium concessit *Michaëli Keserö* Episcopo Boznensi, & *Joanni Zerechen* Cubiculario suo, ut nempe per unius anni decursum liceret illis pariter novas idgenus monetas cudere, & antiquas, aliasque *cambiare*, seu cum lucro permutare, atque Officinam cusoriam Eszekini exstruere. Quæ causæ Regem ad hoc permoverint, expo-

nuntur in eodem privilegio, quod hujus eſt tenoris: *a*) „Nos Ludovicus Dei Gratia Rex Hungariæ &c. Damus pro memoria, quibus expedit univerſis. Quod nos animadvertentes cuſionem præſentis novæ monetæ tum ad defenſionem Regni hujus noſtri, tum ad expeditionem faciliorem, atque uberiorem, ceterarumque neceſſitatum noſtrarum plurimum conducere, volentesque hujusmodi proventus noſtros undecunque ampliare; id animo deliberato, & ex certa ſcientia noſtra fidelibus noſtris Reverendo Michaeli Kesereö Epiſcopo Bosnen. ac Egregio Joanni Zerechen Cubiculario noſtro annuen. duximus, & conceden. Ut ipſi libere ubique ſub Ditione noſtra argentum emere, antiquas, ceterasque monetas cambiare, officinam cuſoriam in oppido Ezeek extruere, & monetas novas infra revolutionem unius integri anni incipien. a die datarum præſentium cudi facere poſſint, eo potiſſimum reſpectu, ut & ſolutionibus illis maximis, quas ad Jajczam, reliquaque Caſtra Croatiæ facere habemus, aliquantum levaremur, & ipſe Dominus Epiſcopus caſtra ſua in confinibus habita, & tam in muro, quam aliis ædificiis pene deſolata reformare, atque munire poſſit, promitten. eisdem in verbo noſtro Regio, quod infra revolutionem ipſius unius Anni hujusmodi cuſionem a præfatis Dominis Boznen. & Joanne Zerechén non auferemus, neque per fidelem noſtrum Reverendum Dominum Paulum Epiſcopum Agrienſem Theſaurarium noſtrum modernum, futurosve Theſaurarios noſtros auferri patiemur. Hoc per expreſſum declarato, quod de lucro cuſionis ſecundum voluntatem, & informationem ipſius Theſaurarii noſtri diſponere, & illud, quo, ac quomodo ipſe voluerit, diſpenſare debeant, & teneantur. Immo annuimus, & concedimus, ac promittimus harum noſtrarum vigore, & teſtimonio literarum mediante. Datum Budæ Feria quinta in Vigilia Simonis, & Judæ Apoſtolorum, Anno Domini 1524."

Sed,

a) Ap. RR. Joſ. Koller T. V. Hiſt. Epiſc. Quinque Eccl. p. 79.

Sed, quamvis in favorem novæ hujus monetæ, quam necessitas imperasse videbatur, multa non Regiis modo Edictis verum etiam communi Statuum, & Ordinum Decreto, constituta fuerint, impediri tamen non poterat, quo minus ea palam despiceretur. Cum enim constaret, quam parum argenti in se continerent singuli denarii, augebantur identidem omnium rerum pretia, atque ingens caritas est subsecuta, adeo ut coactus demum fuerit Rex imperare cusionem alterius, ex probiore argento pecuniæ, valoremque illius, quæ nova moneta vocabatur, priori lege impositum, diminuere Edicto sequente: *a*) „Egregii, & Nobiles, fideles nobis dilecti. Noveritis, quod nos ad evitandam in Regnis nostris omnium rerum caristiam, cusionem novæ monetæ cessare fecimus, monetæ antiquæ cusio semper continuabitur. Ita autem una cum Dominis Prælatis, Baronibus, ceterisque Proceribus, & Regnicolis nostris, ordinavimus, & conclusimus, ut omnia victualia, & aliæ res vendibiles, ita, & eo modo vendantur, sicut ante cusionem novæ monetæ vendebantur. De nova autem moneta id constitutum est, ut duæ novæ monetæ valeant unam antiquam, & tantum detur pro duobus novis, quantum olim dabatur pro una antiqua, & quod nunc nova moneta valeat unum obolum antiquum, eo quod in duabus novis monetis tantum est argenti, quantum in una antiqua, & hujusmodi usus, atque cursus monetæ tam novæ, quam antiquæ posthac non mutabitur, neque aliter de illis constituetur. Nemo itaque timeat novam monetam jam perituram, aut alium valorem, quam præmissum est, habituram. Qui vero prænotatis novis monetis, ac antiquis aliter uteretur, quam præmissum est, mox res, & bona talium per Judicem, aut Officialem illius loci, ubi id fieret, occupentur, & auferantur, quorum tertia pars cedat Judici, aut Officiali, duæ vero partes Domino terrestri. Quamobrem fide-

 litati

a) Apud Wagner in Diplomatario Sárosien. p. 32.

litati vestræ harum serie firmissime mandamus, quatenus &c. Datum Budæ in Festo beati Egidii Abbatis, Anno Domini 1525."

Verum postremis *Ludovici II.* annis cum jam omnia in pejus ruerent, multi regio huic mandato non obtemperabant, novasque illas monetas vel penitus rejicere, vel tres, quatuor, pluresve illarum pro una antiqua exigere audebant. Rex igitur præscriptam novæ monetæ acceptationem novo Mandato, ad omnes Civitates dimisso, ursit sub gravi pœnarum comminatione, simul tamen indulsit, ut, si qui vellent exosa hac nova moneta sese liberare, eam in Camera Regia Budensi, non tamen alibi apud quemcunque privatorum, libere permutare possent pro antiqua moneta, sive pro ista, quæ ad normam antiquæ jam iterum in Regno cudebatur. Cujus Mandati anno 1526. promulgati hic tenor fuit *a*).

„Ludovicus Dei Gratia Rex Hung. — — — Fidelibus nostris — — — Civitatis Kis-Szeben Salutem, & gratiam. Intelleximus esse plurimos in ista Civitate, qui contempta publica ordinatione, quam de usu, & æstimatione novæ monetæ, ac rebus venalibus — — fecimus, — — easdem novas monetas in rebus cujuscunque generis, & victualibus emendis, & vendendis, aliisque solutionibus, & commerciis, aut omnino tamquam perituras contemnerent, & illis uti nollent, aut duos novos denarios pro uno veteri nullo modo vellent accipere, quidam vero tres, alii autem quatuor, aliqui etiam plures monetas pro una veteri accipere vellent, res etiam suas, & animalia longe carius, quam ante cusionem novæ monetæ solitum fuit, venderent, unde hæc summa rerum omnium caritas, & penuria, cum publico totius Regni nostri incommodo sit consecuta. Cum autem nos hanc novam monetam perdere nullo modo intendamus, si enim illa perierit, ob defectum pecuniarum

---

a) *Ibidem.*

rum longe major cariſtia rerum omnium fieret, eſt igitur voluntas noſtra — — — ut ſecundum ordinationem factam duæ novæ monetæ pro una antiqua in omnibus commerciis dentur, & recipiantur. Quamobrem — — mandamus, — — ut ſub pœna confiſcationis univerſorum bonorum, ac rerum ſuarum prædictam ordinationem, & Edictum noſtrum — — — unusquisque obſervare debeat. — — Si qui autem uſu hujusmodi novæ monetæ ſeſe quovis modo gravari putarent, quantumcunque de illa habeant, ad Camerarium noſtrum Budenſem deferre poterunt, ubi, ab ipſis permutatione antiquæ monetæ, quam nunc ibidem cudi facimus, redimetur: præter Camerarium tamen noſtrum Budenſem monetas iſtas novas vel redimere, vel aliis ſive internis, ſive externis permutare, pœna ſub prænotata amiſſionis omnium bonorum, nemo audeat. — — Datum Budæ in Feſto S. Vincentii Martyris Anno Domini 1526."

Non obſtante novo hoc mandato, adhuc tamen tres, pluresve monetas pro una vereri deinceps quoque datas, & receptas fuiſſe apparet ex hoc Spervogelii ad annum 1526. ſcripto: *a*)

„ Ludovicus Rex mandavit, ut *Caſſovienſes* 115. Stipendiarios ſiſtant, & reliquæ quatuor Civitates totidem; accordatum eſt in pecunias, adeoque *Leutſchovienſes* in veteri moneta fl. 500. ſeu in nova fl. 1680."

„ *Barthphenſes* in veteri moneta fl. 450. ſeu in nova fl. 1260.

„ *Epereſienſes* in veteri moneta fl. 200. ſeu in nova fl. 840.

„ *Cibinienſes* in veteri moneta fl. 140. ſeu in nova 420.

„ Leutschovienſes dederunt ſtipendiarios numero 40. Bartphenſes 30. Eperieſinenſes 20. Cibinienſes 10."

Videtur tamen hæc pecunia per Civitates data fuiſſe ad Ærarium Regium non prius, quam poſt celebratum eodem anno in Campo

---

a) Ap. *Wagner* P. II. Analect. *Scepuſii* p. 145.

po Rákos Conventum, in quo jam per Articulum XXXIV. conſtitutum erat, ut *tres* idgenus *novæ monetæ* (quæ illic vocantur *cupreæ* ob nimiam cupri cum exigua argenti portione in iis permixtionem) pro una veteri, ſeu *bona moneta* ad Cameram regiam dentur. Sed, ut luculentius pateat, quinam ultimi conatus ad reparandam rem monetariam, vindicandumque ab exitio Ærarium regium, ſub *Ludovico II.* adhibiti fuerint, pro coronide omnes, qui huc pertinent, memorati Conventus conſtitutiones paucis recenſebo. Igitur hæc fuere ſtatuta: *Artic. III.* Ut Theſaurarius illico eligatur probus, & induſtrius, qui cuſiones monetarum, ceteroſque omnes proventur regios gubernet. Art. XXXIV. „Ut Majeſtas Regia in eodem pondere, & liga *bonas monetas* cudi faciat, ſicut illo tempore, quo *cuprea moneta* incepta eſt, cudebantur; & cupream ad Cameras per ſuum Theſaurarium cambire faciat, ita, ut *tribus cupreis monetis* una *bona moneta* cambiatur: & locus campſionis fiat Budæ, & nemo alter præter Theſaurarium, quicunque ille ſit, cambire valeat. Et Theſaurarius ſuper eo regius, ut monetas ipſas juxta ordinationem Regnicolarum, & Dominorum, ab omnibus cambiri non permittat, juramentum ſuper eo debebit. In emendis, & vendendis rebus quibuscunque ad Feſtum beati Jacobi nunc venturum, per duos quilibet accipere debeat, elapſo autem ipſo Feſto, nemo hominum hac ipſa moneta amplius uti præſumat. Nihilominus tamen Theſaurarius tenetur, quousque cuprea ipſa moneta duravit, ſemper cambire. Ubi vero ad ipſam campſionem portarentur aliquæ pecuniæ, quæ extra veram *ligam* cuſæ viderentur, campſor hujusmodi monetarum recognoſcat, quis illos cudi fecerit, & tales per Majeſtatem Regiam juxta contenta Decreti puniantur; nihilominus tamen a campſore recipientur."

Conferendo hunc Articulum cum Edicto regio ſupra deſcripto, dubitari nequit, quin per *cupream monetam* intelligatur eadem, quam Rex Ludovicus II. *Novam monetam* appellavit, quæ nimirum

dicta

dicta est *cuprea*, non, quod ex mero cupro conflata fuerat, sed quod triplo plus cupri, quam argenti, in se continebat. Itaque eodem hoc *Articulo* Decretum est, ut in rebus emendis, ac vendendis usque ad Festum S. Jacobi, quousque nempe permittebatur usus illius vilis monetæ, *duo tales denarii* valeant unum antiquum meliorem denarium. Atque sic omnino etiam in supra laudato Edicto Regio sancitum fuerat de acceptatione *novæ monetæ*, de qua nobis antea sermo fuit. In his ergo articulis cuprea moneta vocatur eadem, quæ fuit *mala moneta argentea*, atque ideo etiam altera, in qua plus erat argenti, *bona* ibidem dicitur. *Articulus XXXV.* sic sonat: „Quoniam autem in Bohemia, Silesia, & Moravia *monetæ cupreæ* liberæ cudebantur, ideo, si qui de hujusmodi Regnis externis *cupreas monetas* induxerint, vel induxisse comperti fuerint, ablatis prius ab eis universis bonis eorum, capite plectantur.“ *Articulo XXXVI.* eadem fere pœna dictatur illis etiam, qui extra Cameram regiam cambire, vel ex Hungaria cupreas, de quibus dictum est, monetas educere deprehensi fuerint. *Articulo XXXV.*. Statuitur de monetis externis, *bapkis*, & *cruciferis*, aliisque, ut solummodo durante generali expeditione bellica usus earum in Hungaria liber sit, dein vero cesset.

Si Modestino *Fachsen*, iis temporibus proximo fides habenda est, etiam *aureorum hungaricorum* bonitas nonnihil decrevit. Scribit enim *Aureos Sigismundi* Regis esse 23. Karatorum, & 10. granorum. *Mathiæ Corvini* 23. Karat. 9. gran. *Wladislai II.* 23. Karat. 8. gran. *Ludovici II.* 23. Karat. 4. gran. Vid. Thomani ab Hagelstein Acta publ. Monet. P. III. Tit 3.

DISSER-

DISSERTATIO QUARTA
DE
RE NUMARIA HUNGARORUM
SUB
REGIBUS PERIODI TERTIAE
ab Anno Christi 1527. *ad* 1800.

INTRODUCTIO.

Tertia Hungaricæ Rei Numariæ Periodus binas Numorum Classes complectitur, quarum prior constat Numis Regum, ex Augusta Domo Austriaca oriundorum, posterior autem Principum Transilvaniæ, diversis e familiis Hungaricis prognatorum; quæ non hujus erit, sed proximæ Dissertationis argumentum, ubi *Zapolyorum* quoque Numi, etsi hi non Principum Transilvaniæ, sed Regum Hungariæ titulos præseferant, describentur. Nec enim commodum videbatur, cœptam in FERDINANDO I. Regum Stirpis Austriacæ seriem *Zapolyanis* Numis interrumpere; & quia ceteroquin novus Transilvaniæ Principatus non alteri magis, quam *Joanni Zapoliæ*, *Ferdinandi I.* æmulo, suam debet originem. Videbimus vero in hac postrema Regum Periodo aliam iterum Hungaricæ rei Numariæ faciem; multiplicatas ex quovis metallo Numorum species; inductam, ac sensim legibus

Regni

Regni receptam cuſionem majoris, quam qualis hactenus in uſu fuerat, monetæ, Numorum ſcilicet *uncialium*, vulgo *Talerorum*, & ſemuncialium, ſeu florenorum argenti, mediorum item florenorum, & variæ magnitudinis groſſorum, ex quibus alii quidem vulgo *Mariani*, alii *ſeptenarii*, alii trium cruciferorum, ſeu quinque denariorum *groſſi* appellari cœperunt; item poſtremis temporibus alii *vicenarii*, *decenarii*, *quinarii* &c. Ex *Aureis* vero Numis videbimus non modo *Ducatos*, priſcorum auri florenorum magnitudine, verum etiam horum duplos, triplos, quintuplos, decuplos &c. Adhæc, multa occurrent *Numiſmata*, ſolius memoriæ cauſa procuſa, quæ Principum Sponſalia, Nuptias, Coronationes, Bella, Fœdera, Victorias, resque alias geſtas, & poſtrema eorundem fata, iconibus, & epigraphis eloquentur. Conſtitutiones vero monetales, unde varius pro diverſis temporibus monetarum valor, & quædam alia, quæ ad rationem totius rei monetalis Hungarorum, poſtremæ huic ætati propriam, ſpectant, cognoſci poſſint, reliquis hujus Diſſertationis capitibus rurſum eo, quo antea, ordine exponentur.

CAPUT PRIMUM.

Numi Regum Hungariæ Sæculi XVI. deſcribuntur, & illuſtrantur.

§. I.

Numi FERDINANDI I. Regis Hung. ab Anno 1527. ad 1564. & ANNÆ Reginæ Conjugis ejusdem.

I. Numiſmata mnemonica, & monetæ communes magni moduli.

Antea, quam Numos *Ferdinandi I.* qua Regis Hungariæ, nomine ſignatos referam, præmittere libet deſcriptionem illorum Numiſmatum, quæ memoriam conſervant *Sponſalium*, a *Maximiliano I.* pro filio

lio suo aut *Carolo*, aut *Ferdinando*, cum *Anna Wladislai II.* Hungariæ Regis filia, Viennæ maxima cum solemnitate, anno 1515. celebratorum, simulque Connubii inter *Ludovicum*, *Annæ* hujus fratrem, & *Mariam*, Imp. Maximiliani Neptem, initi. Duo sunt hujus argumenti Numismata, quibus tertium adjungam, in quo *Ferdinandus* Archidux, nondum Rex, sua cum Conjuge *Anna* repræsentatur. Sic autem habent:

I. IMP. CAES. PIVVS (*sic*) MAXIMILIANVS P. F. AVG. Protome Imp. Maximiliani I. capite pileato, ad pectus cum aureo vellere.

ANNA. RE. PAN. FI. IN. RO. IM. MAXI. DESPONSA. Protome Annæ, capite coronato, & collo monilibus ornato. *Arg. maximi moduli editus a P. Adaucto Voigt P. III. der boemischen Münzen Tab. I. N.* I. & descriptus ibidem p. 159. Vid. etiam *Köhler* Münzbelustigung IV. Th. XI. St. p. 81.

PIVVS errore Incisoris pro DIVVS. Cum vero titulus *Divi* haud facile datus fuerit vivis Principibus, videtur præsens Numisma post obitum Imp. Maximiliani procusum fuisse ad conservandam memoriam solemnium adeo sponsalium, de quibus Gerardus *Roo* ad ann. 1515. scribens: „Cum, inquit, Maximilianus Imp. audivisset, Franciscum I. Galliæ Regem nuper electum, Mediolanensis Ducatus titulum assumpsisse, fœdus cum Venetis confirmasse, Helvetiosque per eos dies tentasse, ipse quoque rem Austriacam vicinorum Regum fœderibus, & affinitate aliqua constabiliendam esse putavit. Itaque Joannem Cuspinianum ad Wladislaum in Ungariam, & nonnullos ad Sigismundum Poloniæ, Reges, misit, qui eos, uti Viennam ad se venirent, invitaret. Id cum facturos audivisset, splendidissimo comitatu exceptos comiter admodum, & magnifice Viennæ tractavit, nullo honoris, festæque lætitiæ genere omisso. Aliquot inde dies colloquiis, & consultationibus dati. Erant Wladislao ex Anna Gan-

dala

dala liberi Ludovicus, & Anna. De his ita inter ipſos convenit, uti ambo Auſtriacis illigati nuptiis, perpetuæ pacis, amicitiæque fœdus confirmarent. Ad decimum Calend. Aug. qui dies publicæ Sponſalium confirmationi dictus erat, Maximilianus, utroque Rege præſente, *Annæ coronam auream impoſuit*, & florenti ſerto ab ea donatus eſt. Hinc ad divi Stephani templum itum eſt, ubi peractis ſacris, verba præeunte Strigonienſi, *Anna accepto annulo ita Maximiliano deſponſata eſt, ut intra annum aut Carolo, aut Ferdinando conjungeretur. Ludovico Maria, Cæſaris neptis præſens, legibus itidem conjugii devincta fuit*, lacrymas ubertim fundente Wladislao. His peractis, ducenti viri militari dignitate donati ſunt. Inde ad epulas, ludosque equeſtres, & choreas diſceſſum eſt. Per eosdem dies pax, & fœdus promulgatum, ex quo maximæ provinciis illis, & regnis commoditates redundarunt, imprimis vero Auſtriacis Principibus ad Hungariæ, Boëmiæque regna ſtratus eſt acceſſus. Undecimo namque anno poſt *Ferdinandus*, qui *Annam* duxerat, *Ludovico* a Turcis ad Mohacsium oppidum cæſo, utrumque regnum ex fœderis, & matrimonii jure adeptus eſt.“

2. Crux æquilatera, infra quam occurrit monogramma *Ludovici* inter literas M. & A. initiales nominum *Mariæ*, & *Annæ*, & annus 1515. Hæc omnia circulis aliquot concentricis includuntur.

Pars averſa ſiſtit Aquilam bicipitem, *Maximiliani I.* qua Imperatoris Romano-Germanici Symbolum, ac Inſigne heraldicum. Peripheria circuli in utraque Numi facie extremi ornatur cruculis, & floſculis alternantibus. *Numisma argenteum, octogonum*, editum a Joanne Jac. *Luckio* in ſylloge *Numismatum elegantiorum pag.* 30.

Hoc Numisma eſt ex genere illorum, quæ *Miſſilia* vocantur, fuitque, durante Sponſalium ſupra laudatorum feſtivitate, in vulgus publice miſſum, ſparſumque.

3. FERD: ARCH: AVSTR: ET. ANNE: HVG (*sic*) REG: COIVGV. EFFIGIES: ÆTA: VTRIVSQVE: ANNO XX. In area Numi: M. D. XXIII. Effigies utriusque Principis: *Annæ* a dextris, proprio ævi illius amictu pendente de collo gemma pretiosa; *Ferdinandi* autem a sinistris, palliati, converso ad Annam vultu, ornatique torque aurei velleris. Amborum capita sertis redimita.

Pars aversa exhibet Torquem aurei velleris, & in hujus medio monogramma ex F. & A. literis videlicet initialibus FERDINANDI, & ANNÆ. *Arg. magni moduli editus ab Adaucto Voigt* l. supr. cit.

Hoc Nomismate celebrata sunt *Vicennalia* vitæ amborum Principum Anno Chr. 1523. quo simul tempore *Anna* Ferdinandi conjux, raro eventu, inter Equites Ordinis aurei velleris adlecta fuisse videtur, cum præter hunc torquem, & monogramma nominum *Ferdinandi*, & *Annæ*, aliud nihil in aversa Numismatis facie ocurrat. Habet vero *Anna* in hoc Numismate titulum *Reginæ Hungariæ*, Conjuge licet *Ferdinando* nondum Rege, sed Archiduce solummodo. Suspicabar primum, Epigraphen esse mendosam culpa Monetarii, non modo propter incisum HVG pro HVNG, verum etiam ob literam F post REG. omissam: quæ si adesset, non utique *Anna* in hoc Numo legeretur *Hungariæ Regina*, sed *Hungariæ Regis Filia*, quemadmodum legitur in priore Numismate, in memoriam *Sponsalium* cum Imp. Maximiliano initorum signato; *ANNA REgis PANnoniæ FIlia.* Sed, quia postmodum in mentem venit, eandem *Annam* ab Imp. *Maximiliano*, cui despondebatur, & coronatam, & *Reginam* fuisse appellatam, idcirco nihil jam dubito, quin reipsa titulum *Reginæ Hungariæ* in hoc Numismate *Anna* habeat, præcipue cum & *Maximilianus*, cui pro *Ferdinando* prius desponsa fuerat, sese, patris sui *Friderici III.* exemplo, *Regem Hungariæ* ferre, & nuncupare interdum solitus fuerit.

4. + FER-

4. + FERDINAND. D. G. HVNG. BOEM. DAL. CROA. ZC. REG. INF. Rex coronatus, Equo, parmula Auſtriaca ornato, inſidens, d. ſceptrum gerit, adſtantibus quatuor viris, quorum duo vexilla Hung. Bohem. & Auſtriæ tenent, alii vero quatuor genufle-xi repræſentantur. Ante Equum Canis venaticus, & Cervus, vel Capreolus.

+ HISP. ARCHID. AVST. DVC. BVRG. ZC. COMIT. TIROLIS. 1528. Scutum quadripartitum, in quo faſciæ Hungaricæ cum Leone Bohemico alternant. In medio Scuti parmula cum inſignibus Auſtriæ, Burgundiæ, Hiſpaniæ, ſive Caſtiliæ, Legionis, Arragoniæ, Brabantiæ, Luxemburgi, aliaque parmula in centro prioris aquilam Tyrolenſem exhibens. *Argenteum unciale Numisma Muſei Cæſ. Vindob. editum a Du Val Monnoies en argent.* p. 150.

Numisma hoc ab *Atheſinis Tyrolenſibus* procuſum, & occa-ſione præſtiti juramenti fidelitatis, oblatum fuit Regi *Ferdinando I.* qui Tyrolim, quam pro Cæſare hactenus vicaria dumtaxat poteſta-te adminiſtrabat, anno demum 1528. jure ſupremo poſſidere cœpit. Qua de re ita *Vrſinus Velius* a) „Ferdinandus dimiſſis, inquit, Unga-rorum primoribus viris, ac ſoluto Conventu Auſtrienſium, reliquas ſuæ ditionis regiones, agendos propter Conventus, aditurus, XII. die Menſis Decembris, comitante Regina, Vienna abiit ad Styrios profectus: apud quos paucos dies commoratus, ad Carinthios, proximam re-gionem, contendit, inde *Oenipontem*. Eadem fere poſtulata propo-ſita fuerunt ſingulis regionum populis, videlicet de auxiliis extra-ordinariis in bellum Turcicum præſtandis, præterea & toleranda tri-buta imperata; quæ ſumma omnium voluntate promiſſa fuerunt. Ceterum *Atheſini*, cum antea pro Cæſare Rex Ferdinandus tantum-modo vicarium in eos imperium tenuiſſet, tum primum convocatis omnibus

a) De bello Pannonico ex edit. Kollárii p. 92.

omnibus opulentiſſimæ regionis ordinibus, in Principis verba jurarunt, regiæ poteſtatis jam inde ex illo die facti: præterea quinque peditum millia polliciti ſunt ſeſe in bellum, quod adverſus Turcas ſuſciperetur, miſſuros. " Itaque in Numiſmate nunc deſcripto *Aquila Tirolenſis* principem locum obtinet, utpote in ipſo Scuti Heraldici centro locata, & in ipſa quoque perigraphe ex omnibus Provinciis ſola *Tyrolis* integre ſcripta occurrit. Quod ad figuras attinet, quatuor viri genuflexi repræſentant totidem Status, & Ordines Comitatus Tyrolenſis, obſequium ſuum Regi Ferdinando deferentes. Alii quatuor viri cum vexillis adſtantes adumbrant alias ejusdem Regis ditiones. Canis, ac Cervus, vel Capreolus, indicant inſtitutas durante hac ſolemnitate ad oblectandum Principem venationes. Alii, fateor, aliter de hoc Nomismate ſentiunt, & quidam in Hungaria, nonnulli in Bohemia fuiſſe procuſum arbitrantur. Vid. *Lochner* Sammlung merkwürdiger Medaillen, *a*) *Madai* Thaler Cabinet, *Lilienthal* &c. Ipſe P. Adauctus *Voigt b*) ſcripſit, ægre definiri poſſe, ſitne illud in claſſem Bohemicorum, vel potius Hungaricorum, aut Tyrolenſium Numiſmatum referendum. Tyrolenſibus tamen poſtremo adjudicat, quia in parte Numiſmatis averſa cor ſcuti heraldici parmula, Tyrolenſem aquilam exhibens, occupat, & titulus COMIT. TIROLIS integre fere deſcriptus eſt. De figuris vero partis adverſæ ita cenſet; repræſentari ibidem *Ferdinandum* tamquam victorem ſuorum hoſtium, Joannis nempe Zapolyæ, & nonnullorum rebellium Auſtriacorum, idque ex vexillorum inſigniis, & quatuor viris ad genua provolutis arguit. Cauſam vero Canis cum Cervo additi nullam reperit.

5. FER-

a) II. Jahrgang p. 273.

b) Beſchreibung der bœmiſchen Münzen III. Theil p. 162. ſeq.

5. FERDINANDVS. DEI. GRACIA. HVNGARIAE. BOEMIAE. ETC. REX. ANNO DOMINI. M. D. XXIX. ÆTATIS SVÆ. XXV. Protome Regis pileati, amictu hispanico, vultu dextrorsum converso, ad pectus cum torque aurei velleris.

DA: MICHI (*sic*) VIRTVTEM: CONTRA: HOSTES: TVOS: DOMINE. QVIA: TV: ADIVTOR: MEVS: ES. Scutum Austriaco-Hispanicum, pileo Archiducali tectum, cui circumposita sunt alia quatuor scuta coronata Regnorum Hung. Dalm. Croat. & Boh. Spatia vacua ornantur flosculis. *Arg. Unicial. editus ibidem*

Epigraphe: *Da mihi virtutem contra hostes tuos &c.* occurrit etiam in Numis Imp. *Caroli V.* apud Jac. Mellen in Sylloge Numorum ex argento uncialium p. 38. Præcipui tunc hostes Ferdinandi erant Joannes Zapolya, & Solymannus Turcorum Imperator, qui capta Buda Viennam anno 1529. obsidebat. Testes hujus obsidionis sunt sequentes Numi.

6. Caput coronatum Ferdinandi I. & annus 1529. cum inscriptione germanica: TÜRCK BLEGERT WIEN.

In aversa parte Crux æquilatera, & circumposita quatuor scutula, Hung. Boh. Hisp. Austr. *Arg. formæ quadratæ* editus a *Luckio. a).*

7. Crux decussata, & quatuor scutula, Hung. Boh. Austr. Hispan.

In aversa parte: TVRCK BLEGERT WIEN. 1529. *Argenteus deauratus forma quadrata. R. Univ. Pest.* Vid. Tab. VI. N. 205. *Tab. VI. N. 205.*

Hujus generis Numi vocari solent *Castrenses*, vel *obsidionales*, vel *ex necessitate* procusi; Germanis dicuntur *Klippe*, vel *Noth Klippe.* Ex vario inveniuntur metallo, aurei, argentei, stannei, æenei &c. valore plerumque justo majore, ad supplendum interea mone-

---

a) Sylloge Numism. elegantiorum p. 69.

monetæ communis defectum fabrefacti. Differunt communiter ab usualibus monetis & cælatura, & forma exteriore. Præsentes vero Numos durante Viennensi procusos fuisse anno 1529. prodit epigraphe: *Türk blegert* (id est: belägert *Wienn*. Turca obsidet Viennam.

8. Capita jugata coronata *Ferdinandi*, & *Annæ*, cum torque aurei velleris ad utriusque pectus.

In aversa hæc epigraphe: FERDINANDVS. ET ANNA. ROM. HVNG. BOHE. REX. ET REGINA. ARCHID. AVST. DVC. BVRG. ETC. *Aureus Musei Cæs. Vindob.* Vid. Tab. VI. N. 196.

Tab. VI. N. 196.

Rarissimum phœnomenon torques velleris aurei in collo Principis fœminæ, quoniam id constitutionibus equestris hujus Ordinis adversari videtur. Sed vid. *Ayrer* Differt. de magno Magisterio Equestris Ordinis aurei velleris Burgundico-Austriaci, fœminino-masculini. *Goettingæ* 1784.

9. FERDINAND. ET. ANNA. RO. VNG. BO. REX. E RE. 1536. Capita jugata, coronata, cum torque aurei velleris ad pectus utriusque, ut in præcedente.

✠ INF. HISP. ARCHIDVX AVST. DVX. BVRGVND. SLESIE. MARCH. M. Aquila monocephala, nimbata, pectore gerens, scutum, in quo sunt Insignia Hungariæ, Bohemiæ, Austriæ, Burgundiæ, & Hispaniæ. *Argent. Ibidem.* Vid. Tab. VI. N. 204.

Tab. VI. N. 204.

E felicissimo *Ferdinandi I.* & *Annæ* conjugio natæ fuerunt quindecim proles; nimirum quatuor filii, Maximilianus, Ferdinandus, Joannes, & Carolus; atque undecim filiæ: Elisabetha, Anna, Maria, Magdalena, Catharina, Eleonora, Margaretha, Barbara, Ursula, Helena, & Johanna. *a*) Anno autem præsentis Numismatis 1536. Anna Regina nono jam partu levata, filiam Margaretham Oeniponti enixa fuit.

10. ✠ FER-

---

a) Vid. *Pray* P. V. Annal. p. 406.

10. ✠ FERDINANDVS. D. G. ROM. HVNG. BOEM. DALM. CROA. REX. Rex galeatus, coronatus, gladio, & lorica armatus, equo phalerato, Regnorumque insigniis ornato insidens. Infra Equum annus insculptus 1541.

✠ INFANS HISPANIEN. ARCHIDVX AVSTRIE. DVX. BVRGVNDIE. Aquila *monocephala*, nimbo caput circumdata, alis expansis, pectore gerens scutum, in quo insignia Hung. Boh. & Austriæ. *Argent. max. moduli Musei Cæs. Vindob. editus a Du Val Monnoies en argent* p. 150.

Anno Numismatis hujus 1541. *Ferdinandus I.* expeditionem in Turcas edixit, eaque forte de causa in hoc Numismate repræsentatur Eques, habituque militari, velut ad bellum profecturus. Simillimum tam Equi, quam Equitis Regis ornatum vidimus supra in uno *Ludovici II.* Numo. Aquila monocephala, qualis in aversa præsentis Numismatis exprimitur, conveniebat Ferdinando, qua Regi Romanorum, anteaquam Imperatoris titulum gerere inciperet. Verum extant alia ejusdem anni 1541. Numismata Ferdinandi I. quorum aversæ sistunt Aquilam bicipitem. Quæ nam hujus esse causa videatur, mox adnotabimus post eorum descriptionem.

11. FERDINANDVS & reliqua omnia uti in antica præcedentis Numismatis, idem quoque infra Equum annus 1541.

Sed pars aversa hæc est: INFANS. HISPANIEN. ARCHIDVX AVSTRIÆ. DVX. BVRGVNDIE. EC. Aquila *biceps* expansis alis, utroque capite nimbato, corona desuper imminente, pectore gerens scutum coronatum, ac torque aurei velleris circumdatum, in quo fasciæ quatuor Regni Hungariæ alternant cum Leone Bohemico, & in centro ejusdem scuti parmula Austriaco - Burgundica. *Tab. VI.*
Argent. max. moduli R. Univ. Pestien. Vid. Tab. VI. N. 200. *N.* 200.

12. ✠ FERDINANDVS. D. G. ROM. HVNG. BOEM. DALM. CROA. REX. Effigies Regis galeati, coronati, loricati, &

gladio præcincti, Equo phalerato, Regnorumque insigniis ornato insidentis. Infra Equum annus 1541.

In parte aversa: FERD. D. G. EL. ROM. IM. S. AV. GER. HV. BO. REX. INF. HIS. ARCHID. AVS. ZC. CO. TYR. Aquila *biceps* coronata, nimbata, alis expansis, gerens pectore scutum, in quo 4. fasciæ Hungaricæ alternant cum Leone Bohemico; in centro autem scuti est parmula Austriaco-Burgundica. *Arg. max. mod. Musei Cæs. Vindob.* Vid. *Monnoïes en argent p.* 150.

Ex tribus Numis nunc descriptis, qui *Ferdinandum I.* Equitem sistunt cum subscripto anno 1541. is tantum pro sincero & gemino habendus est, qui N. 10*mo* proponitur, atque in aversa exsculptam habet Aquilam *monocephalam*. Reliqui duo propter Aquilam *bicipitem* in aversa parte vel ad spurias merces relegandi sunt, vel inter Numos, culpa, aut festinatione Monetariorum vitiosos, reponendi. Manifesta est certe in utroque compositio duorum typariorum pro diversis temporibus paratorum, unius nempe antiquioris pro anno 1541. parati, alterius vero recentioris anno scilicet 1556. vel paullo serius facti, quo *Ferdinandus I.* jam *Electi Imperatoris* Romanorum titulo, & pro armis aquila bicipite utebatur. Quam quidem ineptam combinationem in altero horum Numorum non modo biceps aquila, verum etiam repetitum in aversa nomen Ferdinandi cum novis titulis prodit.

13. FERDINANDVS D. G. ROM. HVNG. BOH. DALM. CROA. REX. Effigies Ferdinandi Equitis eadem, quæ in præcedente Numo, idem quoque infra Equum annus 1451.

AQVILA. ELECTA. IVSTA. OMNIA. VINCIT. Aquila *biceps*, coronata, nimbata, pectore ferens hominem, corpori suo, quasi cruci affixum. *Argent. uncial. in Luckii Sylloge Num. elegant. pag.* 100. *editum.*

Luckius

Luckius quidem l. cit. hoc Numisma vocat votivum Ferdinandi I. Romanorum, & Hungariæ Regis, qui anno 1541. Budam per suos Duces recuperare irrito conatu tentavit. Sed fallitur, nec enim Numus iste Regis *Ferdinandi* jussu, aut alia quapiam auctoritate publica procusus fuit, sed est solummodo privati hominis opus. Nempe Sæculo XVI. & sequentibus cum studium Chalcographiæ majora in dies caperet incrementa, amorque Numismatum, memoriæ causa signandorum, invalesceret, non defuere, uti nec hodie desunt, qui ad fabricandas idgenus merces partim bona fide, & palam, impetrato hunc in finem privilegio, partim vero clandestinis usi artibus, & ad falliendum parati, quæstus causa, sese accinxerunt. Quod autem Luckianum hoc Numisma pertineat ad classem privatorum, ex aquila bicipite, Regi *Ferdinando* ad annum Numo inscritum 1541. attributa, facile agnoscas. Antica igitur sumpta est ex Numismate *Ferdinandi* supra N. 10*mo* descripto, aversa vero accepta est paucis partim mutatis, partim omissis ex Numo Imperatoris Caroli V. qui apud *Köhlerum a*) hoc modo describitur:

CAROLVS V. ROMANORVM IMPERATOR SEMPER AVGVSTVS. 1537. Protome Imp. Caroli V.

In aversa: AQVILA. ELECTA. IVSTE OMNIA VINCIT MDXXXVII. Aquila *biceps* in scuto coronato expressa, pectore gerens parmulam cum insigniis Regnorum. Extra scutum duæ columnæ Herculis.

Notat *Köhlerus* hanc sententiam: *Aquila Electa Juste* (non *Justa*, uti est in Luckiano) *Omnia Vincit*, fuisse antiquam interpretationem quinque harum vocalium A. E. I. O. V. quas Imp. Fridericus III. sibi pro symbolo delegit.

14. Aquila

a) Vid. Münzbelustigung T. IV. p. 201.

14. Aquila monocephala pectore gerens ſcutum Hungarico-Auſtriacum. Supra Aquilam literæ F. R. V. id eſt: *Ferdinandus Rex Vngariæ.* Infra vero duo enſes in decuſſim poſiti, & numerus 52. Pars averſa tota eſt vacua. *Argenteus heterotypus formæ quadrangularis.*
Tab. VI. N. 206. Muſei Cæſ. Vindob. Vid. Tab. VI. N. 206.

Caſtrenſis hic Numus Cibinii apud Saxones Tranſilvanos procuſus eſt, indicio binorum enſium decuſſatorum, qui infra aquilam occurrunt: hoc enim proprium eſt Cibinienſium inſigne. Juxta poſitus numerus 52. cui in Tabula noſtra mendo Chalcographi S. C. ſubſtituitur, notat annum 1552. ad quem ſequentes eventus pertinent. Cædes Georgii Martinuſii per Caſtaldum, immiſſis Sicariis, patrata. Reginæ Iſabellæ cum filio reditus in Poloniam. Tranſilvani per Turcas ad defectionem ſollicitati. Ceterum cauſa præcipua Caſtrenſis idgenus monetæ hoc anno ſignatæ fuit, Ærarium Regis, ac provinciæ per numeroſos exercitus, bellaque continuata exhauſtum. Vid. etiam Luckii animadverſiones ad ſimile Numisma l. ſupr. cit. p. 149. delineatum.

15. FERDINAND. D. G. ROM. HVNG. BOE. DAL. C. REX. Protome Regis coronati, loricati, d. ſceptrum, s. gladium inverſum.

INF. HISPA. ARCHIDVX AVSTRIE. DVX. BVR. 1554. Scutum, in quo eſt aquila monocephala, nimbata, alis expanſis, pectore gerens aliud ſcutum, inſignia Regni Hung., Dalm. Bohemiæ, & Auſtriæ complexum. Scuto majori ſuperpoſita eſt Icon Deiparæ cum Jeſulo in ſinu dextro, & ſceptro in manu ſiniſtra. Ad latera ſcuti
Tab. VI. N. 201. ſiglæ: K. B. *Arg. Talerus Muſei Cæſ. Vindob.* Vid. Tab. VI. N. 201.

Alius ejusdem inſcriptionis, ac typi, ſed anni 1555. *Talerus R. Univer. Peſtin.*

Item alius ejusdem anni 1554. ſed ſemuncialis, ſeu *Flo-*
Tab. VI. N. 202. *renus argenti. Ibidem.* Vid. Tab. VI. N. 202.

Item

Item alius forma dimidii floreni argentei, seu quadrans *Taleri. Ibidem.* Vid. Tab. VI. N. 203. *Tab. VI. N. 203.*

Hæc est forma communis monetæ majoris argenteæ pro *Ferdinando I.* Cremnicii signatæ usque ad ann. 1556. quo scilicet jam Regi huic accessit titulus *Electi Romanorum Imperatoris semper Augusti*, & Aquila *biceps*, Imperatoriæ dignitatis propria.

16. FER. D. G. EL. RO. IM. S. AV. GE. HV. BO. R. 1563. Protome Ferdinandi I. loricati, capite nudo, ad pectus cum aureo vellere.

MAXIMILIAN. D. G. RO. HVN. BO. REX 1563. Protome Regis junioris, capite coronato, ad pectus cum torque aurei velleris, & alia Protome ejusdem Conjugis *Mariæ*, ornatu regio. *Arg. magnitudine medii Taleri. R. Univ. Pestin.*

P. Adauctus *Voigt* P. III. Operis supr. cit. p. 167. refert hoc Numisma ad coronationem Bohemicam, sed hæc peracta fuit mense Septembri anno 1562. in hoc autem Numismate insculptus est annus 1563. quo die 8. Septembr. *Maximilianus*, & die 9. ejusdem *Maria* Conjux Maximiliani, in Comitiis Posoniensibus coronati fuere. Ideoque rectius ad Hungaricam coronationem pertinet. Vide Auctores, qui huic coronationi interfuere, *Istvánfium* Lib. XXI. Joannem *Listium* in Belii Adparatu ad Hist. Hung. & Franciscum *Forgács* Lib. XIII. Solemnitati hujus coronationis non diu supervixit *Ferdinandus I.* Nam Posonio redux in febrim incidit adeo pertinacem, ut publicis negotiis abstinere coactus, publicam rerum administrationem filio suo Maximiliano, recens coronato, credere debuerit. Extinctus anno sequente 1564. die 25. Julii.

17. *Numisma exequiale Annæ Imperatricis, ac Reginæ Hungariæ.* FERDINANDVS D. G. ROMA. HVNGARIE. BOHEMIE. ECZ. REX. MDXLVII. Protome Regis pileati, palliati, cum aureo vellere ex nigra ligula dependente, vultu dextrorsum converso.

+ WIER

✠ WIER ✠ KLAGENS ✠ GOTT ✠. In medio Numismatis nominis litera A coronata, initialis *Annæ*, & annus MDXLVII. Infra hanc literam Calvaria inter duo folia cupreſſina. *Arg. apud Voigt P. III. p.* 171. *deſcriptus*, & *Tab. II. N.* 9. *depictus.*

18. DIVI CAESAR. FERDINANDI PRIMI. Protome Cæſaris coronati, ornatu Imperatorio.

In averſa: AVGVSTI. PII. FOELICIS (*ſic*) MEMORIA. FVNEBRIS. ANNO 1565. in fine trifolium. *Aureus Muſei Cæſ. Vindob.* Vid. *Monnoies en or.* & apud *Voigt* l. cit. N. 10.

Priore Numismate Imp. *Ferdinandus I.* anniverſariam memoriam defunctæ *Annæ* Hungaræ, Auguſtæ Conjugis ſuæ, recoluit, poſteriore vero *Maximilianus II.* Patri ſuo *Ferdinando I.* parentavit. Anni, his Numis inſcripti, ab emortualibus proximi ſunt, quia ſolennes exequias in ſequentem annum differri oportuit.

II. Aurei communes ejusdem Regis.

1. FERDINAND. D. G. R. VNGAR. Deipara coronata intra lunam bicornem cum Jeſulo in ſinu dextro ſedens. Infra iconem occurrit ſcutulum, in quo aquila monocephala pectore gerit parmulam 4. faſciis hungaricis inſignitam.

S. LADISLAVS REX. 1529. Stans hic Sanctus coronatus, loricatus cum longa bipenne in dextera, & globo crucigero in manu ſiniſtra. Siglæ: H. & parmula bipertita, utrinque unicam exhibens faſciam. *Aur. Muſ. Cæſ. Vindob.*

Annus 1529. quo hic Aureus, teſte ſigla H. in Tranſilvania Hermanſtadii, ſeu Cibinii fuit procuſus, memorabilis eſt propter Budam a Solimanno captam, traditamque Joanni Zapolyæ, Viennamque oppugnatam. Parmula bipertita ſpectat ad Comitem, vel Judicem Cibinienſem illius temporis.

2. Epigraphe, ut in præced. & Icon Mariana hoc ſolo a priore diverſa, quod circa illam duo capita alata geniorum cœleſtium conſpicua ſunt.

S. LA-

S. LADISLAVS REX 1544. Consueta hujus Sancti effigies, siglæ autem K. B. *Aur. C. Festetics.* Vid. Tab. VI. N. 197. *Tab. VI. N.* 197.

3. PATRONA VNGARIE. Deipara coronata sedens cum Jesulo in sinu dextro, & pomo aureo, uti videtur, in manu sinistra. Siglæ: K. B.

FERDINAND. D. G. R. VNG. 1548. Scutum, in quo insignia Hung. Dalm. Bohemiæ, & parmula Austriaca in medio. *Aureolus. Ibidem.* Vid. Tab. VI. N. 198. *Tab. VI. N.* 198.

Siglæ: K. B. jam non aliud quam *Körmötz-Bánya*, germ. *Kremnitz Bergstadt*, significant, nunc, ac deinceps.

4. + FERDINAND. D. G. RO. VNG. BO. RE. 1545. Scutum, in quo quatuor fasciæ hungaricæ, leo Bohemicus, fascia Austriaca, & castellum Hispanicum, occurrunt. Infra vero est parmula cum reliquis Hispaniæ armis.

S. LADISLAVS REX. Stans hic Sanctus, coronatus, loricatus, & ense præcinctus d. bipennem oblongam, s. globum crucigerum tenet. *Aur. Musei Cæs. Vindob.* Vid. *Monnoies en Or.*

Hic aureus inscriptione, ac typo anticæ differt ab aliis hungaricis, propter plures Ferdinandi titulos, & insignia simul Hispaniæ. Præterea S. Ladislaus ense præcingitur, quod in paucis aureis reperias.

5. FERDINAND. D. G. R. VNGARIE. Consueta icon Mariana, infra quam est parmula Austriaca.

S. LADISLAVS REX. 1550. Stans hic Sanctus solitis cum attributis, & siglæ K. B. Inferius vero parmula, duas cruculas in sinu perpendiculari cum corona supraposita exhibens. *Aur. Ibidem.*

6. FERDINAND. &c. ut in antica præcedentis.

S. LADISLAVS REX. 1555. Consueta hujus Sancti Regis effigies. Siglæ: H. & corona, infra quam duo enses decussati. *Aur. Com. Festetics.* Vid. Tab. VI. N. 199. *Tab. VI. N.* 199.

Aureus

Aureus Transilvanicus, *Cibinii* signatus, testibus siglis: H. *Herrmanstadt*, & *duobus ensibus coronatis, in decussim positis*, proprio Judicatus Regii Cibiniensis insigni. Nempe iterum ab anno 1550. usque 1556. Transilvania in fide Regis Ferdinandi I. fuit, Johanne II. Sigismundo Zapolyæ filio, ex pactis interea in Ducatu Silesiæ sese continente.

7. Alius aureus ejusdem anni præcedenti similis, sed cum aliis siglis, nempe N. C. & duobus malleis decussatis, quæ sunt Notæ Civitatis Nagybányensis.

8. FER. D. G. EL. RO. IM. S. AV. GE. HV. BO. RE. Consueta effigies Deiparæ cum Jesulo, infra quam est parmula Austriaca.

S. LADISLAVS REX. 1562. Solita Icon Sancti Ladislai, & siglæ: K. B. *Aureus Cremnicensis R. Univ. Pestin.*

Titulus *Electi Romanorum Imperatoris semper Augusti in* Numis inchoat anno 1556. quo, ut supra dictum est, Carolus V. Imperio sese abdicavit.

III. Grossi, & denarii argent. ejusdem.

1. PATRONA VNGARIE. Deipara coronata sedens Jesulum sinu dextero gestat. Siglæ: K. B.

FERDINAND. D. G. R. VNG. 1544. Scutum, in quo in-
Tab. VI. N. 208. signia Hung. Dalm. Boh. Austr. *Grossus arg. Reg. Univ. Pestin.* Vid. Tab. VI. N. 208.

Præsens *grossus* orbe non est latiore, quam sint communes denarii argentei, sed mole crassiuscula horum pondus excedit.

2. PATRONA VNGARIE. Icon Mariana, ut in præced. & siglæ: K. B.

FERDINAND. D. G. R. VNGA. 1527. Scutum quadripartitum, in quo quatuor fasciæ, & crux patriarchalis Regni Hungariæ præcedit, tum capita coronata Dalmatiæ, & Leo Bohemicus sequuntur.

tur. Centrum vero ſcuti occupat parmula Auſtriaca. *Denar. argent. obvius*. Vid. Tab. VI. N. 207. *Tab. VI. N. 207.*

Muſeum R. Univ. Peſtin. poſſidet denarios argenteos pro omnibus *Ferdinandi I.* annis. Immo unum etiam anno 1565. ſignatum, utut conſtet Regem hunc jam die 25. Julii anno 1564. vivere deſiiſſe. Exemplum hoc jam alterum eſt perverſi moris, annum proxime venturum in moneta nova exprimendi.

3. PATRONA VNGARIE. Deipara coronata ſedens cum Jeſulo. K. B.

FER. D. G. RO. I. S. AV. GE. HV. B. R. 1562. Scutum in quo inſignia Regni Hung. Dalm. Boh. Auſtr. ut in præced. *Den. arg. obvius*. Vid. Tab. VI. N. 210. *Tab. VI. N. 210.*

4. Nulla epigraphe. Deipara coronata, nimbata, ſedens intra lunam bicornem, filiumque divinum ſinu dextro geſtans. Siglæ: K. B.

In averſa: Scutum cum inſignibus Hung. Dalm. Boh. Auſtriæ, & ſupra ſcutum annus 1545. *Obolus arg. C. Feſtetics*. Vid. Tab. VI. N. 209. *Tab. VI. N. 209.*

§. II.

Numi MAXIMILIANI II. Regis, ab Anno 1564. ad 1576.

I. Numismata Mnemonica, & Monetæ magni moduli.

1. VNO. ANNO. REGEM. BOHEMIA. MAXIMILIANVM. VNCTVM. ROMANVM. VIDIT. ET. VNGARICVM. MDLXIII. Rex Maximilianus II. ſub Conopeo ſedens in throno, ornatu regio, d. ſceptrum, s. globum crucigerum tenet. Supra thronum tres coronæ, media Imperiali clauſa, adſtantibus forma mulierum *Juſtitia*, & *Pace*. Illa gladio armata ſiniſtram extendit ad proximam coronam; hæc ramum olivæ tenens manu læva, dexteram imponit coronæ alteri juxta poſitæ. Lemmata ſunt hinc: IVSTITIAM VINDICA. Inde: DA PACEM PATRIAE.

Pars Numismatis aversa exhibet Pavonem, qui explicata in orbem cauda sustinet duo & viginti scuta heraldica Regnorum, & provinciarum, simulque ornatur torque aurei velleris, sceptroque, ac pomo Imperii, nec non ense laureato. *Argent. max. mod. R. Univ. Pestin.*

Triplex in hoc Numismate inauguratio *Maximiliani II.* commemoratur, intra unius anni spatium peracta, primum *Bohemica* Pragæ 1562. die 20. Septembr. dein *Romano-germanica* Francofurti eod. anno 30. Novembr. ac postremo *Hungarica* Posonii 1563. die 8. Septembr. In alio simili Numismate Madaiano accedit ad alias inscriptiones hæc *Maximiliano II.* familiaris: DNVS PROVIDEBIT. supra thronum conspicua.

2. MAXIMILI. II. D. G. EL. RO. I. S. AV. GER. HVN. BOH. REX. Protome Imperatoris capite coronato, loricati, ac torque velleris aurei ornati, d. sceptrum, s. gladium inversum tenentis. ARCHIDVX. AVS. BVRG. MAR. MORA. 1575. Aquila biceps utroque capite nimbato, alis expansis, gerens pectore scutum coronatum, in quo insignia Hungariæ, Dalm. Boh. & parmula Austriaca, occurrunt. Supra scutum icon Deiparæ coronatæ cum Jesulo in sinu dextro, & sceptro in manu sinistra, sedentis intra lunam bicornem. Siglæ: K. B. *Argent. Talerus. Com. Festetics.* Vid. Tab. VI. N. 212.

Tab. VI. N. 212.

Hic typus est communis, & obvius majoris monetæ argenteæ, sub Maximiliano II. Cremnicii signatæ.

Alius *Talerus* præcedenti similis, sed in quo legitur annus 1577. *Musei Cæs. Vindob.* editus *in Monnoies en argent.*

Annus iste est ab emortuali proximus; constat enim ex Annalibus Maximilianum II. idib. Octobr. anni 1576. obiisse.

II. *Auri*

II. Aurei magnitudinis ordinariæ.

1. MAX. II. D. G. EL. RO. I. S. AV. G. H. B. R. Icon Mariana solitis cum attributis intra lunam bicornem, & infra hanc parmula Austriaca.

S. LADISLAVS REX. 1566. Effigies consueta S. Ladislai & siglæ: K. B. *Aur. simplex. R. Univ. Pestin.*

2. MAX. II. D. G. EL. RO. I. S. A. G. H. B. R. Imperator stans coronatus, loricatus, gladio præcinctus, cum sceptro in dextera, & globo crucigero in sinistra manu.

S. LADISLAVS HVNG. REX. 1576. Scutum coronatum, in quo fasciæ hungaricæ alternant cum leone Bohemico, & in centro scuti parmula Austriaca. *Aur. simpl. Mus. Cæs. Vindob.* Vid. Tab. VI. N. 211. *Tab. VI. N. 211.*

Antica hujus Aurei a typo in aureis hungaricis hactenus usitato recedit: uti & epigraphe partis aversæ: *S. Ladislaus Hungariæ Rex* ob additum vocabulum HVNG. rara est.

III. Denarii argentei ejusdem.

1. PATRONA VNGARIE. Consueta icon Mariana, & K. B.

MAX. D. G. E. RO. I. S. A. GE. HV. B. R. Scutum exhibens insignia Hung. Dalm. Boh. & parmulam Austriacam. *Denarius in Museis obvius.* Vid. Tab. VI. N. 213. *Tab. VI. N. 213.*

Hic typus est fere perpetuus in denariis hungaricis. Nam in Comitiis Posoniensibus ann. 1567. celebratis, peculiari Articulo postulatum fuit, ut in moneta hungarica, etsi contingeret ejus argentum ad legem, seu ligam germanicam accommodari, imagines tamen hactenus usitatæ retinerentur.

3. Alii *denarii* cum iisdem inscriptionibus, & figuris, sed in quibus occurrit annus 1577. & 1578. *Extat in Museo R. Univ. Pestien.*

Vix credibile eſt hos denarios duobus continuis ab obitu Imp. *Maximiliani* annis cuſos fuiſſe, ſed potius incuria Præfectorum monetalium culpanda eſt, qui anno 1576. cudi fecerunt Numos annis 1577. & 1578. inſcriptos, parum ſolliciti, an *Maximilianus*, cujus nomine ſignabantur, non eſſet præmoriturus. Poſtremum hujus Imperatoris vitæ ac regni annum fuiſſe 1576. jam ſupra admonuimus.

§. III.

Numi RVDOLPHI II. Regis, ab Anno 1576. ad 1608. quo Coronam Hungariæ Fratri ſuo Mathiæ reſignavit. Obiit 1612.

I. Numismata Mnemonica cum privilegio facta.

1. OMNIS. VICTORIA. A. DOMINO. Jaurinum mœnibus cinctum, & caſtra vicina; infra quæ occurrit avis, cornix in parmula, & hæ literæ: CVM PRIV.

In averſa: ANNO MDXCVIII. IST DIE VESTVNG RAAB DEN 29. MARTI. N. C. DVRCH WVNDER HILF GOTTES AVSS DES TVRCKEN GEWALT WIDERVMB EROBERT. DARVMB GOTT ALLEIN DIE EHR. Sequitur V. M. ſupra epigraphen ſcul-
T. VII. pta eſt laurea cum duobus palmæ ramis. *Arg. Comes Feſtetics.* Vid.
N. 220. Tab. VII. N. 220.

Bilingue hoc Numisma fecit *cum privilegio Valentinus Maler.* Id quod literæ V. M. in averſa, & Cornix, *Maleri* proprium inſigne, in antica occurrens indicat. Fuit is primum Aurifaber Norimbergæ, dein celebris Numiſmatum Inciſor, vulgo *Medailleur.* Obiit anno 1605. relicto artis hærede filio ſuo *Chriſtiano Maller;* qui poſtea in Numis a ſe factis has notas C. M. C. P. vel C. M. C. PRIVI. inſculpere ſolebat. *a*) Germa-

a) Vid. *Doppelmaiers* hiſt. Nachricht von Nürnb. Math. und Künſtlern pag. 215. Item: Sammlung berühmter Medailleurs, und Münz-Meiſter p[illegible]. nec non *Madai* Thaler Cabinet N. 2168. ſeq.

Germanicæ partis averſæ Epigraphe hunc habet ſenſum: *Anno* 1598. *Præſidium Jaurinum die* 29. *Martii N. C.* (*Novi Calendarii, des Neuen Calenders*) *mirabili auxilio Dei ex Turcarum poteſtate iterum ereptum. Quamobrem ſit ſoli Deo gloria.* *a*)

Amiſſum fuit *Jaurinum* anno 1594. Hardekio cum ſex præſidiariorum millibus ſeſe Turcis dedente: receptum memorabili ſtratagemate per Adolphum Schwarzenbergium anno 1598. In executione Stratagematis eminuit potiſſimum virtus *Palffi*, & *Barbacurti.* Hiſtoriam totius rei geſtæ ſumma cum accuratione narrat Nicol. *Iſtvánfius*, teſtis coævus Lib. XXXI. Ob hanc victoriam *Rudolphus* Cæſar *Barbacurto* donativi nomine quatuor millia aureorum illico numerari, & millenos inſuper quotannis ex ærario ſuo pendi juſſit. *Palffius* ab Auſtriacis poculo aureo mille numum aureorum pondere cohoneſtatus, nihil præmii a Cæſare poſtulavit, profeſſus, ſe omnem operam, quam in hac expugnatione præſtiterat, Patriæ ſuæ debuiſſe, ideoque gratuito impendiſſe. Schwarzenbergio autem data fuere centum millia aureorum, oppidumque Hoſtopecium in Moravia: præterea in perpetuam recuperati illo Duce Jaurini memoriam ad vetuſtiora familiæ Schwarzenbergicæ arma additum eſt caput Turcicum cum effigie Corvi adſidentis, oculosque Turcæ effodientis. Vid. Wappen Calender Tab. LXXII. Corvus enim Germanis *Rabb* dicitur, quo nomine *Jaurinum* quoque Civitatem iidem vulgo vocare ſolent, utut Jaurinum reapſe non *Rabb*, ſed *Raab* ſcribi ſoleat, hujusque nomi-

a) Non fruſtra in hac inſcriptione ad diem 29. Martii additur N. C id eſt, *Novi Calendarii*, Gregoriani ſcilicet correcti. Alibi enim, ubi illud nondum fuit receptum, numerabatur tunc 19. Martii. In Hungaria introduci cœpit anno 1588. Uti conſtat ex Articulo 28. Decreti dicto anno in Comitiis conditi. Ejusdem vero communis per Hungariam receptio præcipiebantur Articulo 45. Decreti Anni 1599. ſub mulcta mille florenorum.

nominis origo non ab alite, ſed a ſitu repeti debeat. Adjacet enim oſtio fluvii *Rabæ*, quondam *Arrabonis*, ubi conditam a ſe urbem Romani veteres *Arrabonam* appellavere, poſterioribus ſubin populis *Rabam* nuncupatam.

2. OMNIS. VICTORIA. A. DOMINO. Urbs Albaregalis, & caſtra. Supra urbem Aquila biceps coronata, nimbata, pectore gerens ſcutum Auſtriaco-Burgundicum. In imo Numi ſegmento: CVM PRIVIL. CAES. V. M. id eſt: *cum privilegio Cæſareo Valentinus Maler.*

In averſa hæc perigraphe: ALES. VT. PHOENIX. REVIVISCIT: SIC VNGARIA. OPE. DEI. SVB IMP. RVDOLPH. II. EXPVGNA: ALBÆ ARCE MDCI. D. XX. SEPT. REVIRESCIT. Phœnix ſuper accenſo rogo ſeſe attollens, pectore gerit ſcutum, Regni Hungariæ inſignia complectens. *Arg. ibidem.* Vid. Tab. VII. N. 221.

T. VII. N. 221.

3. ALBA REGALIS. 1601. Thronus quatuor columnarum ſub Conopeo, cum adſcenſu graduato; in ſupremo gradu corona culcitræ impoſita, retro quam velut in pariete ſceptrum, & gladius forma crucis decuſſatæ addita deſuper litera R.

In averſa: DVRCH AVFGAB NAMS EIN SOLIMAN. 1543. MIT SCHWERDT ES KAYSER RVDOLF GWAN. 1601. *Argent. ibidem.* Vid. Tab. VII. N. 221.

T. VII. N. 221.

Idem utriusque Numismatis eſt argumentum. Albam regalem, quam Solimannus anno 1543. deditione accepit, Imperator anno 1601. vi armorum recuperavit. Expugnationis Dux fuit Mercurianus. Vid. *Iſtvánfi Lib. XXXV.*

4. RO. IMP. EX SERENI. AVSTRIACA DOMO IN INVICTI RVDO. Aquila biceps coronata, addito anno 1584. & circa eandem quinque Capita Imperatorum Stirpis Auſtriacæ, additis ad ſingula his epigraphis 1*mo* RVDOLPH. I. IMP. 2*do* ALBERTVS

I. ROM.

I. ROM. IMP. 3*tio* FRIDERIC. II. ROM. IMP. 4*to* ALBERTVS II. ROM. IMP. 5*to* FRIDERIC. III. ROM. IMP. Superne eſt numerus I. qui quaſi priorem notat Numismatis paginam.

In averſa eſt continuatio cœptæ inſcriptionis: LPHI. II. EIVSDEMQ. DOM. HONOREM. NORI. F. V. M. C. PRIVIL. Medium Numi occupat Litera coronata R. adſtantibus binis figuris, altera cum gladio, & cum palmæ ramo altera. Retro eſt ſceptrum, & gladius in decuſſim poſita. Circum vero exſcuplta ſunt reliquorum quinque Imperatorum Auſtriacorum capita, additis ad ſingula his nominibus: 6*to* MAXIMIL. I. ROM. IMP. 7*mo* CAROLVS V. ROM. IMP. 8*vo* FERDINANDVS ROM. IMP. 9*no* MAXIMIL. II. ROM. IMP. 10*mo* RVDOLPH. II. ROM. IMP. Supra eſt Numerus II. velut alteram ejusdem Numismatis paginam indicans. *Aureus Octuplus in Muſeo R. Univ. Peſtin.*

Inſcriptio ſic legenda eſt: *Romani Imperatores Ex Sereniſſima Auſtriaca Domo in Invicti Rudolphi II. Ejusdemque Domus Honorem. Norimbergæ Fecit Valentinus Maler Cum Privilegio.*

II. Numi Aurei ejusdem.

1. RVDOL. II. D. G. RO. I. S. AV. GE. HV. B. R. Virgo Deipara coronata ſedens intra lunam bicornem dextro ſinu divinum puſionem tenet. Infra lunam parmula continens inſignia Hung. Dalm. Boh. & Auſtr.

S. LADISLAVS REX. 1581. Solita effigies hujus Sancti, & ſiglæ N. B. *Aureus Muſei Cæſ. Vindob.*

2. RVDOL. II. &c. ut ſupra. Imperator ſtans coronatus, & gladio præcinctus d. ſceptrum, s. globum crucigerum tenet.

S. LADISLAVS. HVNG. REX. 83. Scutum coronatum, Hungarico-Bohemicum cum parmula Auſtriaca in medio. *Aur. ſimplex. Ibidem.*

In

In hoc aureo nomen eſt *Sancti Ladislai* ſine hujus effigie. Additus numerus 83. indicat annum 1583. Idgenus compendia nonnunquam in ſigillis etiam ac diplomatibus reperiuntur.

3. PATRONA VNGARIE. 98. Effigies Deiparæ coronatæ cum Jeſulo, ſub pedibus luna, & infra hanc eſt caſtellum, ac binæ cruculæ.

RVDOL. II. D. G. ROM. IM. S. A. G. H. B. R. Effigies S. Ladislai ſolitis cum attributis, & literæ S. L. id eſt: *Sanctus Ladislaus. Aur. ſimpl. Ibidem.*

Numerus 98. pro 1598. Caſtellum infra iconem Marianam notat *Claudiopolim*, ubi hic aureus fuit procuſus. Tranſilvania enim hoc tempore paruit Rudolpho qua Regi Hungariæ; Sigismundus autem *Báthori* abdicato Principatu interea Pragæ in Bohemia morabatur.

4. RVDOL. II. G. RO. IM. S. AVG. GER. HVN. B. REX. Protome Imperatoris capite nudo, pectore loricato. Ad latus dextrum occurrit ſcutulum, in quo ſunt inſignia Hung. Boh. & Auſtr. Ad ſiniſtrum vero Icon Mariana cum Jeſulo, & ſceptro intra lunam bicornem.

ARCHIDVX AVSTRI. DVX. BVRG. MAR. MOR. ETC. 1601. Aquila biceps coronata, pectore gerens globum crucigerum Imperii, in cujus medio parmula Auſtriaca. Ad latera juxta Aquilam hinc gladius erectus, inde ſceptrum, & ſiglæ: N. B. *Aureus*
Tab. VI. *Decuplus Nagybányæ* ſignatus, Muſei Cæſ. Vindob. Vid. Tab. VI.
N. 214 N. 214.

Sub hoc primum Imperatore Aquilæ bicipiti gladius, & ſceptrum addita eſſe videntur. In aliis Numis hæc attributa unguibus tenet Aquila; in hoc juxta ſunt poſita.

5. RVDOL. II. &c. uti N. 1. Icon Mariana ſolitis cum attributis, & infra hanc parmula Auſtriaca.

S. LADIS-

S. LADISLAVS REX. 1603. Consueta hujus Sancti effigies, & siglæ K. B. *Aur. simplex. Reg. Univ. Pestien.* Vid. Tab. VII. N. 215. *T. VII. N.* 215.

Nomen, & effigies Sancti Ladislai in monetis hungaricis postremum occurrit sub Imp. *Rudolpho II.*

6. RVDOL. II. D. G. RO. IMP. S. AVG. G. H. B. REX. Aquila biceps coronata, gerens pectore scutum Austriaco-Burgundicum, torque aurei velleris circumdatum.

SOLI DEO GLORIA. CIVIT. CIBIN. ANNO. 1605. Duo enses decussatim positi, supra quos corona defluentibus binis lemniscis, & triangulum cum tribus foliis, infra enses Monoceros adsiliens, & ad latera siglæ: hinc H. inde AR. sub pileo. *Aur. simpl. Com. Festetics.* Vid. Tab. VII. N. 216. *T. VII. N.* 216.

Eodem anno 1605. Cibiniensis Civitas, Sedis Saxonicæ in Transilvania, non aureos tantum hujus typi, verum & argenteos Numos nomine Imp. *Rudolphi II.* feriundos curavit sub Judicatu *Alberti Hutteri*, alias *Huet* germ. *Süveg* hung. appellati. Meminit hujusmodi Numorum Samuel *Köleserus* in Auraria Romano-Dacica p. 160. & seq. & Joann. *Seivert* eodem loco in Notis, qui figuras partis aversæ hunc in modum interpretatur ibidem p. 169. „Enses, inquit, coronati Civitatis Cibiniensis insigne: Triangulum vero Vniversitatis Nationis Saxonicæ a tempore Regis Ludovici I. nec non Judicatus Cibiniensis. Litera H. non, ut *Schmeizelius* voluit, Consulis Georgii *Hechtii* (*Csukás*) nomen denotat, quippe qui ante diem V. Octobr. MDLXXX. terrenis valedixerat; sed sicut in aliis *Herrmannstadt.* Pileus cum unicornu arma sunt Domus *Hutianæ.*“ Vide etiam, quæ infra notabimus ad Argenteum ejusdem inscriptionis, ac typi Numisma unciale.

7. PATRONA VNGARI. 1604. Icon Mariana solitis cum attributis, & siglæ: N. B.

RVDOL. II. D. G. RO. IM. S. A. G. HV. B. R. Scutum, in quo insignia Hung. Dalm. Boh. Austr. *Aureolus* Musei Cæs. Vindob. Vid. Tab. VII. N. 217.

T. VII. N. 217.

Hic simplicis aurei est *semis*, exstant vero & *quadrantes* ob exiguitatem suam rari.

III. Argenteæ Monetæ magni moduli.

1. RVDOLPHVS II. D. G. RO. I. S. AV. G. H. B. REX. Protome Imperatoris capite nudo d. sceptrum tenentis, vultu sinistrorsum converso, ante quem est corona Imperialis super mensula.

ARCHIDVX. AVS. DVX. BVRG. MAR. MORA. 1580. Aquila biceps capitibus nimbatis, pectore gerens scutum, in quo insignia Hung. Dalm. Boh. & in medio parmula Austriaca. Supra Aquilam icuncula Mariana consuetis cum attributis. Siglæ: H. S. *Talerus* Mus. Cæs. Vienn. editus Monnoies en argent p. 151.

In hoc elegantissimo Numismate siglæ H. S. verisimiliter sunt literæ initiales vocabulorum *Herrmannstadt*, & *Süveg*. Posterius istud fuit Alberti *Hut* cognomen Hungaricum, idem quod *Hut* lat. *Pileum* significans. Cujus in Regio Judicatu Cibiniensi decessor Augustinus *Hedwig*, aliter *Szőts*, lat. *Pellio* cognominabatur.

2. + RVDOL. II. D. G. RO. IM. S. AV. GER. HVN. BOH. REX. Protome Imperatoris capite nudo. Ad latera intra ipsam perigraphen occurrit a dextris scutulum complectens insignia Hung. Dalm. Boh. & Austr. a sinistris vero consueta icuncula Mariana.

ARCHIDVX AVS. DVX BVRG. MAR. MORA. 1588. Aquila biceps coronata, capitibus nimbatis, alis minus, quam alias expansis, pectore gerens pomum Imperii, pedibus autem, dextro strictum ensem, sinistro sceptrum. Siglæ: K. B. *Talerus*. *C. Festetics*. Vid. Tab. VII. N. 218.

T. VII. N. 218.

In hoc unciali Numismate, Cremnicii signato, Aquila biceps occurrit cum præcipuis Imperii Romano germanici armis heraldicis.

Primum

Primum enim ejusdem capitibus imminet Corona clausa ejus formæ, quali primus omnium *Carolus V.* usus fuisse creditur *Spenero* P. I. Herald. p. 312. Deinde hæc Aquila dextro pede tenet gladium, vetus illud temporalis jurisdictionis symbolum, quo manus Regum, ac Principum in monumentis armantur; sinistro autem sceptrum, quo supremi Principes jam ætate Homeri utebantur. Demum pectori Aquilæ additum est pomum Imperii, quod nonnulli Mundum appellant, & de cujus origine disceptatur.

3. RVDOL. II. &c. ut in antica præcedentis.

DVX BVR. MARCH. MORA. 1598. NAGIBANIA. Aquila biceps, coronata, pectore gerens globum crucigerum cum parmula Austriaca eidem globo imposita, juxta Aquilam erectus hinc gladius, inde sceptrum. *Talerus Musei Cæs. Vienn. editus Monnoies en argent.* p. 151.

Hoc Numisma argenteum hoc solo differt ab Aureo Decuplo, supra descripto, ac Tab. VI. N. 214. depicto, quod locum cusionis integro vocabulo NAGIBANIA, & quidem intra perigraphen habeat expressum, cum in *Aureo* siglis dumtaxat N. B. in area exsculptis, notetur. De *Nagy-Bánya* hæc sunt apud P. Steph. *Kaprinay* P. II. Hung. Diplom. p. 349. „*Rivulus Dominarum* urbs libera regia montana, vulgo *Nagybánya*, idcirco dicta, quod magna olim, ac dives illic fodina fuerit. In antiquis Regum literis dicitur *Rivulus Dominarum* non propterea, ut plerique putant, quod Reginarum Hungariæ dos fuerit, sed quia ad *Rivulum*, quem nunc etiam Hungari *Aszszony-Pataka* ea causa vocant, quod olim mulieres aurum in eo lavare solebant, sit conditum. Vidi literas Sigismundi Regis in prototypo ab Exc. Comite Emerico Sztarai de Nagy - Mihály mecum communicatas, in quibus legi Petrum de Tyba Parochum de *Aszszony - Pataka*, qui in aliis ejusdem Sigismundi Regis literis Parochus de *Rivulo Dominarum* nuncupatur. Ex quo elucet

Nagybányam olim Hungaris *Aſzſzony-Pataka* fuiſſe nominatam, quod latinis idem eſt ac *Rivulus Dominarum.* Gaudet urbs hæc Camera, ſive Domo monetali, in qua percuſſi Mathiæ temporibus Numi duobus malleolis, decuſſatim poſitis, ac ſiglis N. B. id eſt *Nagybánya* ſignabantur.“ Et nos Numum Ludovici II. ſupra deſcripſimus, in quo *David de Berend* Comes Cameræ Nagybányenſis vocatur Comes *Cameræ Rivuli Dominarum.* Germani eandem Civitatem appellant *Neuſtadt*, ſive Novam Civitatem, teſte *Thurnſchwambio.* Sed non recte *Jacobus a Mellen* in deſcriptione præſentis Numismatis (Vid. Syllogen Numism. uncialium p. 87.) *Nagybányam* confundit cum *Kapnik Bánya.* Hæc enim ſunt diverſorum nomina locorum. *Nagybánya* ſcilicet in Comitatu Szathmárienſi, *Kapnik* autem in Diſtrictu *Kővár*, qui a Comitatu Szólnok mediocri per bella civilia quondam avulſus erat.

4. RVDOL. II. D. G. R. IMP. S. AVG. G. H. B. REX. Aquila biceps coronata, pectore gerens ſcutum Auſtriaco - Burgundicum.

SOLI DEO GLORIA. CIVIT. CIBIN. ANNO 1605. Corona duobus lemniſcis defluentibus, infra quam tria folia in triangulo, & duo enſes decuſſatim poſiti, infra quos occurrit ſaliens Monoceros, & ad latera ſiglæ H. & literæ AR. pileo Iudicatus Regii tectæ. *Talerus C. Feſtetics.* Vid. Tab. VII. N. 219.

T. VII. N. 219.

De occurrentibus in hoc Numismate armis heraldicis Cibinienſis Civitatis, & Judicatus Regii in eadem, Sedisque Saxonicæ in Tranſilvania, nec non gentilitiis *Hutii*, ſeu *Huteri*, eo tempore Judicis Regii, inſigniis dictum eſt in Numis aureis *Rudolphi II.* ad Aureum ibidem N. *6to* deſcriptum; in quo idem plane typus, eædemque inſcriptiones ſunt, quæ in præſente argenteo unciali. Hoc loco imprimis de hac ſententia inſcripta: SOLI DEO GLORIA notari velim, eandem apud *Koehlerum* ſæpius in Numis Danicis, Saxonicis,

nicis, aliisque reperiri. *a*) Enſes decuſſati Saxonicæ Nationis proprii ſunt in Germania, a quibus ut Tranſilvanici diſtinguerentur, ſub Rege Ludovico I. addere placuit triangulum cum tribus foliis, quæ *Seivert* Nympheæ folia vocat. Familiæ *Hutianæ*, ſive *Huterianæ*, ex qua Judicatum Regium Cibinii in Tranſilvania geſſit *Albertus*, huic de quo agimus Numo inſcriptus, ſcutum heraldicum in Promptuario Hungarico ſic deſcribitur: *b*) „Das Huetiſche Wappenſchild führet zween Helme; den erſten bedeckt ein *Fürſtenhut*, woraus ein aufgerichtetes Schwerdt mit einem Lorbeerzweige umwunden; den zweiten eine offene Krone, und darauf ein halbes gekröntes Einhorn, mit einer fliegenden Binde um den Hals. Der Schild ſelbſt iſt quadrirt, und wird von zween Greifen gehalten. Im erſten, und vierten Felde ein *Fürſtenhut*, in dem übrigen ein ſpringendes gekröntes Einhorn mit einer fliegenden Binde an dem Halſe.“ Hinc intelliges cauſam pilei principalis, quo AR, id eſt, *Albertus Regius* Judex, in hoc Numo tegitur, ſimulque Monocerotis ſalientis rationem. Ceterum Albertus *Hutius*, ſive Huterus, qui anno 1605. hac inſcriptione, & hoc typo Numos aureos pro Imp. Rudolpho II. cudi fecit, anno ſequente ſimiles etiam nomine *Stephani Bocskai*, qui Tranſilvaniæ Principatum invaſerat, ſignavit, quemadmodum id ſuo loco videbimus.

IV. Groſſi & Denarii arg. ejusdem.

1. RVDOL. II. D. G. RO. IM. S. AV. GE. HV. B. R. Deipara capite velato ſedens dextro ſinu geſtat Jeſulum, qui d. pomum tenet. Siglæ: K. B.

MONETA. NOVA. ANNO DOMINI. 1595. Scutum quadripartitum, in quo 1*mo* faſciæ quatuor, 2*do* Crux patriarchalis. 3*tio* Capita

a) *Münzbeluſtigung* T. I. p. 401. T. III. in præf. §. 32. T. IV. p. 442, T. VIII p. 201. T. XX. p. 153. & XXI. p. 384.

b) Ungriſches Magazin III. Band. p. 157.

T. VII. Capita tria coronata Dalmatiæ. *4to* Leo Bohemiæ; & in centro ſcuti
N. 223. parmula Auſtriaca. *Groſſus arg. C. Feſtetics.* Vid. Tab. VII. N. 223.

2. PATR. 1600. HVNG. Deipara coronata ſedens d. ſinu gerit Jeſulum. Siglæ: K. B.

RVD. II. RO. I. S. AV. G. H. B. R. Scutum, in quo in-
T. VII. ſignia Hung. Dalm. Boh. & parmula Auſtraca. *Groſſus diametro de-*
N. 224. *narii, ſed mole craſſiuſcula R. Vniv. Peſt.* Vid. Tab. VII. N. 224.

3. PATRONA. VNGARIE. Icon Mariana, & ſiglæ: K. B.

RVDO. II. RO. I. S. AV. GE. H. BO. RE. 1579. Scutum,
T. VII. in quo inſignia Hungariæ, Dalm. Boh. Auſtriæ. *Denarius obvius.*
N. 222. Vid. Tab. VII. N. 222.

4. PATR. 1580. HVNG. Conſueta Icon Mariana, & K. B.

T. VII. RVD. II. RO. I. S. AV. G. H. B. R. Scutum ut in præ-
N. 225. cedente. *Denar. obvius.* Vid. Tab. VII. N. 225.

5. Nulla epigraphe. Deipara coronata, nimbata, intra lunam bicornem, cum Jeſulo in ſinu dextro. K. B. & quatuor roſulæ.

Scutum, in quo ſolita inſignia Hungariæ, Dalmatiæ, Bohemiæ, & parmula Auſtriaca. Supra ſcutum annus 1601. ad latera
T. VII. duæ roſæ. *Obolus argenteus. Reg. Univ. Peſtienſis.* Vid. Tab. VII.
N. 226. N. 226.

CAPUT SECUNDUM.

Numi Regum Hung. Sæculi XVII. deſcripti, & illuſtrati.

§. IV.

Numi MATHIAE II. Regis, ab Anno 1608. *ad* 1619.

I. Numismata mnemonica ex auro, & argento.

1. MATHIAS II. REX HVNGARIAE CORONATVS. MDCVIII. Caput ſacra Regni Hungariæ corona cinctum, ad pectus cum aureo vellere.

✝ MEMORIÆ ✝ ERGO: CIVITATES ET OPPIDANI INFERIORIS AVSTRIÆ PROPRIIS SVIS SVMTIBVS FIERI FECERVNT. Laurea cum duobus palmæ ramis. *Aureus magni moduli Muſei Cæſ. editus in Monnoies en Or.* p. 106.

Qua ratione contigerit, ut Mathias Archidux, vivo adhuc fratre Rudolpho, quin renitente etiam, Rex Hungariæ jam anno 1608. coronaretur, vide Iſtvánfi epitomen Libro XXXV. & *ſeq.* Ex Proceribus Hungariæ præcipuas in hoc negotio perſonas egerunt, Stephanus *Illésházy*, & Georgius *Turſo*, uterque poſtmodum Regni Palatinus. Ex Auſtriacis vero Paulus Trautson, Carolus Lichtenſtein, & Seifridus Preuner. Solemnitas Coronationis Poſonii peracta fuit die 19. Novembr. adplaudentibus vicinæ Auſtriæ inferioris Civitatibus, & oppidis, quæ ad conteſtandam lætitiam publicam Numismata propriis, ut in epigraphe notatur, ſumptibus fieri fecerunt.

2. MATHIAS D. G. ARCHID. AVST. ETC. SVPR. EXERC. BEL. IN HVN. INFER. DVX. Mathias Eques veſtitu hungarico d.

ſceptrum

ſceptrum belli ducibus proprium, s. habenas equi. Infra: MILITEMVS. 1601. Intra pedes Equi M. S.

STRIG. CAP. AN. 1595. SEP. 2. Proſpectus arcis Strigo-
T. VII. N. 231. nienſis, & caſtrorum. *Arg. uncial. C. Feſtetics.* Vid. Tab VII. N. 231.

De *Strigonio* auſpiciis Imp. Rudolphi II. per Mansfeldium oppugnato, & poſt hujus obitum per Mathiam Archiducem expugnato anno 1595. die 2. Septembris, Conſule *Iſtvánfium* Lib. XXIX. Præſens Numisma ſexto poſt anno, ſcilicet, ut in antica eſt, 1601. factum fuit per Norimbergenſem Monetarium, quem literæ inſculptæ M. S. produnt, *Michaëlem Schalenberger.* Vocabulum MILITEMVS Numismati huic inciſum, propria fuit velut teſſera *Mathiæ* Archiducis inde a teneris, ut ajunt, unguiculis ſub inſtitutore ſuo Augerio Gislenio *Busbequio.*

3. MATHIAS II. REX VNGARIAE CORONATVS. M. D. CVIII. Protome Regis coronati, ad humeros cum paludamento, ad pectus cum aureo vellere.

ABVNDANTIA: DILIGENTIBVS: TE: Mulier laureata, ſtolata ſtans inter flores, dextera tenet palmam, ſiniſtra cornucopiæ.
T. VIII. N. 235. Juxta pedes ſertum. *Arg. C. Feſtetics.* Vid. Tab. VIII. N. 235.

4. Monogramma nominis *Mathiæ II.* coronatum ſacra Regni Hungariæ corona, intra lauream.

CORONATVS HVNGARIÆ REX MDCVIII. Intra lauream.
T. VIII. N. 236. *Arg. Reg. Univ. Peſt.* Vid. Tab. VIII. N. 236.

5. MATHIAS II. D. G. HVNGARIÆ. ET. BOHE: REX. Protome Regis pileati, ac torque aurei velleris ornati.

MANET VLTIMA COELI. CVM PRI. C. M. Figura galeata, ſtolata, d. ſceptrum tenet, s. palmæ ramum juxta pedes a dextris corona hungarica, a ſiniſtris bohemica, ſupra caput vero intra nubes corona Imperialis. *Arg. Com. Feſtetics.* Vid. Tab. VIII.
T. VIII. N. 237. N. 237.

Hujus

Hujus Numismatis Auctor *Christianus Maler*, Norimbergensis Monetarius privilegiatus, typum, & hanc epigraphen: MANET VLTIMA COELI, mutuatus est ex Numo *Henrici III.* primum Poloniæ, dein Galliarum Regis. Delectu quidem haud satis idoneo; tertia enim corona, quæ post duas jam obtentas manebat *Mathiam*, adhuc *terrestris* erat, scilicet Imperii Romano-Germanici, non vero *Coeli*, ab obitu primum obtinenda. Refert *Thuanus*, hostes Regi *Henrico III.* illudentes, epigraphen hanc illius Numismatis: *Manet ultima coeli*, convertisse in istam: *Manet ultima claustri*; addito epigrammate:

„ Qui dederat binas, unam aufert, altera nutat:
Tertia tonsoris conficienda manu est.“ *a*)

6. MATHIAS II. D. G. HVN. ET BOHE. REX. ARC. AVS. DVX. BVR. CO. TI. Protome Regis, amictu hungarico, cum torque aurei velleris.

AMAT VICTORIA CVRAM. Arbor pomis aureis onusta intra septum, ad cujus ostium Draco excubat. *Arg. figura ovali. R. Univ. Pest.* Editum ap. Franc. *Palma* in specimine *Herald. Hung.* p. 87. & apud *Voigt l. supr. cit. T. III. Tab. V.*

Cum in hoc Numismate Mathias nondum habeat titulum *Electi Romanorum Imperatoris*, oportuit signatum esse ante ann. 1612. Hæc Epigraphe: *Amat Victoria Curam* reperitur etiam in alio Numismate *Mathiæ* nondum Regis, sed Archiducis tantum titulo inscripti, quod sic habet:

7. MATHIAS D. G. ARCHID. AV. D. B. C. TYR. Protome capite nudo, pectore, & brachio loricato, cui hæ literæ insculptæ: PETER. F. 99. id est: *Peter fecit.* 1599.

AMAT

a) Vid. Thuanus hist. Lib. XCVI. Mezeray T. III. histoire de France. Köhler Münzbelustigung T. III. 269.

AMAT VICTORIA CVRAM. Grus uno ſpede inſiſtens paterae, aquila bicipite ornatae, & altero pede elevato ſuſtentans lapidem. Juxta pateram arma Turcica, in quorum medio corona. Supra eſt proſpectus Arcis, & Civitatis Srigonienſis, cum parte fluminis Danubii. *Argent. magni moduli apud Köhler, Münzbeluſtigung T. III. p.* 347.

8. MATHIAS ELECT. IN REGEM ROMANO. CORON. FRAN. AD MO. 24. IVN. Protome Regis laureati, & aureo vellere ornati.

ANNA MATHIÆ ROM. IMP. CONIVNX. CORON. FRA. AD MOE. 26. IVN. 1612. Protome Imperatricis, ac Reginae coronatae. *Aureus quinduplus R. Univ. Peſtin.*

Solennia Coronationis Francofurti ad Mœnum anno 1612. peractae vid. ap. C. Chriſtophorum *Khevenhüller* T. VII. Annalium Ferdinandeorum.

8. ✠ MATHIAS II. D. G. H. B. REX CORO. IN REG. ROM. 24. IVN. 1612. Protome Regis laureati, cum torque aurei velleris ad pectus.

CONCORDI LVMINE MAIOR. Corona ſolem inter ac Lunam media. *Aur. dupl. ibidem.*

Editus inter aureos Muſei Caeſ. Vindobon. p. 59.

9. MATHIAS II. D. G. REX HVNGARIÆ. ETC. Protome Regis corona hungarica coronati, & aureo vellere ornati.

Scutum Hungariae in medio poſitum, & circumdatum novem aliis minoribus Regnorum ad coronam Hungariae ſpectantium ſcutis, addita inſcriptione circa ſcutum majus. ✠ HVNGARIÆ. & ſupra alia ſcutula his literis: D. C. S. R. S. G. L. C. B. id eſt: Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniae, Raſciae, Serviae, Galliciae, Lodomeriae,
T. VII. N. 230. Cumaniae, Bulgariae. *Aur. & arg. C. Feſtetics.* Vid. Tab. VII. N. 230.

II.

II. Aurei communes Mathiæ II.

1. MATHIAS II. D. G. REX HVN. DESIG. IN REG. BOHE. Protome Regis corona clauſa hungarica redimiti, ad pectus cum aureo vellere.

ARCHID. AVS. DVX. BVR. MAR. MO. CO. TYR. 1609. Scutum coronatum, aureo vellere cinctum, in quo Inſignia Hung. Boh. Hiſp. Brabantiæ, Moraviæ, Tyrolis, & in medio ſcuti parmula Auſtriaco-Burgundica. *Aur. decupl. Muſei Cæſ. Vindob. editus a Du Val.*

2. MATHIAS II. D. G. HVNG. ET DESIGN. BOHEM. REX. Protome Regis, ut in præcedente.

ARCH. AVS. DVX BVR. MAR. MO. CO. TYR. 1609. Scutum coronatum, ac torque aurei velleris cinctum, in quo arma Hung. Boh. Tyrolis, & parmula Auſtriaco-Burgund. *Aur. ſimplex. Ibidem.*

3. MATHIAS D. G. REX. HVN. Stans Rex coronatus diademate hungarico, cum ceteris ornamentis Regibus Hung. in ſolemnitate coronationis propriis d. tenet ſceptrum, s. globum duplici cruce inſignem, & ſiglæ: K. B.

DES. IN REG. BO. AR. AVS. ETC. 1609. Deipara coronata, nimbata, ſedens intra lunam bicornem, radiis undique promicantibus d. ſceptrum, ſiniſtra Jeſulum tenens. Infra eſt parmula Auſtriaca. *Aur. ſimpl. ibidem.*

In his, aliisque ad annum usque 1611. ſignatis Numis *Mathias* inſcribitur *Deſignatus Bohemiæ Rex.* Nam Rudolphus frater nondum illi Bohemiam, & Auſtriam ceſſit.

4. MATHI. (*ſic*) II. D. G. HVN. BO. REX. Stans Rex coronatus hungarico diademate, in caſula, ſeu pallio, & reliquo Regibus Hungariæ ornatu tempore coronationis proprio, d. tenet ſceptrum, s. globum duplici cruce inſignem. Siglæ: K. B.

AR. AV. DV. BV. MA. MO. CO. TY. 1613. Deipara coronata, nimbata, in pleno lumine d. tenet ſceptrum, s. Jeſulum, qui globum crucigerum læva manu gerit. Sub pedibus luna bicor-
T. VII. N. 228. nis. Infra eſt parmula Auſtriaca. *Aureus ſimplex ibidem.* Vid. Tab. VII. N. 228.

Dubito, an in hoc aureo reapſe annus 1613. occurrat; nam in omnibus aliis Numis poſt annum 1612. ſignatis *Mathias* jam ſimul titulum *Electi Romanorum Imperatoris habet.*

5. Alius, in quo & epigraphe, & figuræ utriusque partis eodem modo ſunt, ut in præcedente, ſed annus eſt 1616. *Aur. ſimpl. R. Univ. Peſtin.*

6. MATT. (*ſic*) D. G. R. I. S. A. GE. HV. B. REX. Imperator coronatus, palliatus, loricatus ſtans d. tenet ſceptrum, s. globum crucigerum. Siglæ: N. B.

AR. AV. DV. BV. MA. MO. CO. TY. 1616. Deipara coronata ſedens intra lunam bicornem d. tenet ſceptrum, s. Jeſulum, in cujus manu eſt globus cruciger. Infra lunam parmula coronata bipertita complectens 4. faſcias, & crucem geminatam colli inſiſten-
T. VII. N. 229. tem: *Aur. ſimpl. Muſei Cæſ. Vindob.* Vid. Tab. VII. N. 229.

7. MATTHIAS D. G. RO. I. S. AV. G. HVN. B. REX. Stans Rex palliatus, loricatus, coronato capite, d. ſceptrum, s. pomum Imperii crucigerum tenet. Siglæ: K. B.

ARCHID. AV. D. BVR. MAR. MORA. CO. TYRO. 1614. Deipara in pleno lumine ſedens coronata d. ſceptrum tenet, s. Jeſulum. Infra pedes luna, & ſub hac eſt parmula continens Regni Hungariæ inſignia. *Aureus octuplus, & alter ſimplex Muſei Cæſ. editus in Monnoies en Or.* p. 106.

8. MATTH. II. D. G. RO. IM. S. A. G. HV. B. R. Effigies ſub prioribus Regibus conſueta Sancti Ladislai ſtantis coronati, loricati, ac dextra bipennem, ſiniſtra globum crucigerum tenentis. Siglæ: N. B.

PATRO-

PATRONA HVNGARI. 1614. Deipara coronata ſedens intra lunam cum Jeſulo. *Aur. ſimpl. ibidem.*

Nagybányenſis hic aureus *Mathiæ II.* rarior eſt ceteris, ob effigiem Sancti Ladislai, utut ſine hujus nomine, occurrentem, quæ ab obitu Imp. Rudolphi II. non facile amplius in monetis hungaricis reperitur.

III. Argenteæ Monetæ majores, Talleri integri, hujusque partes.

1. MATTHI. II. D. G. REX. HVNG. ZC. DESIG. IN REGEM BO. Protome Regis coronati clauſa corona, ad pectus cum aureo vellere. Supra caput icuncula Deiparæ ſolitis cum attributis.

ARCHID. AVS. DVX BVR. MAR. MO. CO. TYR. 1610. Scutum coronatum, ac torque aurei velleris cinctum, in quo 1) quatuor faſciæ hungaricæ, & crux patriarchalis ſuper tricolli coronato. 2) Leo coronatus bohemicus cum cauda bifurcata. 3) Tria capita coronata Leopardina Dalmatiæ. 4) Aquila teſſellata Moravica expanſis alis. In centro autem ſcuti parmula Auſtriaco-Burgundica. Siglæ: K. B. *Tallerus Muſei Cæſ. Vindob.* Vid. Tab. VII. N. 232. *T. VII. N. 232.*

Anno Numismatis hujus 1610. inita fuit ratio quædam concordiæ inter fratres Imp. Rudolphum & Mathiam Regem, minime tamen diuturna; quippe tumultu Paſſavienſi exorto, Mathias Bohemiam ingreſſus, Rudolphum, ut hanc etiam ſibi vivus cederet, coegit: Vid. *T. VII. Annal. Ferdinand.* & *Balbini Epitome rer. Boh. Lib. V. p.* 620.

2. MATTHIAS. D. G. RO. I. S. AVG. GER. HVN. BOH. REX. Protome Imperatoris capite laureato, ad pectus cum aureo vellere. Intra perigraphen autem duo ſigilla, hinc nempe ſcutulum coronatum cum utrisque Regni Hungariæ armis, inde conſueta icuncula Mariana.

ARCHI-

ARCHIDVX. AVS. DVX. BVR. MAR. MOR. CO. TYR. 1620. Aquila biceps coronata, nimbata, ense, & sceptro armata, alis expansis, gerens pectore scutum coronatum, in quo fasciæ quatuor hungaricæ alternant cum leone bohemico, & in centro scuti est parmula Austriaco-Burgundica. Siglæ: K. B. *Talerus C. Festetics.*
T. VII. N. 233. Vid. Tab. VII. N. 233.

3. MAT. D. G. RO. IM. S. AV. GE. HV. BO. REX. Caput laureatum, & reliqua omnia ut in præcedente.

ARCHI. AV. DV. BV. MA. MO. CO. TY. 1620. Aquila biceps coronata &c. ut in aversa præcedentis. *Quadrans Taleri ibidem.*
T. VIII. N. 234. Vid. Tab. VIII. N. 234.

Cum Imp. *Mathias II.* die 20. Martii 1619. obierit, quemadmodum ex Annalibus constat, hic vero, & præcedens Numus ejusdem Mathiæ præseferat annum 1620. necesse est, alterutrum evenisse, ut nempe hi Numi jam primis mensibus anni 1619. fuerint procusi, ac signati numero anni subsecuturi 1620. vel certe continuata fuerit nomine *Mathiæ*, quamvis jam defuncti cusio nonnullarum monetarum. Hoc posterius credidit *C. Petrus Révay* scribens factum esse ad perpetuandam *Mathiæ II.* memoriam, ut longo post funera sua tempore argentum, & aurum currentis monetæ imagine, & signis ipsius cuderetur. *a*) Sed opinione mea, rectius *Katona*: *b*) „Crediderim, inquit, id ideo factum esse, quod typi pro cudenda moneta parati jam antea fuerint, qui nunc etiam, donec destruantur, adhiberi, regnante jam alio Rege, solent.“ Et vero ipse quoque memini, cusionem monetarum, nomine, & imagine Imp. FRANCISCI I. signatæ, multis post hujus obitum annis, jubente Augusta M. THERESIA, continuatam fuisse, verum nunquam

alio,

a) Vid. Révay de Monarch. S. Coron. ap. Schwandtner T. II. p. 819.
b) Tom. XXIX. Hist. Crit. R. Hung. p. 956.

alio, quam postremo vitæ ipsius anno, in moneta signato, scilicet 1765. Ita enim oportebat, ne posteris præberetur occasio erroris.

IV. Grossi, ac denarii ejusdem.

1. MATHIAS. D. G. RO. I. S. A. GE. HVN. BO. R. Scutum bipertitum; a dextris quatuor fasciæ, a sinistris crux patriarchalis super Tricolle coronato. N. B.

PATRONA. HVNGARIE. 1614. Deipara sedens coronata, nimbata, d. sceptrum, s. Jesulum nimbatum gerens: sub pedibus luna bicornis. *Grossus R. Univ. Pestin.* Vid. Tab. VIII. N. 238. *T. VIII. N.* 238.

2. PATRONA HVNGARI. Deipara in pleno lumine coronata, nimbata, d. sceptrum, s. Jesulum gerens: sub pedibus luna; & infra hanc parmula Austr.

MAT. II. D. G. HV. BO. REX. 1612. Scutum coronatum cum utroque insigni Hungariæ. Siglæ: K. B. *Denar. argent. ibidem.* Vid. Tab. VIII. N. 239. *T. VIII. N.* 239.

3. PATRONA HVNGAR. 1615. Deipara coronata sedens cum Jesulo in sinu sinistro.

MAT. D. G. RO. I. S. AV. GE. HVN. BO. R. Scutum exhibens a dextris 4. fascias, a sinistris crucem duplicatam Tricolli coronato insistentem. Siglæ N. B. *Denar. ibidem.* Vid. T. VIII. N. 240. *T. VIII. N.* 240.

4. Nulla epigraphe. Icon Mariana in pleno lumine, cum sceptro, & Jesulo. Scutum coronatum exhibens utrumque Regni Hung. insigne. Siglæ: K. B. & annus 1613. *Obolus Kremnicensis ibidem.* Vid. Tab. VIII. N. 241. *T. VIII. N.* 241.

§. V.

Numi FERDINANDI II. Regis, ab Anno 1619. ad 1637.

I. Numismata mnemonica, & Monetæ magni moduli.

1. FERDINANDVS II. BOHEMIÆ REX CORONATVS IN REGEM HVNGARIÆ. DIE. I. IVLII. 1618. Supra hanc epigraphen corona cum duobus palmæ ramis.

LEGI-

LEGITIME CERTANTIBVS. Scriptum in Scheda per coronam transeunte in forma Literæ S. *Aureus Musei Cæs. Vindob.* Vid. Tab. VIII. N. 242.

T. VIII. N. 242.

2. Corona inter duos palmæ ramos, infra quam litera F. & II. situ perpendiculari. Ad latera particulæ ex torque aurei velleris, repræsentantes silicem cum scintillis, & chalybem.

CORONATVS IN REGEM HVNGARIÆ. I. IVLII. 1618. Supra hanc epigraphen corona inter duos palmæ ramos. *Arg. formæ quadrangularis ibidem.* Vid. Tab. VIII. N. 245.

T. VIII. N. 245.

Videns *Mathias II.* nullam sibi spem sobolis esse ex Anna Austriaca Conjuge sua, successorem sibi ad præcavendas turbas designavit *Ferdinandum*, Caroli Archiducis in Styria filium, hunc ipsum nempe, cujus olim a Regno excludendi causa in fratrem Rudolphum Cæsarem ante aliquot annos insurrexerat. Igitur suum hunc ex fratre nepotem Ferdinandum anno 1617. Bohemiæ, sequente autem 1618. Hungariæ Regem, se adhuc vivo coronari fecit. Cujus coronationis tempore Numismata nunc descripta in vulgus spargebantur, quorum alterum inscribitur sententia novo Regi postmodum familiari, & symbolica: *legitime certantibus.*

3. Antica, uti in præcedente F. II. &c.

CORONATVS IN REGEM ROMANORVM. IX. SEPT. 1619. Corona cum duobus palmæ ramis. *Arg. formæ quadrangularis R. Univ. Pestin.*

Coronatio *Ferdinandi II.* in Regem Romanorum incidit non in diem 19. uti Burghardus in Notis ad Mellenium p. 202. scribit, sed in 9. Septembr. anni 1619. teste hoc Numo missili. Refert autem C. Khevenhüller T. IX. Annalium Ferd. p. 447. quatuor fuisse species missilium idgenus Numorum occasione coronationis Francofurtensis distributas. Ex quibus majores Numi, ex auro & argento procusi, exsculptum habuere brachium humanum, de nubibus pro-

tenſum, cujus extrema manus tenebat coronam cum epigraphe hac: *legitime certantibus.* Hic fuit typus anticæ partis: in averſa vero inſcriptum erat: *Ferdinandus II. Hungariæ, & Bohemiæ Rex coronatus in Regem Romanorum IX. Septembr. Anno* 1619. Alii minoris formæ Numi partim orbiculares, partim quadrangulares, epigraphen, ac typum præſeferebant, qualem iſthic N. 3. deſcripſimus.

Lætitiam tamen, quam *Ferdinandus II.* e coronatione ſua percipere poterat, haud multo poſt interturbarunt graviſſimæ adverſitates. Eodem enim anno Bohemi Proteſtantes vexillum ſeditionis ſuſtulere, proclamato Rege Friderico Rheni Palatino, unde belli tricennalis flamma eruperat. Eodem novæ religionis obtentu, & Gabriel Bethlen Tranſilvaniæ Princeps Hungariam invaſit, Poſonium usque progreſſus, auſusque Regis Hungariæ titulum uſurpare.

4. FER. II. D. G. R. I. S. A. GE. H. B. REX. Protome Imperatoris capite laureato, cultu hiſpanico, ad pectus cum torque aurei velleris, cui manus e nubibus protenſa ſacram Regni Hungariæ coronam offert cum lemmate Schedæ brachio circumvolutæ inſcripto: LEGITIME CERTANTIBVS. Infra Protomen Imperatoris occurrunt literæ H. G. id eſt: *Hans Gebhard* fecit. (Monetarius Norimbergenſis ab anno circiter 1597. ad 1622.)

In averſa. + HVNGARIÆ. Scriptum circa Scutum Regni Hungariæ in medio poſitum, ambientibus illud aliis novem ſcutulis Regnorum ad coronam Hungariæ ſpectantium, quorum nomina primoribus literis D. C. S. R. S. G. L. C. B. indicantur, ſimiliter uti ſupra in Numo Mathiæ II. *Talerus C. Feſtetics.* Vid. Tab. VIII. *T. VIII.*
N. 246. *N. 246.*

Numisma hoc, etſi temporis nota deſtitutum, arbitror procuſum fuiſſe anno 1622. quo *Ferdinandus II.* victoriis illuſtris, pace cum *Bethlen*io inita, ſacram Regni coronam recepit, eademque Conjugem ſuam *Eleonoram* Auguſtam in Comitiis Sopronienſibus menſe

Julio inaugurari fecit. Corona hæc tribus fere annis fuit in potestate Gabrielis Bethlenii.

5. FERDINAND. II. D. G. RO. I. S. AVG. GER. HVN. BOH. REX. Protome capite laureato, ad pectus cum aureo vellere. Ad latera, intra ipsam perigraphen hinc scutulum Regni Hung. inde icuncula Mariana.

ARCHIDVX. AVS. DVX BVR. MAR. MOR. CO. TYR. 1622. Aquila biceps coronata, gladio, sceptroque armata, pectore gerens Scutum coronatum, in quo sunt insignia Hung. ac Boh. & in medio parmula Austriaca. Siglæ: K. B. *Talerus Musei Cæs. Vindob.*

6. FERDINANDVS. II. D. G. R. I. S. AVG. GER. HVN. BOH. REX. Protome capite laureato, ad pectus cum aureo vellere.

ARCHIDVX. AVS. DVX. BVRG. COMES TYR. 1631. Aquila biceps nimbata coronata, gladioque, & secptro armata, gerens pectore scutum, aureo vellere circumdatum, in quo a dextris sunt 4. fasciæ, a sinistris crux patriarchalis super Tricolle coronato.
T. VIII. Intra coronam, & capita Aquilæ occurrit pomum crucigerum Impe-
N. 247. rii. Siglæ inferius: N. B. *Talerus C. Festetics.* Vid. Tab. VIII. N. 247.

7. FERDINANDVS. II. D. G. R. I. S. AVG. G. H. B. REX. ELEONORA. IMP. G. H. B. REG. DV. MAN. Duo capita jugata, *Ferdinandi II.* & *Eleonoræ* Aug. pectore tenus expressa; extra circulum quatuor scuta, Imperiale, Hungaricum, Bohemicum, & Austriaco-Burgundicum.

FERDINANDVS. III. D. G. REX HVNG. ARCHID. AVS. D. BVR. CO. TYR. Protome Regis junioris pileo, & cultu reliquo hungarico. Extra circulum tria capita Angelorum. *Argenteum unciale formæ quadrangularis Musei Cæs. Vindob. editum in Monnoies en argent.*

Eleonora Gonzaga Dux Mantuæ, quæ in hoc Numismate *Ferdinando II.* conjungitur, erat posterior ejusdem conjux, anno 1622.

nupta.

nupta. Nullam reliquit prolem: nam *Ferdinandus III.* cujus effigies in altera hujus Numismatis parte occurrit, natus erat ex *Anna* Bavara, priore *Ferdinandi II.* conjuge. Procusum autem fuerit hoc Numisma ob coronationem *Ferdinandi III.* vivo patre factam, de qua in Codice Juris patrii videatur *Decretum Ferdinandi II.* anno 1625. in Comitiis Sopronienſibus conditum, hujusque Decreti *Articulus III.*

Alii Numi, ad hanc pertinentes coronationem, recenſebuntur §pho ſequente inter Mnemonicos *Ferdinandi III.*

II. Aureæ monetæ Ferdinandi II.

1. FER. II. D. G. R. I. S. A. GE. H. B. REX. Stans Imperator coronatus, palliatus, loricatus d. ſceptrum, s. globum crucigerum tenet. Siglæ: K. B.

AR. AV. DV. BV. MA. MO. CO. TY. 1626. Deipara coronata, nimbata, in pleno lumine ſedens d. tenet ſceptrum, s. Jeſulum: ſub pedibus luna, & infra hanc occurrit parmula coronata, continens 4. faſcias, & crucem duplicatam in Tricolle coronato. *Aur. ſimpl. apud Mellen in Serie Reg. Hung. p. 201.*

2. FER. II. D. G. &c. omnia, ut in antica præcedentis. Siglæ: K. B.

AR. AV. DVX. BVR. COM. TYR. 1632. Deipara coronata, nimbata, veſtitu Hungaris Dominabus proprio, ſedens intra lunam bicornem, d. tenet ſceptrum, s. Jeſulum, qui ſiniſtra manu gerit globum crucigerum. Infra lunam parmula coronata cum utroque Inſigni Regni Hungariæ. *Aur. Muſei Cæſ.* Vid. T. VIII. N. 243. *T. VIII. N. 243.*

3. FER. II. D. G. R. I. S. A. GE. HV. B. REX. Stans Rex coronatus, palliatus, loricatus, & gladio præcinctus, d. tenet ſceptrum, s. globum crucigerum. Siglæ: K. B.

AR. AV. DV. BV. MA. MO. CO. TY. 1637. Deipara coronata, nimbata, in pleno lumine ſedens, d. tenet ſceptrum, s. Jeſulum;

T. VIII. N. 244. Jesulum; infra pedes Luna, & sub hac est parmula coronata continens insignia Regni Hung. *Aur. simpl. ibidem.* Vid. T. VIII. N. 244.

4. Alii *aurei*, similes præcedentibus, diversorum annorum, *Kremnicenses*, & *Nagybanyienses*. *R. Univ. Pestin.*

III. Grossi, cruciferi, & denarii arg. ejusdem.

1. FER. II. D. G. R. I. S. A. GER. HVN. B. REX. Scutum, in quo sunt insignia Hung. Dalm. & Bohem. Siglæ: I. P.

PATRONA HVNGAR. 1623. Consueta effigies Deiparæ. *Grossus arg. R. Univ. Pestin.*

Grossus hic diametrum habens hodierni Septenarii cupreus est magis, quam argenteus, videturque ad spurias merces rejiciendus; præcipue cum Joachimus *Leibitzer* apud *Wagner* in Analect. Scepus. T. II. p. 67. prodiderit, anno 1623. multos monetarum adulteratores in Hungaria observatos fuisse.

2. FER. II. D. G. R. I. S. A. G. H. B. REX. Protome Imp. Ferdinandi, ad pectus cum torque aurei velleris.

ARCHID. A. D. BVR. CO. T. 1624. Aquila biceps, pectore gerens scutum Austriaco-Burgundicum. Infra Aquilam Numerus 3. circulo inscriptus, valorem totidem cruciferorum indicans. *Grossus minor*, *seu* 3. *cruciferorum*, *ibidem.*

Hoc typo signabantur grossi argentei, valore trium cruciferorum, seu quinque denariorum tempore *Ferdinandi II.* hujusque successorum, in ditionibus Austriacis.

3. FER. II. &c. ut in præcedente.

Pars quoque aversa, uti in grosso nunc descripto, sed cum Numero 1. infra aquilam. *Crucifer. arg. ibidem.*

4. PATRO. HVNG. 1624. Icon Mariana cum sceptro, & Jesulo, Lunaque bicorni.

FER. II. D. G. R. I. S. A. G. H. B. R. Scutum cum utroque insigni Regni Hungariæ. Siglæ: P. P. *Den. arg. ibidem.* Vid.

T. VIII. N. 248. Tab. VIII. N. 248.

Ob

Ob ſiglas P. P. videntur idgenus denarii hungarici in *Poſonienſi Camera* fuiſſe ſignari.

5. PATRONA VNGARI. Conſueta icon Mariana. *T. VIII. N. 249.*

FER. II. D. G. R. I. S. A. G. H. B. R. 1626. Scutum, in quo utrumque inſigne Regni Hung. Siglæ: K. B. *Denarius Cremnicenſis ibidem.* Vid. Tab. VIII. N. 249.

§. VI.

Numi FERDINANDI III. Regis Hungariæ coronati vivo patre 1625. ac poſt patris obitum ab anno 1637. ad 1657. ſignati.

I. Numismata mnemonica, & monetæ magni moduli.

1. FERDINANDVS III. D. G. HVNG. REX. Protome Regis pileati, veſtitu hungarico.

PIETATE. ET IVSTITIA. Crucifixus, ex quo pendet bilanx. *Arg. Muſei Cæſ.*

2. Corona intra lauream, & hæc epigraphe: III. FER. CORONATVS IN REGEM HVNGAR. VIII. DEC. *T. VIII. N. 251.*

In averſa: PIETATE. ET. IVSTITIA 1625. Crucifixus ex quo pendet bilanx. *Arg. C. Feſtetics.* Vid. Tab. VIII. N. 251.

Particula E T copulans *Pietatem* cum *Juſtitia* occurrit infra brachia Crucifixi quaſi inter duas lunulas.

Iconismum hujus Numismatis etiam *C. Khevenhüller* T. X. Annal. Ferdinand. ad ann. 1625. exhibet, ſimulque refert chronographicos hujusmodi verſus ea occaſione factos:

„ ferDInanDVS tertIVs sopronII sCeptra aDIt, pIetate, & IVstItIa tenebIt. “

„ ferDInanDVs tertIVs pIetate et IVstItIa pannonIæ sCeptra sopronII aDIt. “

„ ferDInanDVs III. CoronatVs reX pannonIæ, patre aDſtante. “

3.

3. 1625. GEDECHTNVS DER KHINIGLICHEN KHRENNVNG ZVR EDENBVRG. 8. DE.

T. VIII. N. 252. In aversa: Prospectus Civitatis Soproniensis, infra occurrunt tria scuta, quorum id quod medium tenet locum, est Soproniensium proprium, reliqua duo exhibent consueta Regni Hungariæ insignia. *Arg. C. Festetics.* Vid. Tab. VIII. N. 252.

Inscriptio germanica, in qua nullæ observantur leges Ortographiæ, significat: 1625. *Memoria Regiæ coronationis Sopronii 8. Decembr.*

4. FERDINAND. III. D. G. RO. I. S. AVG. GE. HV. BOH. REX. Protome Imperatoris capite laureato intra duos lauri ramos, quorum extremitates superne connectuntur lemniscis capiti alato genii cœlestis. In imo Numismatis margine literæ: H. G.

T. VIII. N. 253. In aversa: Scutum Hungariæ in medio, circa quod alia novem scutula, adscriptis ad singula literis primoribus Regnorum ad coronam Hungariæ pertinentium. *Aureus & Arg. uncialis Musei Cæsarei Vindob.* Vid. T. VIII. N. 253.

In siglis H. G. latet nomen Incisoris Monetæ, qui forte *Hans Gebhard* est, non ignotus circa illa tempora Monetarius Norimbergæ, de quo vid. *Wils* Nürnbergische Münzbelustigung P. I. p. 168.

5. FERDINAND. III. D. G. &c. ut in præcedente.

PIETATE. ET. IVSTITIA. 1639. Manus de cœlo protensa, radiis illustrata, æquilibrans in bilance coronata gladium, & sceptrum laureatum. Ad latera hinc Hungariæ, inde Bohemiæ scutum heraldicum. *Talerus Musei Cæs. Vienn.*

Præter symbolum, huic Numismati inscriptum: *Pietate, & Justitia*, fuerunt & aliæ quædam sententiæ Ferdinando III. familiares: *Parschitius* in Tabellis Hung. p. 175. eidem attribuit sequentes. *Consilio, & industria.* Item: *Pius Deo, justus populo.*

6. FERDINAND. III. &c. uti N. 4.

FATA

FATA REVIVISCVNT FOELICI SIDERE; ET OFFERT E MINERIS FERDINANDE TVIS TERRA HVNGARA FRVCTVS. 1648. Sol intra circulum. *Talerus ibidem*.

7. FATA REVIVISCVNT. &c ut in præcedente. Sol intra circulum.

In aversa repetitur eadem perigraphe. Luna intra circulum. *Aur. & arg. ibidem*. Vid. Tab. VIII. N. 254. *T. VIII. N. 254.*

Sol auri, Luna est argenti symbolum. Cusa fuerunt hæc Numismata ob divites auri, argentique ex fodinis Hungaricis anno 1648. proventus. Idem annus memoratu dignus est ob terminatum pace Westphalica bellum tricennale.

8. FERDINAND. III. D. G. RO. I. S. AV. GE. HV. BOH. REX. Protome Imperatoris, capite laureato, ad pectus cum aureo vellere. Ad latera, intra perigraphen hinc scutulum cum utroque insigni Hungariæ, inde icuncula Mariana solitis cum attributis.

ARCHIDVX. AVS. DVX. BVR. MAR. MO. CO. TY. 1654. Aquila biceps nimbata, coronata, gladio, & sceptro armata, gerens pectore scutum coronatum, in quo 4. fasciæ hungaricæ cum leone bohemico alternant, & in centro scuti parmula Austriaco-Burgundica. Siglæ: K. B. *Talerus in compluribus Museis*. Vid. Tab. VIII. N. 255. *T. VIII. N. 255.*

Hic typus communis est plerisque *Taleris* Ferdinandi III. non tantum integris, verum etiam mediis, & quadrantibus. Jacobus a *Mellen* in sua Sylloge Numismatum ex argento uncialium p. 128. notat, inveniri Numismata Ferdinandi III. in quibus annus 1658. & 1659. legitur, utut certum sit, Ferdinandum III. jam anno 1657. defunctum fuisse. Hoc Mellenius accidisse autumat nimia festinatione Monetariorum, qui temporis futuri non minus, quam præsentis ratione habita, annorum sæpe proximorum numeros pecuniæ

inscri-

inſcribebant, licet ignoraverint, an is, cujus auctoritate Numi cudebantur, eousque vitam producturus eſſet.

9. FERDINAND. III. D. G. RO. I. S. AVG. GER. HV. BOH. REX. Aquila biceps coronata, nimbata, gladio, ſceptroque armata, gerens pectore ſcutum coronatum, & aureo vellere circumdatum, in quo faſciæ hungaricæ alternant cum leone bohemico, & in medio ſcuti parmula Auſtriaco-Burgundica. Siglæ: K. B.

In averſa: I. K. E. M. 1655. Sparſis inter literas floribus; Adſunt & alia quædam ornamenta, ut ſtella, crucula, & in medio diſcus, vel patera. *Arg. Muſei Cæſ. Vindob.* Vid. Tab. IX. N. 256. *T. IX. N.* 256.

Hic averſæ typus Oedipo eget. Id conſtat, anno hujus Numiſmatis 1655. Leopoldum Archiducem defuncto fratri ſuo Ferdinando IV. in Regis junioris dignitate ſucceſſiſſe, & Poſonii coronatum eſſe. Idem annus *Eleonoræ Gonzagæ*, Imp. *Ferdinandi II.* Viduæ Auguſtæ, erat poſtremus. Sed harum rerum nihil ex hoc Numo ænigmatico erui poſſe videtur.

II. Aureæ Monetæ ejusdem.

1. FERDINAND. III. D. G. HVN. BOE. REX. Stans Rex coronatus, palliatus, loricatus, & enſe præcinctus, d. tenet ſceptrum, s. pomum crucigerum.

FECIT MAGNA POTENS. ETC. 1631. Effigies radiata Deiparæ ſolitis cum attributis, infra quam in ſcutulo rotundo eſt monogramma ex HR. compoſitum. *Aureus decuplus Muſei Cæſ. editus in Monnoies en Or.*

Hoc Numiſma cuſum fuiſſe videtur pro ſolemnitate Nuptiarum, quas *Ferdinandus III.* cum *Maria Anna*, Philippi III. Hiſpaniarum Regis filia eodem, qui in hoc aureo legitur, anno celebravit. Solemnitatis deſcriptionem vide apud C. Khevenhüller T. XI. Annal. Ferdin. p. 1510. & ſeqq. Addita ad effigiem Deiparæ ſententia: *Fecit magna potens*, ſumpta eſt ex Cantico: *Magnificat.* Monogramma

ex

ex HR. interpretor *Hans Rieger*, cujus nominis illo tempore Monetarium Wratislavienſem extitiſſe notatur in libro, cui titulus: *Sammlung berühmter Medaileurs p.* 120.

2. ✠ FER. III. D. G. HV. BO. DAL. CR. SCLA. REX. Protome Regis corona hungarica in capite, & aurei velleris torque in pectore ornati. Retro literæ H. G.

✠ MARIA D. G. HVNG. B. REG. INF. HISP. AR. AV. 1633. Protome Reginæ pectore tenus expreſſæ. *Aur. & arg. Muſei Cæſ. Vindob. editus l. cit.*

Repræſentantur in hoc Aureo Regii Conjuges *Ferdinandus III.* & *Maria Anna*, addito anno 1633. quo iisdem natus fuerat *Ferdinandus IV.* Ex eodem conjugio annis ſubſecutis progeniti fuere *Leopoldus* Archidux, poſtea Imperator ac Rex; item *Maria Anna*, ſubin Philippo IV. Hiſp. Regi nupta. Poſt obitum primæ Conjugis duxit Ferdinandus alteram, *Mariam Leopoldinam*, Archiducis Leopoldi filiam, ex qua ſuſcepit Carolum Joſephum, Paſſavienſem Epiſcopum, magnum Ordinis Teutonici Magiſtrum. Tertia ejusdem Ferdinandi III. Conjux fuit *Eleonora* Mantuana, quæ illi peperit *Eleonoram*, Michaëlis Poloniæ Regis primum, dein vero Caroli V. Lotharingiæ Ducis uxorem, nec non *Mariam Annam*, Joannis Wilhelmi Palatini ad Rhenum conſortem. Vid. *Palma T. III. Notit. Rer. Hung. p.* 253.

3. FER. III. D. G. R. I. S. A. G. HV. B. REX. Stans Imperator coronatus, palliatus, loricatus, enſe præcinctus, d. ſceptrum, s. pomum Imperii. Siglæ: K. B.

AR. AV. DV. BV. MA. MO. CO. TY. 1653. Deipara in pleno lumine ſolitis cum attributis, infra quam ſcutum Regni Hung. *T. VIII.*
Aur. ſimpl. obvius. Vid. Tab. VIII. N. 250. *N.* 250.

III. Parva moneta arg. Ferdinandi III. Groſſi nempe, ac Denarii.

1. FER. III. D. G. HV. BO. REX. Caput laureatum.

ARCHIDVX. AVST. 1632. Scutum coronatum exhibens insignia Hung. & Bohemiæ. *Grossus ex vili argento*, *R. Univ. Pest.*

2. FERD. III. D. G. &c. ut in præced. Caput laureatum, infra quod exsculptus numerus 3. valorem trium cruciferorum indicans.

ARCHI. AVS. DVX. BVR. STYRIAE. 1637. Tria scuta colligata, Imperiale, Hungaricum, & Bohemicum. *Grossus ibidem.*

3. FERD. III. D. G. &c. ut in præced. Caput laureatum, infra quod (3).

ARCHID. AV. D. B. C. TY. 1637. Aquila biceps. *Groß. ibidem.*

4. FER. III. D. G. R. I. S. A. G. H. B. R. Scutum Regni Hung. & siglæ: K. B.

PATRO. HVNGAR. 1640. Icon Mariana solitis cum attributis. *Denarius Cremnicensis ibidem.*

Hæ sunt formæ monetæ minoris argenteæ sub Ferd. III. in Hungaria usitatæ.

§. VII.

Numi coronationis FERDINANDI IV. signati Anno 1647. qui Patri præmortuus est 1654.

1. FERDINAN. IV. REX BO. ARCH. AVS. CORONATVS IN REGE. VNGARIÆ. 16. IVNII. A. 1647. Supra epigraphen Corona inter duos palmæ ramos.

PRO DEO ET POPVLO. Sceptrum inter duos palmæ ramos erectum, supra quod oculus divinæ providentiæ intra nubes. *T. IX.*
N. 257. *Aur. & arg. R. Univ. Pest.* Vid. Tab. IX. N. 257.

2. Corona, & quatuor palmæ rami, intra quos litera F. & IV. situ perpendiculari. In area Numi annus 1647.

+ REX

+ REX BOHÆ. ARCH. AVS. CORONATVS IN REGE VNGARIÆ. 16. IVNII. + *Arg. ibidem.* Vid. Tab. IX. N. 258. *T. IX N.* 258.

Præter idgenus mnemonicos coronationis, haud facile reperies alios Numos *Ferdinandi IV.* quoniam Patri præmortuus, in Regno ſuccedere non potuit. Antea vero, quam coronaretur in Regem Hungariæ vivo Patre, neceſſe habuit, omnibus, quas Regni Status, & Ordines obtulere, conditionibus ſubſcribere, in quibus præcipuo tunc loco fuerat, obſervatio *Pacificationis Viennenſis*, anno 1606. concluſæ. Moleſtum id quidem Catholicis videbatur, ſed, ut permitterent, triſtiſſima Bethleniani, & Georgio-Rákocziani belli memoria coegit. Præmaturam Ferdinandi IV. mortem Scriptores quidam Medicorum imperitiæ tribuunt: ſed

Non eſt in Medico ſemper, relevetur ut æger,
Interdum docta plus valet arte malum.

§. VIII.

Numi LEOPOLDI Magni, qui coronatus eſt 1655. *Patri ſucceſſit* 1657. *obiit* 1705.

I. Numismata mnemonica coronationis, & victoriarum, &c.

1. LEOPOLDVS IGNATIVS ARCHID. AVS. CORONATVS IN REGEM HVNGARIÆ. XXVII. IVN. MDCLV. Corona inter duos palmæ ramos.

CONSILIO ET INDVSTRIA. Oculus divinæ providentiæ intra nubes, binaque brachia humana, unum gladio armatum, alterum ſceptro; infra quæ humi eſt globus coronatus, ac triangulo inſignitus, ruentibus utrinque fulminibus. *Aur. & arg. Muſei Cæſ.* Vid. Tab. IX. N. 261. *T. IX. N.* 261.

Divina providentia *Leopoldum* Archiducem ab Epiſcopatu Paſſavienſi ad Regnum, & Imperium traduxit. Coronatus fuit Poſo-

nii 27. Junii 1655. vivo patre, confluentibus ad solemnitatem quinque Nobilium millibus, teste Franc. *Wagner* Hist. *Leop. M.* p. 8. Cum *Leopoldus* pro more veteri post coronationem suam conscenso equo, gladium in loco eminentiore versus quatuor mundi plagas, crucis in formam, vibrasset, ferunt, Vezirium Budensem, barbare facetum, dixisse, sibi hoc ritu grave vulnus inflictum esse, caputque suum fascia idcirco obligasse, jacentemque in lecto Chirurgorum opem implorasse. Eventus tamen docuit, novum hunc Regem divinitus electum fuisse ad contundendum fastum Ottomanicum.

2. DEI CONSILIO. INDVSTRIA LEOPOLDI. VIENNAM OBSIDET FRVSTRA MAHVMEDVS. 1683. Caput laureatum Imp. Leopoldi M. supra quod manus e nubibus protenditur.

DEI IVSTITIA. PRVDENTIA FERDINANDI. VIENNAM OBSIDET FRVSTRA SOLYMANNVS 1529. Caput coronatum Ferdinandi I. supra quod emicat e nubibus manus ense armata. *Aureus sextuplus R. Univ. Pestin.*

Elegans Numisma in memoriam Viennæ iteratis vicibus per Turcas nequicquam obsessæ, & oppugnatæ.

3. STRIGONIVM D. 21. OCTOB. TVRCIS EXTORTVM. 1683. Arx, & pars infra sitæ Civitatis Strigoniensis, ac præterfluentis Danubii.

SERVIAT QVI SÆVIIT. Pallas armata conculcans captivos Turcos, horumque arma, d. tenens lauream, s. palmæ ramum. *Argent. Ibidem.*

4. A° 1685. $\frac{6}{16}$ AVG. TVRCA STRIGONIO FRVSTRA OPPVGNATO ACIE VINCITVR. $\frac{9}{19}$ AVG. NEOHEVSELIVM VI CAPITVR. Stans Pallas d. tenet victoriolam, & Tabulam, in qua Strigoniense cum Turcis prælium depingitur, sinistra vero manu palmæ ramum, & aliam Tabulam, in qua *Érsek Ujvárinum*, germ. *Neuheusel*, oppidum cum fluvio præterlabente Nitra exhibetur, adjecta interpretatione germanica: NEVTRA FLVS. AQVI-

AQVILA. VITRIX. LVPOS. TVRCICOS. VERTEBAT. IN LEPORES. Eques Cæſareus telo, & ſcuto, in quo biceps aquila depingitur, armatus cum quatuor canibus venaticis fugat duos lupos. In exteriore Numismatis circulo hæc leguntur: STRIGONIO LIBERATO. HOSTE PROFLIGATO. NEVHEVSELIO EXPVGNATO. CÆSAR TRIVMPHAT. OTTOMANVS TREPIDAT. *Numisma Stanneum R. Univ. Peſt.*

Ejusdem argumenti ſunt ſequentia aliquot Numismata Anni 1685. in quorum nonnullis dies notantur ſecundum vetus Julianum, & recentius correctum Gregorianum Calendarium, ſive, ut dici ſolet, *ſtylo veteri*, & *novo*. Itaque in Numismate nunc deſcripto hæc fractio $\frac{6}{16}$ AVG. ſignificat *6tam* Auguſti *ſtylo veteri*, *16tam* vero diem *ſtylo novo*, & ſic porro aliæ fractiones ſunt intelligendæ.

5. GAVDIVM IMP. Proſpectus Arcis Ujvarienſis, & caſtrorum, ex quibus oppugnatur.

NEVHEVSEL ERBAVT. A. 1581. VOM TVRCKEN EROBERT. A. 1663. VON KAYS. MAY. BELAGERT DEN $\frac{27.\ \text{IVNII}}{7.\ \text{IVLII}}$ MIT STVRMENDER HAND EROBERT DEN $\frac{9}{19}$ AVG. A. 1685. *Arg. & Ær. Numisma R. Univ. Peſt.* Vid. Tab. X. N. 279. *Tab. X. N. 279.*

Id eſt: Érsek Ujvárinum ædificatum anno 1581. a Turcis expugnatum 1663. a Cæſarea Majeſtate obſeſſum die 27. Junii ſtylo veteri, ſive 7. Julii ſtylo novo. Armata manu recuperatum die 9. Auguſti anni Juliani, ſive 19*na* Auguſti anni Gregoriani 1685.

6. SCHLACHT BEY GRAN $\frac{6}{16}$ AVG. Prælium Strigonienſe cum Turcis adumbratum, ſupervolitante Aquila coronata, quæ unguibus tenet palmæ ramum, enſem, & chartam topographicam, in qua delineatum eſt Ujvarinum cum fluvio Nitra, & campo adjacente, adjecta hac epigraphe: NEVHEVSEL DEN $\frac{9}{19}$ AVG. EROBERT. NEVTRA FLVS. Supra hæc ad latus occurrit pars depicta Zodiaci cum ſigno *Libræ*, & Virginis cum ſceptro ſtantis ſuper luna bicorni.

In

In aversa: ☉ IN ♍. MDCLXXXV. Id est: Sol in signo Libræ, mense videlicet Augusto anno 1685. Infra lineam ductam occurrunt tria scuta heraldica Belli Ducum cum armis gentilitiis superadditis his vocabulis: CVRBEYERN. LOTHRINGEN. WALDECK. In medio hæc epigraphe est: PFEILE DES HEILS WIEDER DIE SYRIER. 2. KÖN. XIII. V. 7. & infra hanc epigraphen tres sagittæ colligatæ. Extimum circulum, quo ambæ Numismatis paginæ concluduntur, ornat sequens inscriptio: DAS THATEN DIE DREY
Tab. X. HELDEN. 2. SAM. 23. V. 17. *Num. Stann. ibidem.* Vid. Tab. X.
N. 280. N. 280.

7. SCHLACHT BEY GRAN &c. omnia uti in antica parte Numi præcedentis.

In aversa: ☉ In ♍. AVGVSTALIA CAESARIS & IMPERII. MDCLXXXV. Duæ laureæ, quibus decussatim inserta sunt Cæsarea vexilla, & arma; infra quæ minuto charactere conspicuæ sunt literæ I. G. L. (id est: *Lazarus Gottlieb Laufer* Monetarius Norimberg.) In extimo Numismatis circulo hæc sententia est: PER-
Tab. X. CVTE SYROS DONEC CONSVMAS. 2. REG. XIII. V. 17. *Num.*
N. 281. *Stann. ibidem.* Vid. Tab. X. N. 281.

8. CAESAR ME RECEPIT STRATO AVT FVGIENTE TYRANNO. Typus repræsentat urbem expugnatam, quod etiam addita literis cursivis altera hæc inscriptio docet: *Neuheusel expugnatur die* $\frac{9}{19}$ *Aug.* 1685.

In aversa sine figuris hæc epigraphe: BARBARICO QVONDAM NOVA CAPTA DOMVNCVLA TVRCÆ, DESIIT AVGVSTI CÆSARIS ESSE DOMVS. MENSE SED AVGVSTO HÆC AVGVSTI MARTE RECEPTA, LVNIGERI TVRCÆ DESIIT ESSE DOMVS. MVRIS IAM NOVA SIT, DOMINO SED PRISCA PERENNET, DESINAT ET NVNQVAM CÆSARIS ESSE DOMVS. *Num. Stann. Ibidem.*

9. PAR

9. PAR SIT VINDEMIA MESSI. Manipulus frugum erectus. Infra: P. H. M. (id est: *Philippus Henricus Miller.* Monetarius Augustæ Vindelicorum.)

In aversa: OB TRINAM VICTORIAM A DEO TRIVNO MENSE AVGVSTO AVGVSTISSIMO LEOPOLDO ET VNITIS IMPERII VIRIBVS CONCESSAM. NEVHEVSELIO EXPVGNATO. HOSTE AB OBSIDIONE STRIGONII PROFLIGATO. CASTRISQ. EXVTO. PONTE OSSECCENSI DEIECTO. TRANSITVQ. PROHIBITO. VBERRIMAM VICTORIARVM MESSEM GRATVLANTVR SIBI SVISQ. S. P. Q. A. (id est: *Senatus Populusque Augustanus*) *Num. Stann. ibidem.* Vid. Tab. X. N. 282. *T. X. N.* 282.

10. Caput laureatum Leopoldi Magni, & hæc perigraphe: LEOPOLDVS I. TVRC. VICTOR. intra lauream, quam duo Angeli tenent. Infra caput prospectus urbis Viennensis cum adjacente agro. In imo Numismatis margine: L. G. L. seu *Lazarus Gottlieb Laufer Norimbergensis Nummorum Incisor.*

Parte aversa in medio: VERMEHRER DES REICHS. 1685. Circa quam inscriptionem decem circuli, quibus totidem Civitatum, & oppidorum Hungariæ recuperatorum imagines occurrunt, & nomina sequentia: *Gran*, *Sárvár*, *Zolnok*, *Ungvár*, *Caschau*, *Tokay*, *Eperies*, *Novigrad*, *Neuheusel*, *Verovitza.* Num. *Stann. ibidem.* Vid. Tab. X. N. 283. *Tab. X. N.* 283.

11. Antica, uti præcedente.

In aversa: circa medium: VERMEHRER. DES. REICHS. Supra hanc epigraphen urbs *Buda*, supra quam corona Hungariæ cum lemniscis, quibus inscriptum est: *Königliche Hauptstadt Ofen.* Tum aliæ Civitates depictæ adjectis nominibus: *Pest*, *Hatwan*, *Szegedin*, *Fünfkirchen*, *Simontornya*, *Kaposvár*, *Colocza*, *Siklós.* & in fine: *Esseker Bruken.* Pons Eszekinensis. In extimo circulo communi utrique Numismatis parti legitur: GLEICH WIE DIE KRON NICHT

OHNE

T. X N. 284. OHNE STEIN: SO IST DIE HAVPT STADT OFEN NICHT ALLEIN. *Stann. ibidem.* Vid. Tab. X. N. 284.

Etiam in hoc Numismate occurrunt literæ L. G. L. ex quibus colligere licet ſignatum fuiſſe Norimbergæ ab eodem *Lazaro Gottlieb Laufer*, cujus mentio facta fuit in præcedente Numo.

12. DER CHRISTEN RVHM. Proſpectus Budæ ſupra montem ſitæ, Genio alato deſuper volante, ac dextra gladium ignitum vibrante, ſiniſtra cruculam tenente: Infra montem Conflictus Cæſareorum cum Turcis.

In averſa hæc epigraphe: OFEN A. 1526. VON SOLYMAN EROBERT. V. A. 1541. MIT LIST BESETZT: HERNACH VON R. K. M. LEOPOLD. D. $\frac{23.\ AVG.}{2.\ SEPT.}$ A. 1686. IN ANGESICHT DES GROSS-VEZIERS DVRCH STVRM BEZWVNGEN. L. G. L.

T. X. N. 285. *Arg. & ær. ibid.* Vid. Tab. X. N. 285.

13. HOS FORNAX ARDET IN VSVS. Oppugnatio arcis Budenſis, ſupra quam corona medias inter flammas.

OFEN DIE KÖNIGLICHE HAVPTSTADT IN HVNGARN. A. 1526. NACH K. LVDW. DES II. TOD VON SOLYMAN EINGENOHMEN. A. 1529. DEM WAYWODEN IOHANN ÜBERLASSEN. VND A. 1541. VON SOLYMAN MIT BETRVG BEHAVPT. FOLGENDS VON R. K. M. LEOPOLD $\frac{23.\ AVG.}{2.\ SEPT.}$ A. 1686. DEN TÜRCKEN MIT STVRMENDER HAND ENTRISSEN. *Arg. &*

T. X. N. 286. *Æ. ibidem.* Vid. Tab. X. N. 286.

14. LEOPOLDO VLTORE RESVRGIS. Imperator ſtans paludatus pede ſiniſtro calcat Lunam, manu vero dextera ſceptrum inclinat verſus mulierem genuflexam, advolante Victoria, ſpecie Angeli, quæ Imperatori coronam d. imponit, s. palmæ ramum tenet; adſtante alia muliere cum cruce patriarchali, & calice. Juxta lapis eſt cum epigraphe: LVDOVICVS REX VNGAR. In imo Numiſmatis ſegmento legitur: RESTITVTORI VNGARIÆ OB BVDAM

RECE-

RECEPTAM MDCLXXXVI. In extremo margine G. H. id est: *Georgius Hautsch* Monetarius Augustanus.

HOS FORNAX ARDET IN VSVS. Oppugnatio arcis Budensis, ut in Numo praecedente. *Arg. & Stann. ibidem.* Vid. Tab. X. N. 287. *T. X. N. 287.*

15. IBIT FAVORE DIVINO: LEOPOLDI. INDVSTRIA. BAVARI. ET LOTHARINGI. Imp. Leopoldus M. in quadrigis triumphalibus d. sceptrum, s. globum crucigerum tenens, vexillis & armis Turcicis circumpositis, captivisque Turcis subsequentibus, equos ducente Genio cum scuto Lotharingico. Ante equos humi jacet luna fracta, juxta quam occurrunt literae C. H. I. nomen Incisoris exprimentes.

In aversa: Prospectus Civitatis Budensis, & castrorum, supervolitante Aquila coronata, gladio, & fulmine armata. Epigraphe: AVSTRIACIS BVDA VRBS AQVILIS SVBSTERNITVR ARMIS. In imo Numi segmento: IA. VIECHTER. D. G. MO. C. CAMER. G. id est: *Jacobus Viechter de Grueb Montanarum Civitatum Camergraffius.* Numisma *arg. max. moduli R. Univ. Pestien.* Vid. Tab. X. N. 288. *T. X. N. 288.*

16. INFELIX BVDAM LVDOVICVS PERDIDIT OLIM. HÆC ARMIS CEDIT NVNC LEOPOLDE TVIS. A. 1686. D. 2. SEP. Caput laureatum Leopoldi M. intra lauream, & binos palmae ramos; infra quod cernitur Urbs Buda cum vicino monte S. Gerardi, parsque Danubii, & ultra hunc pars quoque Civitatis Pestiensis.

STAT SOL. LVNA FVGIT. DVM IOSVA PVGNAT ET ORAT. SIC EGO PELLO DVOS. SIC LEOPOLDVS ERO. Dux Hebraeorum Josue galeatus stans dextra scipionem ritu imperantis tenet, sinistra clypeum literis hebraicis inscriptum. Hinc Sol & nubes, inde luna. Infra vero cernitur conflictus Christianorum cum Turcis. In exteriore circulo, utrique Numismatis parti communi, haec leguntur: LVNA CADIT. NIL ÆRA IVVANT. NIL TYM-

T. X. N. 289. PANA FESSAM. SOL CAVE. DVM MINVI SIDERA CVNCTA VIDES. *Ibidem.* Tab. X. N. 289.

17. OVEN A REGE OVO DICTVM. LEOPOLDO ARMIS ADDICTVM. A. 1686. 2. SEPT. Proſpectus Urbis Budenſis, & caſtrorum, ſupervolitante Fama cum palmæ ramo, tubaque.

HOC RECLVSO RELIQVA INCLVDENTVR. Aquila coronata, expanſis alis, pede uno inſiſtit rupi, altero tenet Ovum, clavemque. *Stann. ibidem.*

Oven pro *Offen* (Buda) ex inepta pronunciatione fictum, multoque magis inficeta eſt hujus nominis derivatio a Rege *Ovo*, id eſt, *Samuele Aba*, cum alluſione ad Ovum.

18. CÆSAR ME RECEPIT. &c. uti in antica Numismatis *Nro 8vo* deſcripti.

In averſa hæc ſunt: ET STABVLO ET CAMPO DEPVLSVS LVSTRAT REQVIEM. Lupus infra arcem fluvio adſitam fugiens, quem aquila coronata, & fulmine, atque gladio armata perſequitur. *Stann. ibidem.*

19. LEOPOLDVS MAGNVS ROM. IMP. PP. Caput laureatum.

VERMEHRER DES REICHS. 1687. Civitatum receptarum typi, & hæc nomina: ESSEK. PETERWARDEIN. ERLA. PALOTTA. WALPO. depictumque cum Turcis prælium, addita hac epigraphe: SCHLACHT BEY SIKLOS. *Num. Stann. ibidem.*

20. OFEN VOM TÜRKEN MIT LIST EINBEKOMMEN. A. 1541. VON R. K. M. LEOPOLDO MIT STVRM WIEDER EROBERT A. 1686. 2. SEP. Proſpectus Urbis Budæ, & adſiti montis S. Gerardi.

LEOPOLD DER ERDEN SONN. DEN TÜRKEN KAYSER STÜRZT VON THRON. Turca proſtratus radiis ex litera L vibratis. In exteriore circulo hæc perigraphe eſt: DEM KAYSER

ISTS

ISTS GELVNGEN. DER OFEN IST ZERSPRVNGEN. GOTT EHRE SEY GESVNGEN. *Argent. ibidem.*

21. Repræſentatio prælii Turcici.

KÖNIG LVDWIG DES II. NIEDERLAG BEY MOHATZ A. 1526. D. 29. AVG. DVRCH GOTTES GNAD VON R. K. M. LEOPOLD A. 1687. D. 12. AVG. GEROCHEN. *Num. Æreus. deauratus. ibidem.*

LEOPOLDI MAGNI ROM. IMPERATORIS. IOHAN. II. POLON. REGIS. ET REIPVBLICÆ VENETÆ CONCORDIBVS ARMIS ADVERSVS TVRCAS EXERCITVS MOSCOVITARVM STABILI FOEDERE IVNGITVR. MDCLXXXVII.

CONCORDIA CHRISTIAN. Duæ dextræ junctæ, ramumque palmæ tenentes, intermedio labaro cum monogrammate Chriſti. Ex lateribus periſtylia, e quibus pendent ſcuta heraldica fœderatarum aularum. In medio adſidet mulier manu dextra tenens quatuor ſpicula colligata, ſiniſtra cornucopiæ. Infra quam eſt Barbarus revinctis a tergo manibus, & arma humi ſparſa. *Num. Stann. ibid.*

23. FIRMITATEM SERENAT IMPERII. Protome Leopoldi Magni capite laureato ſuper columna, quam Taurus cornibus impetit. Juxta eſt hæc epigraphe: LVNATVM REPRIMIT VIRTVS SIC BOIA FVROREM.

In averſa: CONSOCIAMINI ET VINCIMINI: QVIA HIC EST EMMANVEL. Esdr. Repræſentatio prælii ad Mohacsium cum Turcis initi Duce Maximiliano Emmanuele Bavaro. Juxta legitur: MOHAZIANVM BAVARICÆ STRENVITATIS ÆRE AVROQVE PERENNIVS MONVMENTVM. 1687. *Stann. Ibidem.*

24. LEOP. MAG. Imperator coronatus throno inſidet cum ſceptro, inter duo Scuta, hinc Auſtriacum, inde Hungaricum. Perigraphe: DEIN STVHL SOLL BESTEHEN EWIG. 2. Pſ. 7. In gradu infimo throni nomen inciſoris G. H.

STVHLWEISSENBVRG. EROBERT DEN $\frac{9}{19}$ MAI. 1688.

T. XI. N. 290. Effigies Urbis Albæ-Regiæ. In imo Numi margine, alterius incisoris nomen L. G. L. *Arg. ibidem.* Vid. Tab. XI. N. 290.

Anticam hujus Numismatis sculpsit *Georgius Hautsch*, aversam vero *Lazarus Gottlieb Lauser*, ambo Norimbergenses Numismatum Incisores. Vid. Sammlung berühmter Medailleurs N. 43. & 240.

25. AQVILA ELECT. I. A. VINCET. Arx, & Civitas Belgradensis, cum adsitis castris, ex quibus oppugnatur. Supra arcem volans Aquila ensifera fulminatrix. In ripa Danubii prope marginem Numi, ubi depictæ sunt machinæ bellicæ, occurrunt exigua forma literæ NB.

In aversa hæc epigraphe: BELGRAD A TVRCIS ANNO 1440. 56. 93. & 94. FRVSTRA OBSESSA. A SOLYMANNO. I. A. 1521. OCCVPATA. A LEOPOLDO MAGNO VI RECVPERATA. ANNO 1688. D. 6. SEPTEMB. F. In circulo exteriore Numismatis: PERGE TRIVMPHATOR RELIQVAS SVBMITTERE

T. XI. N. 291. TVRRES. *Arg. ibidem.* Vid. Tab. XI. N. 291.

Incisoris errore in antica post ELECT. sequitur I. A. cum esse deberet I. O. id est: *Juste Omnia.* Vide integram epigraphen inter Numos Mnemonicos *Ferdinandi I.* Notæ incisoris in hoc Numismate NB. jungendæ sunt cum F postrema litera in altera Numismatis parte, qua significatur *Fecit* NB. id est: *Neubauer*, vel *Nürnberger* forte.

26 eX Voto hVngarIaM sVbIgIs LeopoLDe LeVasqVe. Imp. Leopoldus cum filio Rege Josepho in curru triumphali, a duabus Aquilis tracto, advolante Victoria cum circulo serpentino, æternitatis symbolo, cumque laurea, quam iis imponit. Caput Victoriæ cingitur septem stellis. Infra currum occurrunt hostes prostrati.

eXItIVM tVrCIs annotat aLba reDVX. Prospectus civitatis Albæ-Regalis, quam Sol exoriens illuminat, luna decrescen-

te,

te, & in occaſum vergente. Infra: ALBA REGALIS RECVPERATA. $\frac{2}{19}$ MAII. 1688. *Stann. ibidem.*

27. IMbeLLes tVrCos CrVX atqVe eCCLesIa VInCVnt. Mulier pectore ſolem gerens, ac dextera crucem patriarchalem, cum hoc lemmate radiis illuſtrato: IN HOC SIGNO. Humi occurrit Turca proſtratus.

GRIECHISCH WEISSENBVRG. Proſpectus arcis, & civitatis Belgradenſis, & hæc epigraphe: IST IN TÜRKISCHE GEWALT GERATEN A° CHR. 1521. VON DEN CHRISTEN MIT STÜRMENDER HAND EROBERT 1688. D. 6. SEPT. In circulo extimo: beLgraDI eXsVperat MVros baVarICa VIrtVs. *Stann. ibidem.*

28. DEM DER NACH SCHATTEN SCHNAPPT, ENTFIELT SEIN EIGNER BISSEN. DER WIEN IHM EINGEBILDT, MVSS NVN GANZ VNGARN MISSEN. Canis Æſopicus cum oſſe ſtans in ponte.

Averſa eſt eadem, quæ in præcedente Numismate. *Stann. Ibidem.*

29. LEOPOLDVS M. P. F. A. PP. TRIVMPHATOR GENT. BARB. Imperator laureatus ſtans in quadrigis triumphalibus d. Victoriolam ſibi lauream imponentem, s. habenas equorum tenet, proſtratis humi Turcis.

LVDOV. WILH. BADEN. Protome Ludovici Marchionis Badenſis intra lauream, pectore tenus expreſſa. A dextris ſcriptum: WIDIN. addito hujus urbis typo: a ſiniſtris NISSA pariter cum effigie hujus loci. Infra vero adumbratur prælium cum Turcis initum. Epigraphe: TVRCÆ ANNO VNO TER DEVICTI. 1689. In circulo exteriore: ERVBESCET LVNA ET CONFVNDETVR SOL. ES. XXIV. 23. *Stann. ibidem.*

30. NOVOS GAVDENS SPONDERE TRIVMPHOS VICTAS DEDIT MANVS d. 13. April. Imperator ſtans laureatus, cultu priſcorum Auguſtorum, dextera tenet labarum monogrammate Chriſti inſignitum, ſiniſtra Victoriolam globo inſiſtentem cum ramo palmæ, & laurea, quam ſibi offert. In imo margine I. H. N. Nomina Inciſoris Monetæ hujus.

POST XC. ANNOS IVGVM TVRCICVM EXCVTIENS CANISIA SVB IPSVM VERIS INITIVM VBEREM VICTORIARVM SEGETEM POLLICETVR LEOPOLDO ET IOSEPHO. MDCXC.

T. XI. Proſpectus Arcis Caniſiæ, ſupra quam Fama volans tuba canit, al-
N. 292. teraque manu fert ſchedam vocabulo CANISIA inſcriptam. *Stann. ibidem.* Vid. Tab. XI. N. 292.

In alio ſimili hæc præterea in exteriore circulo legitur perigraphe: qVIn eXtraCta CanIs, CanIs ore CanIsa pVDenDI. VICtor ChrIste potens sIt tIbI LaVs et honor.

31. OFEN. Arx Budenſis, Danubius præterfluus, parsque Civitatis Peſtienſis ponte juncta, & exploſiones tormentorum bellicorum.

qVam trVX heV CæCo fraVs tVrCICa Ceperat astV. 1541. D. 2. SEPT. eXpVgnata saCræ faMVLatVr bVDa VIennæ. 1686. $\frac{\text{2. SEPT.}}{\text{23. AVG.}}$ *Numus Ær. deauratus. ibidem.*

32. LEOPOLDVS M. P. F. &c. omnia uti in antica Numi *Nro* 29. deſcripti. In averſa autem hæc ſunt: LVD. WILH. M. BADEN. TVRC. CAST. EXVIT. CÆSIS 25000. ET CAPTIS 158. TORMENT. Scutum gentilitium Marchionis Badenſis inter binos lauri ramos, caſtrenſi corona ornatum. Infra: Humi ſedens Turca inter captiva armorum ſpolia. Epigraphe: AD SALANKEMEN PROPE PETERWARDEIN DIE $\frac{9}{19}$ AVG. 1691. Præterea in extimo Numiſmatis circulo: DOMINVS CONCVLCABIT HOSTES NOSTROS. PS. 108. V. 4. *Stann. ibidem.*

33. VICTO-

33. VICTORIA LEOPOLDO ET IOSEPHO TRIVMPH. F F. PP. AA. VIRTVTE LVD. WILH. M. BADENS. DE TVRC. PARTA. Imperator laureatus adſtat aræ ignitæ, lauream que imponit Marchioni Badenſi, palmam ſibi offerenti, altera manu tenens gubernaculum, præ quo Aquila expanſis alis globo inſiſtit, juxta quod ſcriptum eſt: QVOD INSTAT EXPEDIT VICTOR.

In averſa: CÆSIS TVRCAR. XXV. MILL. CASTRIS CVM TORMENT. BELL. CLVIII. DIREPTIS AD SALANKEMEN D. XXIX. AVGVSTI. AVGVSTIS VERE AVGVSTIS. Genius alatus tenens clypeum, Tropæo armis Turcicis ornato adpenſum, cui Victoria alata inſcribit: SPES ET VIRES HOSTIVM FRACTÆ. 1691. Infra tropæum ſedet Barbarus pede catenato, manibusque poſt tergum revinctis. A dextris vexilla, a ſiniſtris Camelus, & Bubalus. In exteriore demum circulo hæc occurrit perigraphe: AVSTRIÆ EXCELLENS IN ORIENTE VICTORIA. F. K. id eſt: *Fridericus Kleinert* fecit. *Num. Stann. ibidem.*

34. DACIA FELIX. Mulier velata, ſtolata, rupi innixa, dextra palmam tenet, ſiniſtra demiſſa cornucopiæ, inter duos genios, quorum unus a dextris calathum, fructibus onuſtum, in capite gerit, alter a ſiniſtris falculam, & ſpicas tenet. Infra, ad pedes mulieris nomen Artificis G. H. id: *Georgius Hautſch.* In circulo exteriore: AVSTRIACIS MAGNAS FERT TRANSILVANIA GENTES.

In averſa hæc ſunt: GROSS WARDEIN. AVSPICIIS LEOPOLDI. M. DEDIT. CAPT. D. 5. IVN. A. 1692. Proſpectus Arcis, & Civitatis Magno-Varadinenſis. *Num. Arg. ibid.* Vid. Tab. XI. N. 293. *T. XI. N.* 293.

35. LEOPOLDVS M. ROM. IMP. IOSEPHVS R. ET HER. AVGVSTI. TVRCARVM VICTORES PERPETVI. Capita jugata, laureata utriusque.

VARA-

VARADINVM RECEPTVM DIE V. IVNII MDCXCII. In conſpectu Civitatis Varadinenſis Imperator ſedens in throno coronatur ab advolante Victoria, juxta eſt Mulier capite turrito, claves offerens. In margine P. H. M. charactere minuto. Id eſt: *Philippus Henricus Müller*, Monetarius Auguſtæ Vindelicorum. In extimo circulo hæc perigraphe: QVANTVM TVRCA, VALET GALLVS, LEPIDOSQVE GEMELLOS SOL VIDET IN GEMINIS STRAGE PERIRE PARI. *Arg. & Stann. ibidem.*

36. PER VIAM QVA VENIT REVERTATVR. IN MEMORIAM PETRO - VARADINI. A TVRCIS LIBER. DIE I. OCTOB. MDCVIC. Victoria ſtans in ripa Danubii, & pectore gerens parmulam conſuetis Hungariæ inſigniis ornatam dextera ſcipionem extendit ad naves.

In averſa: PETRO - VARADINVM. Proſpectus hujus urbis cum ponte navali in Danubio. In exteriore circulo utrique Numismatis parti communi: PER DOMINVM HOC FACTVM EST.
T. XI. N. 294. *Arg. ibidem.* Vid. Tab. XI. N. 294.

37. Fluvius *Tibiſcus*, forma viri barbati ſedentis depictus, dextera tenet arundinem, & urnam cum aqua profluente; pone eſt remus; ſiniſtra vero victoriolam globo inſiſtentem cum ramo palmæ, & laureola, attollit ſupra tabulam marmoream, in qua hæc leguntur inſculpta: AVSPICIIS LEOPOLDI MAGNI. VIRTVTE EVGENII SABAVDIÆ D. EXERCITVS TVRCICVS CLADE $\frac{M}{XX}$ HOST. FACTA. PRIMARIIS DVCIB. DELETIS. CASTRIS VNIVERS. TORMENT. XCVIII. OMNIQVE APPARATV BELLICO INTERCEPTIS. CÆSVS PROFLIGAT. D. $\frac{II}{II}$. SEPT. MDCXCVII.

In averſa hæc occurrunt: Repræſentatio prælii ad oppidum ZENTA cum hac inſcriptione: INTERFECIT EXERCITVM EORVM. ET SVBVERTIT ROTAS CVRRVVM. FEREBANTVRQVE IN PROFVNDVM. EXOD. 14. In circulo autem exteriore, peripheriam

Numi claudente hæc est perigraphe Chronographica: EN noVVs eX VoTo feLIX LeopoLDe trIVMpho. *Numisma Stann. ibidem.* Vid. Tab. XI. N. 295. *Tab. XI. N. 295.*

38. LEOPOLDVS MAGNVS ROM. IMP. S. A. Caput laureatum, pectus cum aureo vellere.

PAX PARTA TRIVMPHIS. ARMISTIT. CVM TVRC. 1699. Jupiter Aquilæ volanti insidens, ac fulminibus feriens rebelles Gigantes. In exteriore circulo: paX VIVaX MItI LeopoLDI eX ore refVLget. *Ibidem.* Vid. Tab. XI. N. 296. *T. XI. N. 296.*

39. ✠ *Der siegende Kaiser Leopold.* Protome Imperatoris laureati, ad pectus cum aureo vellere.

Durch Gottes Gnad mit Rath und That den Christen Feind bestritten hat. Turca sedens inter confractos arcus, & sagittas, supra quem nubes, & in hac oculus divinæ providentiæ, laurea, sceptrum, & ensis. In circulo exteriore: Sehet wie der Herr seinen Gesalbten hilft. *Num. Stann. ibid.*

40. LEOPOLDO ET IOSEPHO AVGG. SÆCVLARIA SACRA CELEBRANTIBVS. 1700. HIS EGO NEC METAS RERVM NEC TEMPORA PONAM. Imp. Leopoldus M. & Josephus Rex pone aram ignitam adsidentes, adstantibus Saturno cum falce, quam frangere parat, & Muliere cum cornucopiæ.

Pars aversa sic habet: GLORIA SÆCVLI VIRTVS CÆSS. Saturnus in Nube dextra tenet circulum e serpente caudam sibi mordente formatum, cui inscriptum VII. sinistra falcem gerit. Juxta est epigraphe: SÆCVLO FESTAS REFERENTE LVCES. Demum in exteriore circulo: annVs sæCVLarIs XVII. a nato IesV ChrIsto CVI gLorIa sIt DICenDa In sæCVLa. *Stann. ibidem.*

41. D. M. LEOPOLDI. M. P. F. S. AVGVSTI. PP. QVI TERR. EREPTVS COELVM PETIIT. D. 5. MAI. 1705. Urna sepulcralis cum superpositis tribus coronis, supra quam epigraphe: EXTINCTVS AMABITVR IDEM. Infra vero: LVCTVS PVBLICVS.

In aversa: LEOPOLDVS IN IOSEPHO IMMORTALIS. Rex Josephus in throno sedens, supra quem Genius effigiem Leopoldi M. stellis coronatam tenet. Infra est Mulier humi sedens, manibus ad Josephum, retro quem Aquila cernitur, sublatis, addito hoc lemmate: IMPERII SOLATIVM. *Stann. ibidem.*

II. Monetæ usuales Aureæ Leopoldi M.

1. LEOPOLDVS D. G. RO. I. S. AV. GE. HV. BOH. REX. Protome Imperatoris, ad pectus cum aureo vellere.

ARCHIDVX AV. DVX BVRG. COM. TYR. 1660. Aquila biceps coronata, ense, ac sceptro armata, gerens pectore scutum coronatum, aureoque vellere circumdatum, in quo quatuor fasces, & crux patriarchalis super Tricolle coronato. Siglæ: N. B. *Aureus decuplus Musei Cæs. Vindob.*

2. LEOPOLDVS cet. ut supra. Eadem protome, sed accedit in lateribus hinc scutulum Regni Hung. inde icon Mariana.

ARCHIDVX cet. ut supra 1678. Aquila biceps coronata, ense, ac sceptro armata, gerens pectore scutum, in quo fasciæ Hung. cum leone Bohemico alternant, & in medio scuti est parmula Austriaca. Siglæ: K. B. *Aureus decuplus ibidem.*

3. LEOPOLDVS D. G. RO. I. S. A. GE. HV. B. REX. Stans Imperator coronatus palliatus, & loricatus d. sceptrum, s. globum crucigerum tenet, siglæ. K. B.

ARCHID. AV. DV. BVR. MAR. MORA. CO. TYR. 1674. Deipara undique radiata d. sceptrum, s. Jesulum tenet, qui altera manu habet globum crucigerum, altera benedicit. Sub pedibus luna, & infra hanc scutulum coronatum complectens insignia Regni Hung. *Aureus quinduplus Musei Cæs.*

Sub nullo hactenus Rege Hungariæ tot, tamque variæ magnitudinis ac formæ signati sunt aurei, quot sub Leopoldo Magno. Inscriptio, typusque eorum vulgaris est hujusmodi, qualem in primis his tribus aureis vidimus.

4. LEO-

4. LEOPOLDVS D. G. ROM. IMP. S. A. G. HVNGARI. REX. Protome Imperatoris laureati, ad pectus cum aureo vellere.

S. IMMACVLATA VIR. MAT. DEI PAT. HVNGA. 1687. Deiparæ in pleno lumine d. Jeſulum, s. ſceptrum, ſub pedibus luna, & nubes. In area N. B. inferius L. M. *Aureus decuplus Com. Feſtetics.* Vid. Tab. IX. N. 259. *T. IX. N. 259.*

Epigraphe: *Sancta Immaculata Virgo Mater Dei Patrona Hungariæ* in Numis Leopoldinis nova eſt, habetque originem ab inducta per Ferdinandum III. Leopoldi Patrem peculiari devotione erga immaculatam Deiparæ conceptionem, cujus cauſa Cæſares Auſtriaci usque ad Joſephum II. ſolenne votum de hac ſententia tuenda in Viennenſi templo S. Stephani Protomartyris die 8. Decembr. quotannis nuncupare ſolebant. N. B. *Nagybánya.* L. M. nomen Præfecti Cameræ Nagybányenſis.

5. LEOPOLDVS D. G. ROM. I. S. AVG. GER. HVN. BO. REX. Protome Imperatoris laureati, & aureo vellere ornati.

DVCATVS NOV. TRANSILVANIÆ 1695. Aquila biceps coronata, enſe, & ſceptro armata, gerens pectore ſcutum coronatum, & aureo vellere cinctum, in quo inſignia ſunt ſolius Tranſilvaniæ. Infra aquilam ſiglæ: K. V. *Aureus decuplus Muſ. Cæſ. Vindob.* Vid. Tab. IX. N. 260. *T. IX. N. 260.*

Nova rurſus epigraphe: *Ducatus Novus Tranſilvaniæ*, quæ non tantum in hoc decuplo, ſed etiam in aliis aureis ſimplicibus, Claudiopoli ſub Leopoldo M. procuſis, reperitur. Siglæ: K. V. ſignificant *Kolos Vár*, latine Claudiopolim. Appellatio *Ducati* pro Numo *aureo* inde forſitan orta eſt, quod in antiquis aureis Venetis hoc vocabulum, etſi alio ſenſu inſcriptum fuerit, nempe hoc modo: *ſit tibi Chriſte datus, quem tu regis, iſte Ducatus.* Hanc epigraphen primus Numis aureis intulit *Joannes Dandulus* Dux Reipublicæ Venetæ circa ann. 1280.

6. IN MANIBVS TVIS SORTES MEÆ. CONSILIO ET PATIENTIA. Effigies Sancti *Josephi* ſtantis coronati, nimbati, ac dextera Jeſulum, ſiniſtra florem lilii pro ſceptro tenentis.

PATRONA HVNGARIÆ. 1671. Deipara in pleno lumine coronata, nimbata, ſedens d. ſceptrum tenet, s. Jeſulum. Sub pedibus luna, & infra hanc ſcutulum coronatum, in quo ſunt conſueta Regni Hungariæ inſignia. *Aureus ſimpl. Muſei Cæſ. Vindob.*
T. IX. N. 264. Vid. Tab. IX. N. 264.

Numus rarus ob epigraphen, & *S. Joſephi* imaginem. In Hungaria tempore *Leopoldi Magni* ſignatum fuiſſe, ſcutum Hungaricum infra effigiem Deiparæ, & inſcriptio *Patrona Hungariæ* addito anno 1671. certos nos reddit. An tamen ejus Auctor fuerit ipſe Imp. *Leopoldus M.* vel forte alius quisquam? non æque liquet. Fuit autem annus 1671. quo hic *Aureus* in lucem prodierat, admodum memorabilis. Eo enim labente, poſt ſumptum de illis, qui conjurationis Veſſelinianæ rei erant, ſupplicium, Hungaria omnis arctius haberi cœpit, conſultatumque fuit de immutanda totius regiminis hungarici forma, atque ad militarem Ordinis Teutonici normam reducenda; abrogata Palatini dignitas: Joannes Caſpar *Ambrigenius* S. R. I. Princeps, atque Ordinis Teutonici Magiſter, Hungaris ſumma cum poteſtate tertio poſt anno datus. En rerum adjuncta, in quibus *Aureus*, de quo nunc agimus, prodiit cum inſcriptionibus: *In manibus tuis ſortes meæ. Conſilio, & Patientia.*

7. LEOPOLD. D. G. R. I. S. A. G. H. B. REX. Imperator ſtans coronatus, palliatus, loricatus, enſe præcinctus, & aureo vellere ornatus d. ſceptrum tenet, s. globum crucigerum.

AR. AV. DV. BV. M. MO. CO. TY. 1689. Deipara coronata, nimbata, ſedens in pleno lumine d. ſceptrum tenet, s. Jeſulum. Sub pedibus luna, infra hanc ſcutulum coronatum Regni Hung. *Aur.*
Tab. IX. N. 262. *ſimpl. R. Univ. Peſtin. & alibi obvius.* Vid. Tab. IX. N. 262.

8. LEO-

8. LEOPOLDVS D. G. &c. ut in antica præcedentis aurei. Præterea ſiglæ: C. H.

AR. AV. DV. BV. MA. MO. CO. TY. 1699. Icon Mariana, ut ſupra; & ſcutulum Hung. *Aur. ſimp. Muſei Cæſ.* Vid. Tab. IX. N. 263. T. IX. N. 263.

Siglæ C. H. fors *Cibinium*, *Herrmanſtadt*, latinum, & germanicum nomen unius ejusdemque Civitatis in Tranſilvania.

9. PATRONA. HVNGA. 1685. Icon Mariana ſolitis cum atributis.

LEOP. D. G. R. I. S. A. G. H. B. REX. Scutum coronatum bipertitum, in quo a dextris 4. faſciæ, a ſiniſtris crux hungarica ſuper Tricolle coronato. *Aureolus ibidem.* Vid. Tab. IX. N. 265. Tab. IX. N. 265.

10. LEOPOLD. D. G. R. I. S. A. G. H. B. REX. Caput laureatum Leopoldi M. infra quod circulus, in quo $\frac{1}{4}$.

PATRONA. HVNGARO. 1696. Deipara coronata, nimbata ſedens, d. ſceptrum, ſ. Jeſulum tenet. Siglæ: N. B. *Quadrans aurei ſimplicis Nagybaniæ ſignatus. Ibidem.* Vid. Tab. IX. N. 266. T. IX. N. 266.

11. Antica, ut in præcedente, ſed infra caput $\frac{1}{6}$ in circulo.

S IMMACVL. VIR. MA. MAT. D. P. H. 1698. Deipara in pleno lumine ſtans ſuper luna, capite nimbato, ſine corona, dextro ſinu gerit Jeſulum, ſiniſtra manu ſceptrum. Infra lunam parmula coronata Regni Hungariæ. Siglæ: N. B. *Sextula Aurei ſimplicis ibidem.* Vid. Tab. IX. N. 267. Tab. IX. N. 267.

Hic Numulus ob exiguitatem ſuam ſimul, & averſæ epigraphen non obviam, rarus eſt.

12. LEOPOLDVS AVG. IMP. CÆSAR P. F. 1689. Caput laureatum, ad pectus cum aureo vellere. Infra: Strobilus, inter duas ſoleas.

ELEONORA MAG. TERES. C. P. R. B. I. C. E. M. D. ROM. IMP. Caput Imperatricis. *Aur. ſimpl. Com. Feſtetics.* Vid. Tab. IX. N. 268. T. IX. N. 268.

Præ-

Præfentem Aureum, licet extra Hungariam, utpote Auguftæ Vindelicorum, (quod fignum *Strobili* indicat) procufum, hoc loco defcripfi propter effigiem *Eleonoræ* Auguftæ, Hungariæ Reginæ. Epigraphe fic legenda eft: *Eleonora Magdalena Therefia Comes Palatini Rheni, Bavariæ, Juliaci, Cliviæ & Montenfium Dux Romanorum Imperatrix.*

Prima Imp. *Leopoldi Magni* Conjux fuit *Margaretha Therefia* Philippi IV. Hifpan. Regis filia, quæ obiit anno 1673.

Altera *Claudia Felicitas*, Ferdinandi Caroli Archid. filia, obiit 1676.

Tertia *Eleonora* Magd. Theref. Philippi Wilhelmi Neuburg. Palat. filia, ex qua nati *Jofephus I.* & *Carolus VI.* Reges Hungariæ. Nupfit ann. 1676. Obiit 1720. 19. Jan. Alia Numismata, in quibus hujus Auguftæ memoria recurrit, poft Numos Imp. *Jofephi I.* recenfebuntur.

III. Monetæ argenteæ, & æneæ Leopoldi M.

1. LEOPOLDVS D. G. RO. I. S. AV. GER. HV. BO. REX. Caput laureatum, vultu adhuc imberbi, ad pectus cum aureo vellere. Intra perigraphen hinc fcutulum Regni Hungariæ, inde icuncula Mariana.

ARCHIDVX. AVS. DVX BVR. MAR. MOR. CO. TY. 1660. Aquila biceps coronata, capitibus nimbatis, enfeque, & fceptro armata, pectore gerens fcutum coronatum, & aureo vellere cinctum, in quo 4. fafciæ Hung. cum leone Bohemico alternant,
T. IX. pofita in medio fcuti parmula Auftriaco-Burgundica. Siglæ: K. B.
N. 269. *Talerus obvius.* Vid. Tab. IX. 269.

2. Alii fimiles diverforum annorum, *obvii antea, nunc rarefcunt.*

3. Antica, uti Num. 1. fed vultus provectioris ætatis.
Tab. IX. Eadem etiam pars averfa, uti N. 1. fed annus 1691. *Talerus*
N. 270. *Mufei Cæf. Vindob.* Vid. Tab. IX. N. 270.

Eodem

Eodem typo, iisdem inſcriptionibus ſub Leopoldo M. ſignabantur etiam *medii Talleri*, & horum *Quadrantes*, vulgo *floreni Rh.* & *medii fl.* dicti.

4. LEOPOLDVS D. G. ROM. IMP. S. A. G. HVNGARI. REX. Caput laureatum, ad pectus cum aureo vellere.

S. IMMACVLATA VIR. MAR. MAT. DEI. PAT. HVNG. A. 1687. Stans Deipara in pleno lumine d. Jeſulum, s. ſceptrum: ſub pedibus luna, infra hanc ſcutum coronatum Regni Hung. ſiglæ: L. M. *Tallerus Muſei Cæſ.* Vid. adnotationes ad ſimilem Aureum *Tab. IX. N.* 259. deſcriptum, ſupra inter Aureos N. 4*to*.

5. LEOPOLDVS D. G. R. I. S. A. G. H. B. REX. Caput laureatum, ad pectus cum aureo vellere. Infra eſt circulus, in quo nota numerica 3. valorem totidem cruciferorum indicans.

PATRONA. HVNGARIÆ. 1699. Deipara coronata, nimbata ſedens, radiis undique colluſtrata, tenet dextera ſceptrum, s. Jeſulum. Sub pedibus luna, infra hanc parmula coronata Regni Hungariæ; juxta a dextris C. a ſiniſtris S. in ſcutulo. In area Numi ſiglæ: C. H. *Groſſus arg. tricruciger in compluribus Muſeis.* Vid. Tab. IX. N. 271. *T.* IX. *N.* 271.

Dantur etiam groſſi dupli, & quindupli Leopoldini, quorum valor poſtea crevit, ita, ut qui erant 6. cruciferorum, jam ſeptem valuerint, *Septenarii* idcirco dicti; alii vero XV. cruciferorum ad cruciferos XVII. elevati erant, nomenque *Marianorum* ab effigie Mariana acceperunt.

6. LEOPOLD. D. G. R. I. S. A. G. H. B. REX. Caput laureatum.

P. H. Id eſt: *Patrona Hungariæ.* Icon Mariana ſolitis cum attributis. Infra quæ ſcriptum: POLTVRA. 1696. Arg. poltura, ſeu medius groſſus, valore 1½ cruciferi. *Obvius alias, nunc rarior Numus.* Vid. Tab. IX. N. 272. *T.* IX. *N.* 272.

7. LEO-

7. LEOPOLD. D. G. R. I. S. A. G. H. B. REX. Scutum coronatum, in quo utrumque inſigne Regni Hungariæ; & Siglæ: C. H.

T. IX. N. 273. DVARIVS. 1695. *Arg. numulus.* Vid. Tab. IX. N. 273.

Habebat valorem unius *gröſchlæ* Moravicæ; duo nempe *Duarii* efficiebant unam polturam; quatuor vero unum groſſum tricrucigerum.

8. PATRONA. HVNGA. 1673. Icon Mariana ſolitis cum attributis.

LEOPOLD. D. G. R. I. S. A. G. H. B. REX. Scutum cum utroque inſigni Hungariæ. Siglæ: K. B. *Arg. den. obvius.* Vid. Tab. IX. N. 274.

Tab. IX. N. 274.

Quinque idgenus denarii conſtituebant groſſum tricrucigerum.

9. Icon Mariana cum ſceptro, & Jeſulo. Annus 1693.

Scutum coronatum, in quo hinc 4. faſciæ, inde crux duplex ſuper Tricolle coronato. Siglæ: K. B. *Obulus arg.* Vid. Tab. IX. N. 275.

T. IX. N. 275.

Decem hujus generis Obuli pro groſſo tricrucigero.

10. L. coronatum inter duos lauri ramos.

T. IX. N. 276. 1698. Monogramma ex C & H. & Nota numerica 3. *Numus cupreus, trium forte obulorum valore.* Vid. Tab. IX. N. 276.

11. L coronatum inter duos lauri, vel palmæ ramos.

T. IX. N. 277. 1702. Monogramma ex C & S. *Numus cupreus.* Vid. Tab. IX. N. 277.

12. Monogramma ex L & S. annus 1705.

T. IX. N. 278. EX NECESSITATE. Infra eſt nota valoris X. *Numus cupreus* ſub Rákocziana revolutione ſignatus, dein abolitus. Tab. IX. N. 278.

CAPUT

CAPUT TERTIUM.

Numi Regum Hung. Sæculi XVIII. descripti, & illustrati.

§. IX.

Numi IOSEPHI I. Regis, qui coronatus est vivo Patre anno 1687. successit 1705. Obiit 1711.

I. Numismata mnemonica coronationis, connubii, victoriarum cet.

1. IOSEPHVS. D. G. HVNGARIÆ REX ARCHIDVX AVSTRIÆ. Scriptum in scheda circumvoluta laureæ, intra quam Protome Regis cultu hungarico. Perigraphe in peripheria Numi: O QVA SOL HABITABILES ILLVSTRAT ORAS, MAXIME PRINCIPVM. Infra effigiem occurrit monogramma ex HB. & paullo infra lauream C. PRIVI. CAES. M. F. id est: *Henricus Borst cum privilegio Cæsareæ Majestatis fecit.*

In aversa parte: LEOPOLD. MAGN. TVRC. DOMITOR. Caput laureatum Leopoldi Magni inter binos lauri ramos, supra quos hoc lemma est: IVSTITIA EIVS MANET. Hæc in medio sunt, & circumdantur aliis quatuordecim capitibus Cæsarum Stirpis Austriacæ, additis eorum nominibus; cum hac perigraphe: GENERATIO RECTORVM BENEDICETVR. POTENS IN TERRA SEMEN EIVS. PS. CXI. Extimus Numismatis circulus præterea hac alia inscriptione ambitur: PRÆSENTI TIBI MATVROS LARGIMVR HONORES. NIL ORITVRVM ALIAS NIL ORTVM TALE FATENTES. *Stann. R. Univ. Pestin.* Vid. Tab. XI. N. 297. *T. XI. N. 297.*

2. IOSEPH. DER. I. KÖNIG. IN HVNGA. Caput Regis, ad pectus cum aureo vellere.

HIC. ELECTVS. MEVS. Brachium humanum erectum tenens manu coronam, & ſceptrum. *Arg. Com. Feſtetics.* Vid. Tab. XII. N. 303.

T. XII. N. 303.

3. DIE SEGEN KOMMEN AVF DAS HAVPT IOSEPHS. *Gen.* 19. Protome Regis Joſephi capite nudo, ad pectus cum aquila bicipite, & aureo vellere, advolantibus duobus geniis alatis, quorum alter tres coronas ſceptro inſertas, alter haſtam cum tribus laureis ſupra caput attollunt.

In averſa: IosephVs prIMVs In InferIorI atqVe sVperIorI hVngarIa reX pIVs aVgVstVs arChIDVX aVstrIæ. Imp. Leopoldus dextra coronam hungaricam filio Joſepho, cum haſta, & globo crucigero adſtanti, imponit. Retro eſt proſpectus arcis Poſonienſis in una, & Budenſis altera parte, adſcriptis vocabulis hinc PRESBVRG, inde OFEN. Perigraphe vero hæc eſt: DO IOSEPHO PARTEM. QVAM TVLI DE MANV HOSTIS IN GLADIO. GEN. 48. In exteriore demum circulo hæc leguntur: ICH WILL DIS LAND ZV EIGEN GEBEN DEN SAMEN IOSEPHS NACH IHN EWIGLICH. GEN. 48. *Arg. C. Feſtetics.* Vid. Tab. XII. N. 304.

T. XII. N. 304.

Pro antica parte hujus Numiſmatis formam ſculpſit *Georgius Hautſch*; pro averſa vero *Lazarus Gottlieb Laufer*; uti ex literis L. G. L. in margine Numiſmatis occurrentibus colligitur. Sed G. H. chalcographus noſtræ Tabulæ non expreſſit in altera parte, ut ut in originali etiam hæ literæ conſpicuæ ſint.

4. REGNO REDINTEGRATO IOSEPHVS REX DATVS. D. IX. DEC. MDCLXXXVII. Protome Regis capite coronato, ad pectus cum paludamento.

PANNONIA READOLESCENS. Porta triumphalis, cui adſidens Mulier manu dextra legit maturos papaveris fructus, ſiniſtra tenet plenum fructibus cornucopiæ. Portæ ornamenta ſunt: primum duo ſcuta coronata columnis affixa, in uno eſt monogramma Joſe-

Josephi Regis, in altero insignia regni Hungariæ; cum in medio laurea, cui incumbit corona inter duos lauri ramos: trans lauream apparet Metropolis Hungariæ Buda, adscripto vocabulo OFEN. In circulo Numismatis exteriore perigraphe est: AVSTRIA VICTORIIS GRAVIDA PARIT REGES. *Argent. R. Univ. Pest.* Vid. Tab. XII. N. 305. *T. XII. N.* 305.

5. IOSEPH IM NAHMEN VND ERBRECHT DER ERSTE. Protome Regis capite nudo.

DIR VND DEINEM SAMEN NACH DIR. DEN 9. DEC. 1687. Mulier genuflexa coronam Hungariæ offert adstanti Regi. Infra in medio conspicuum est scutum heraldicum Regni Hung. *Arg. ibid.* Vid. Tab. XII. N. 306. *T. XII. N.* 306.

6. SED ET HÆC QVÆ NON POSTVLASTI DEDI TIBI. 3. REG. 3. CA. Rex genuflectens ritu orantis, oculis, & manibus cœlum versus elevatis, unde manus exporrecta coronam illi offert. Humi jacet sceptrum, gladius, & pomum Imperii. Retro conspicua est urbs, & arx Posoniensis.

In aversa hæc sunt: IOSEPHVS ARCHIDVX AVSTRIÆ CORONATVS IN REGEM HVNGARIÆ POSONII DIE. IX. DECEM. MDCLXXXVII. Ensis erectus cum circumvoluta laureæ fronde; supra est oculus radiatus divinæ providentiæ; & hoc symbolum: AMORE ET TIMORE. *Arg. ibid.* Vid. Tab. XII. N. 307. *T. XII. N.* 307.

7. Corona inter duos palmæ ramos, & epigraphe: IOSEPHVS ARCHIDVX AVSTRIÆ CORONATVS IN REGEM VNGARIÆ. POSONII DIE. 9. DECE. 1687.

In aversa: Ensis erectus cum circumvoluto lauri ramo, supra quem oculus divinæ providentiæ. Epigraphe: AMORE ET TIMORE. *Arg. ibidem.* Vid. Tab. XII. N. 308. *T. XII. N.* 308.

8. IOSEPH DER I. KÖNIG IN HVNGARN. Protome Regis capite nudo, ad pectus cum aureo vellere.

GEKRÖNT. IN PRESBVRG 1687. DEN 9. DEC. Scutum coronatum, ac torque aurei velleris circumdatum, in quo eſt utrumque Regni Hungariæ inſigne. In circulo exteriore: DIE LIEB
T. XII. DER FREVND MACHT FVRCHT DEM FEIND. *Arg. ibidem.*
N. 309. Vid. Tab. XII. N. 309.

9. IOSEPHVS I. REX HVNGARIÆ. Caput laureatum Regis.

DECRESCENTE RADICABITVR. Arbor palma cui incum-
T. XII. bit nubes, & ſupra hanc luna decreſcens. *Arg. Com. Feſtetics,* Vid.
N. 310. Tab. XII. N. 310.

10. *IOSEPHVS der Erſte König in Vngarn. MDCLXXXVII.* Protome Regis, ad pectus cum aureo vellere. Capiti imminet manus ex nube adferens coronam Hungariæ.

In averſa: *IOSEPH wird wachen wie an einer Quelle.* I. *Buch Moſe in* 49. Arbor pomifera, cujus trunco inſculptum nomen IOSEPH. Ex ramis pendent duo ſcuta, Auſtriacum, & Hungaricum. Retro arborem conſpiciuntur aliquot civitates ſuis cum agris, & hæc civitatum nomina: WIEN. PRESBVRG. OFEN arx, & præterfluens Danubius, in cujus alveo inſcribitur DONAV. fl. In exteriore circulo, qui utrique Numismatis paginæ communis eſt, legitur hæc inſcriptio Latino-germanica: AVSTRIA / ALLER EXTENDETVR / EHREN IN / IST ORBEM / OSTERREICH VNIVERSVM. / VOLL. In fine F. K. id eſt: *Friedericus Kleinert* fecit. *Stanneus, Ovalis formæ maximæ R. Univ. Peſtin.*

11. IOSEPHVS ET WILHELMINA AMALIA D. G. ROM. REX. ET REGINA. Duo capita mutuo ſeſe reſpicientia, addito hoc lemmate: NIL VIGET QVICQVAM SIMILE NEC SECVNDVM. In immo margine: P. H. M. id eſt: *Philippus Henricus Miller* fecit, Monetarius Auguſtanus.

In averſa: MDCXCVIIII. DVPLICEM CYTHEREA CORONAM DONAT. Stans Venus, advolante cum duabus coronis Cu-

pidine

pidine. In exteriore circulo: NON DEFICIET EX TE VIR QVI SEDEAT SVPER THRONVM ISRAEL. II. PAR. 6. *Stann. Ibidem.*

12. IOSEPHI. ROM. ET. HVNG. REG. CVM AMALIA LVNÆB. CONNVBIVM. 1699. Aquila ſuper throno, ferens coronam duobus ornatam cordibus. Adſtat hinc Juno, inde Venus cor in manu habens, cui proximus eſt Cupido cum duabus tædis ardentibus. In medio horum Sponſus, & Sponſa dexteras jungunt, quibus hæc additur epigraphe: IN VNA SEDE MORANTVR MAIESTAS ET AMOR.

In averſa hæc occurrunt: MARTI PACIFERO. VENERI FELICI. Duæ tædæ in decuſſim poſitæ. In medio ſtat Mars inter duos Cupidines, uno galeam, altero clypeum tenente. Juxta eſt Venus quoque dextra ſpeculum tenens, ſiniſtra Marti ramum olivæ offerens. Lemma: BELLORVM REQVIES. ET SACRA VOLVPTAS. In circulo demum exteriore: IOSEPHI ET AMALIÆ THORVS EX VOTO SIT FAVSTVS ATQVE FOECVNDVS. In fine, minuſculo charactere: P. H. M. ſeu *Philippus Henricus Miller*, intellige, fecit. *Stann. Ibidem.*

13. IOSEPHVS D. G. ROM. ET HVNG. REX. Protome Regis, ad pectus cum aureo vellere.

LANDAVIA RECEPTA D. 10. SEP. 1702. Proſpectus urbis Landaviæ, & caſtrorum, ex quibus oppugnabatur tormentorum explosione. Epigraphe: ARMORVM PRIMITIÆ. In circulo exteriore: LEOPOLDE! NVNC TE PROLE TVA IVVENEM GERMANIA SENTIT: BELLAQVE PRO MAGNO CÆSARE CÆSAR AGIT. *Stann. ibidem.*

14. Antica parte hæc ſunt: LANDAVIA BIS CAPTA. D. 25. Nov. 1704. Proſpectus urbis Landaviæ, & caſtrorum, addito hoc lemmate: CESSIT SECVNDVM CÆSARI. In circulo exteriore: VICTORIARVM ANNI MDCCIV. FELIX COMPLEMENTVM. *Stann. ibidem.*

15. IOSEPHVS D. G. ROM. IMPERATOR. Protome Imperatoris capite laureato.

SECVRITAS PROVINCIARVM. Mulier capite turrito ſedens cum clypeo, cui inſcriptum eſt: DE LANDAVIA ITERVM D. XXV. NOV. juxta tropæum, corona murali, duobus palmæ ramis, & aquila fulminifera armatum, retro adſtante Victoria in urbis Landaviæ conſpectu, cui additur Chronoſtichon: CeDIt bIs CæsarIs arMIs. In circulo exteriore: reX IosephVs LanDaVIVM Iterata VICe sttenVe eXpVgnat. In fine F. K. id eſt: *Fridericus Kleinert* fecit. *Stann. ibidem.*

16. IOSEPHVS REX ROM. Caput Joſephi infra tres coronas, ſuper arbore conſpicuas in medio horti, palatio, frontibus ſalientibus, & ſtatuis ornati. Perigraphe: FILIVS ACCRESCENS IOSEPH ET DECORVS ASPECTV. SEDIT IN FORTI ARCVS EIVS.

In averſa parte: SCILICET HVNC VIVVS CERERIS PARTVS ADORAT. CVMQVE SORORE OLIM CYNTHIVS IPSE COLET. Rex inſidens throno aquila bicipite inſignito, & ante illum Mulier genuflexa, ſpicarumque manipuli inclinati. In exteriore circirculo: NON AMBITV ARMATO SED IVSTITIA MAIORVM CORONANTVR POSTERI. In fine F. K. idem, qui præcedentis Numismatis artifex. *Stann. ibidem.*

17. IOSEPHVS D. G. ROM. IMPERATOR S. A. Protome Imperatoris.

SERVATOR ORBIS. GENES. XLI. V. 46. MDCCV. Stans Hercules dextra tenet globum terraqueum, læva clavam. Perigraphe: PONDERA COELESTI MENTE PATERNA FERET. In circulo exteriore: PERPETVA SOLVET FORMIDINE TERRAS VIRG.

18. Antica, ut in præcedente.

IOSE-

IOSEPHO IMPER. REGIMEN FELICIT. CAPESSENTE MDCCV. Imperator insidens globo terraqueo ab adstante Marte gladium, olivæ ramo revinctum accipit manu dextra, sinistra vero gubernaculum globo impositum tenet, Victoria sibi palmam offerente, Felicitate autem lauream gubernaculo Cæsaris inserente, in cujus altera manu cornucopiæ. Epigraphe: FELIX TEMPORVM REPARATIO. In exteriore circulo: HOSTES IMPERII PORRO DEPELLE IOSEPHE ET PROSPER PERGENS HOSTICA REGNA PETE. *Stann. ibidem.*

19. Aquila biceps coronata, gladio, sceptroque armata, pectore gerens scutum coronatum Regni Hungariæ.

In aversa hæc epigraphe: SIGNVM FIDELITATIS AVG. ROM. IMP. IOSEPHI PRIMI AVSTRIACI. 1706. *Numisma cupreum* *T. XII.*
ibidem. Vid. Tab. XII. N. 314. *N.* 314.

20. IOSEPHVS D. G. ROM. IMPERATOR. Caput Imperatoris corona aperta radiata cinctum.

MORS ET AETERNITAS IOSEPHI. Urna sepulchralis, cui incumbit corona, supervolitante Fama cum tuba, & scheda hujus inscriptionis: CAESAREM VEHO. Alia Epigraphe: A FOVEA AD GLORIAM. *Argent. ibidem.*

Sequuntur duo Numismata mnemonica ELEONORÆ Augustæ, Matris Imp. IOSEPHI Primi.

21. IOSEPHI EXTREMVM ABSOLVIT LEONORA LABOREM HVNGARIA RECEPTA. MDCCXI. Imperatrix Eleonora sedens dextra manu ramum olivæ Mulieri genuflexæ, atque scutum Regni Hungariæ tenenti offert, sinistra hastam tenet.

Pars aversa est eadem, quæ in præcedente Numismate defuncti Imperatoris Josephi. *Stann. ibidem.*

Obierat *Josephus I.* in ipso ætatis flore, die 17. April. 1717. Moriturus matrem suam *Eleonoram*, donec Carolus frater ex Hispania rediret, constituit Regnorum suorum, ac provinciarum guberna-

bernatricem, quæ postremos in Hungaria tumultus *Rakoczianos* pace Szathmáriensi, conditis die 1*ma* Maji eodem anno concordiæ tabulis, prospere terminavit.

22. ELEON. MAG. THERES. ROM. IMP. MAT. AVGG. Protome *Eleonora Magdalena Theresia Romanorum Imperatrix*, *Mater Augustorum duorum*, scilicet *Josephi I.* & *Caroli VI.* addita hac alia epigraphe: VIRTVTES CONTINET OMNES.

Pars aversa sic habet: GENITRIX FOECVNDA DEORVM. Imperatrix, duos inter Cæsares media, in forma Cybeles curru a leonibus tracto vehitur. In circulo exteriore: LÆTA DEVM PARTV CENTVM COMPLEXA NEPOTES. In fine F. K. sive *Fridericus Kleinert* fecit. *Stann. ibidem.*

ELEONORA Augusta, LEOPOLDI Magni, ut jam supra dictum fuit, tertia Conjux, prudentia, morumque integritate spectatissima, obiit anno 1720.

II. Monetæ communes Aureæ ejusd. Imperatoris, ac Regis.

1. IOSEPHVS. D. G. R. I. S. A. G. H. B. REX. Imperator capite coronato stans palliatus, loricatus, ense præcinctus, dextra tenet sceptrum, sinistra globum Imperii, mensulæ impositum.

AR. AV. DV. BV. MA. MO. CO. TY. 1705. Deipara coronata nimbata, radiis undique collustrata sedens d. sceptrum, s. Jesulum cum globo crucigero, tenet Sub pedibus luna, infra quam
T. XII. scutum coronatum Regni Hung. *Aur. simpl. Musei Cæs.* Vid. Tab.
N. 298. XII. N. 298.

2. IOSEPH: D: G: R: I: S: A: G: H: B: REX. Imperator coronatus, palliatus, loricatus stans d. sceptrum, s. globum crucigerum.

AR: AV: DV: BV: M: MO: CO: TY: 1709. Icon Ma-
T. XII. riana &c. ut in præcedente. *Aur. simpl. Obvius.* Vid. Tab. XII.
N. 299. N. 299.

3. IOSE-

3. IOSEPHVS D. G. &c. ut ſupra. Eadem quoque effigies Imperatoris. Sed in area occurrunt ſiglæ: C. H.

PATRONA HVNGARIÆ. 1709. Icon Mariana, uti ſupra. Sed infra hanc ſcutum coronatum Regni Hungariæ in medio duorum aliorum ſcutulorum, quibus inſcriptæ literæ P. W. *Aur. ſimpl. ibidem.* Vid. Tab. XII. N. 300. *T. XII. N.* 300.

4. IOSEPHVS &c. ut in præcedente: ſed ſiglæ C. B.

PATRONA HVNGARIÆ: 1711. Icon Mariana uti ſupra: & infra hanc ſcutum coronatum Hung. inter duo alia, quibus P. & W. literæ inſcriptæ. *Quadrans aurei ſimplicis ibidem.* Vid. Tab. XII. N. 301. *T. XII. N.* 301.

5. IOSEPH. D: G: R. I. S. AV. G. Caput laureatum.

PATRONA. R. HVNG. 1710. Icon Mariana ſolitis cum attributis, infra quam occurrit ſcutulum coronatum Regni Hungariæ, & ſiglæ: K. B. *Quadrans Cremnicenſis aurei ſimpl. ibidem.* Vid. Tab. XII. N. 302. *T. XII. N.* 302.

6. IOSEPHVS D. G. R. I. S. AV. GE. HV. B. REX. Protome Imperatoris laureati, ad pectus cum aureo vellere; & in lateribus hinc ſcutulum coronatum Hungariæ, inde icon Mariana.

ARCHID. AV. DV. BV. MAR. MO. CO. TY. 1708. Aquila biceps coronata, nimbata, enſe, & ſceptro armata, gerens pectore ſcutum coronatum, ac torque aurei velleris cinctum, in quo ſunt inſignia Hungariæ, & parmula Auſtriaca. In area ſiglæ: C. H. & inferius CS. H. *Aur. decupl. Muſei Cæſarei Vindon. editus Monnoies en Or.*

7. IOSEPHVS D. G. R. I. &c. ut ſupra. Caput Imperatoris laureatum, ad pectus cum aureo vellere.

ARCHID. AV. &c. ut ſupra. Aquila biceps coronata, enſe, & ſceptro armata, gerens pectore ſcutum, in quo ſunt inſignia

Principatus Tranſilvaniæ. Infra Aquilam parmula cum duobus enſibus decuſſatis civitatis Cibinienſis. *Aur. decupl. ibidem.*

III. Monetæ argenteæ ejusdem.

1. IOSEPHVS D. G. R. I. S. A. GE. HV. BO. REX. Protome Imperatoris laureati, ad pectus cum aureo vellere. A dextris ſcutulum Regni Hung. a ſiniſtris icon Mariana.

ARCHIDVX AVS. DVX. BVR. MAR. MOR. CO. TYR. 1709. Aquila biceps coronata, nimbata, enſe, & ſceptro armata, gerens pectore ſcutum coronatum, & aureo vellere circumdatum, in quo 4. faſciæ hung. alternant cum leone bohemico, & in medio ſcuti parmula Auſtriaco-Burgundica. *Talerus R. Univ. Peſtin.* Vid.

T. XII. N. 311. Tab. XII. N. 311.

2. IOSEPHVS D. G. R. I. S. A. G. H. B. REX. Caput laureatum, ad pectus cum aureo vellere. Infra eſt *Numerus* 3. valorem trium cruciferorum indicans.

PATRONA HVNGARIÆ. 1710. Deipara coronata, nimbata, in pleno lumine d. ſceptrum, ſ. Jeſulum. Sub pedibus luna: infra hanc ſcutulum coronatum Regni Hungariæ, additis literis hinc

T. XII. P. inde W. ſupra vero in area ſiglæ ſunt: C. H. *Groſſus tricruciger*

N. 312. *ibidem.* Vid. Tab. XII. N. 312.

3. IOSEPH &c. ut ſupra. Caput laureatum.

T. XII. POLTVRA. 1710. Icon Mariana, & P. H. id eſt: *Patrona*

N. 313. *Hungariæ.* Numus *Poltura* dictus ibidem. Vid. Tab. XII. N. 313.

§. X.

Numi CAROLI VI. Regis, ab Anno 1712. *ad* 1740.

I. Numismata Mnemonica.

1. IMP. CAES. AVG. CAROLVS VI. Caput laureatum; infra quod R. id eſt *Richter* Monetarius.

Corona

Corona Regni Hungariæ a duobus Angelis sustentata; infra quam hæc epigraphe: CAROLVS VI. D: G: ELECT: ROM: IMP: S: AVG: GER: HISPANIAR: HVNG: BOHEM: &c. REX: A: AVST: CORONATVS POSONII. 22. MAY. MDCCXII. *Arg. R. Univ. Pest.n.* Vid. Tab. XIII. N. 323. *T. XIII. N.* 323.

2. CAROLVS VI. D. G. ROM. IMP. S. A. G. H. H. & B. REX. Caput laureatum, ad pectus cum aureo vellere.

REGNANDO RECREAT SISTITQVE CRVOREM. In medio malum granatum. Infra: CORONATIO IN REGEM HVNGARIÆ. 1712. *Arg. ibidem.* Vid. Tab. XIII. N. 322. *T. XIII. N.* 322.

3. Corona Hungariæ, & hæc epigraphe: CAROLVS VI. ROM: IMPER: S: A: GER: HISPAN: HVNG: BOH: REX. A: AVST. CORONAT9. POSON. 22. MAY. 1712.

CONSTANTIA ET FORTITVDINE. Globus terraqueus nubibus circumdatus. *Arg. ibidem.* Vid. Tab. XIII. N. 324. *T. XIII. N.* 324.

4. CAROLVS VI. D. G. ROM. IMP. S. A. GERM. HISP. HVNG. & BOH. REX. Protome Imperatoris capite laureato, ad pectus cum aureo vellere. Infra brachium literæ: G. W. V. id est: *Georgius Wilhelmus Vestner* fecit.

TVTA EST TOT IVNCTA CORONIS. Scutum coronatum Hungariæ corona, bipertitum, in quo 4. fasciæ, & crux patriarchalis coronato Tricolli insistens. Supra hoc tres coronæ, Imperialis, hispanica, & bohemica. *Arg. ibidem.* Vid. Tab. XIII. N. 326. *T.* XIII. *N.* 326.

5. CAR. VI. R. I. S. A. REX. CATH. ET APOST. COR. POSON. MDCCXII. Protome Imperatoris capite coronato, ad pectus cum aureo vellere.

Corona Regni Hungariæ super sceptro, & gladio in decussim positis. Infra est hæc epigraphe: IMP. CAR. VI. FELICITATIS PVBL. VT IN IMP. ITA IN HVNG. RESTITVTOR. CORON. MDCCXII. *Arg. ibidem.* Vid. Tab. XIII. N. 327. *T.* XIII. *N.* 327.

Chalcographi errore in Ectypo est loco PVBL. incisum CAR.

6. Perigraphe: HVNG. ET. HISP. REX CAROLE TERTIVS AVDIS. HVNG. ET HISP. CREDO SECVNDVS ERIS. Rex coronatus, palliatus, cultu hungarico in colle equitans, vibrato gladio. Infra est scriptum: FERRVMQVE TENEBAT HOC IPSE ÆACIDES. OVID. MET.

Globus terraqueus, circumdatus nubibus, cui superscriptum: CONSTANTIA ET FORTITVDINE. Supra hæc in aëre litera C. inter septem coronas, radiis in omnem partem sparsis. Perigraphe chronographica: superius: NON OCCIDIT VSQVAM. Inferius: CIRCVMFVSO PENDEBAT IN AERE. OVID. MET.

7. IMP. CAES. CAROL. VI. A. P. F. PP. Caput laureatum.

OCCIDVI DECVS AC ORIENTIS. Planeta Venus sparsis
T. XIII. inter nubes radiis. In imo Numi segmento: CORON. POSON.
N. 328. MDCCXII. *Arg. ibid.* Vid. Tab. XIII. N. 328.

Sequuntur Numismata mnemonica ob recuperatas urbes, Temesvarinum, & Belgradum, initamque pacem Passarovicensem &c.

8. CAROLVS VI. D. G. ROM. IMP. SEMP. AVG. Caput laureatum, infra quod litera V. id est: *Vestner* fecit.

PRIMITIÆ DEVICTIS TVRCIS. Imperatori sedenti coronato, sceptrumque dextera tenenti miles accedens ad thronum offert vexillum Turcicum, aliis vexillis, armisque Ottomanicis humi ja-
T. XIV. centibus. Infra legitur: CC. MILL. CASTR. OCCVP. V. AVG.
N. 331. *Arg.* Vid. Tab. XIV. N. 331.

9. CAROLVS VI. D. G. ROM. IMP. SEMP. AVG. Caput laureatum.

TEMESVARIA TVRCIS EREPTA. 12. OCT. Ichnogra-
T. XIV. phia urbis Temesiensis. Perigraphe: ARMIS CONSTANTIA ET FOR-
N. 333. TITVDINE CÆSARIS AB EVGENIO. *Arg.* Vid. Tab. XIV. N. 333.

10. IM-

10. IMPERAT. CAES. AVG. CAROLVS. VI. Caput laureatum.

TEMESWARO EPVGNATO. R. HVNG. TERMIN. DECVMAN. PRIMVM RESTITVTVS. MDCCXVI. Mulier ſedens dextra tenet coronam muralem, ſiniſtra haſtam Dacicam in caput Aſini deſinentem, ante illam humi proſtratus Turca ſub corbe viminaceo. Ad latus crux patriarchalis in Tabula marmorea. Retro proſpectus urbis Temeſienſis. *Arg.* Vid. Tab. XIV. N. 332. *T. XIV. N. 332.*

Temesvaro expugnato Regni Hungariæ Terminus Decumanus primum reſtitutus 1716. *Decumanus* idem qui præcipuus. Sic veteribus Romanis *porta decumana* caſtrorum dicta, quæ præcipua. Fluctus *decumani*, qui maximi. Provincia *Temeſienſis* quondam erat pars *Daciæ Trajanæ*: idcirco mulier *Temeſiam* repræſentans in hoc Numiſmate manu altera haſtam Dacicam tenet. Inciſor Numiſmatis hujus *Richter* exſculpſit in lapide humi jacente literam R. Integrum ejus nomen occurret in Numo 339.

11. Antica, ut in præcedente Numismate.

In Averſa hæc occurrunt: TEMESWARIO OCCVPATO. D. 12. OCT. 1716. Ichnographia urbis Temeſiæ, & ſequens perigraphe: TRANSYLVANIA METV AC INSIDIIS LIBERATA. *Stann. Reg. Univ Peſt.*

12. IMP. CAES. CAROL. VI. D. G. R. I. HI. HV. BO. REX. AR. AV. Caput laureatum, ad pectus cum aureo vellere.

DACIA. MOESIA SVP. PROVINCIAE CAROLI. Tropæum, forma lapidis terminalis, parte ſuperiore in figuram humanam, corona radiata ornatam effictum, ornatumque duabus aliis coronis, caſtrenſi, ac murali, vexillisque Turcarum, cui adſident duæ figuræ, Daciam, & Mœſiam ſuperiorem repræſentantes. Humi jacent duo acinaces. Infra: TAVRVNO CAPTO MDCCVII. Vid. Tab. XIV. N. 334. *T. XIV. N. 334.*

Dacia,

Dacia, *Moesia superior*, id est Servia, *provinciæ Caroli VI.* post receptum nempe Temesvárinum, & Belgrádum.

13. CAROLVS VI. D. G. ROM. IMP. SEMP. AVG. Caput laureatum, infra quod litera V. artificem *Vestnerum* indicans.

BELGRADO RECEPTO 18. AVG. MDCCXVII. Stans Hercules d. clavam, s. cornu Acheloi tenet. Retro prospectus Belgradi. Perigraphe: DEVICTI ACHELOI E CORNIBVS VNVM.
T. XIV N. 336. *Stann. ibidem.* Vid. Tab. XIV. N. 336.

Alluditur ad Lunam bicornem Imperii Turcici symbolum, facta comparatione cum cornibus Acheloi, fluminis fabulosi, ab Hercule domiti.

14. IMP. CAES. CAROLVS VI. AVG. P. FEL. P. P. Caput laureatum, infra quod nomen Incisoris *Richter* integre scriptum.

FVNESTA LACESSITIO. Hercules sublatum Antheum in aëre suffocans, jacentibus humi, clava, arcu, pharetra, & pileo Turcico. Infra quæ sequens epigraphe: CC. MILL. TVRCAR. FV-
T. XIV. GATA. VALLVM. CASTRO. EXPVGN. MDCCXVII. *Stann. ibid.*
N. 337. Vid. Tab. XIV. N. 337.

Ducenta Millia Turcarum fugata, vallum castrorum expugnatum 1717. scilicet ad Belgradum.

15. DIESEN NICHT ZV HOCH. NOCH ZV FEST. Belgradensis Turris, fulminibus impetita, & aquila cum sceptro ac fulmine contra eandem volans.

HÆTT ER AVCH ALHIER SEIN NEST. Luna inter stellas. Infra est hæc epigraphe: D. 16. AVGVSTI 1717. DER
T. XIV. TVRCKEN HEER ZERSTIEBT. VND BELGRAD SICH ERGIEBT
N. 335. D. 18. AVGVSTI 1717. *Arg.* Vid. Tab. XIV. N. 335.

Die 16. Aug. 1717. Turcarum exercitus dissipatur, & die 18. ejusd. Belgradum sese subdit.

16. HÆC

16. HÆC. FVERAT. TE. DIGNA. AVGVSTO CÆSARE. MESSIS. Duo milites cum falculis, intermedio ſpicarum manipulo, inſra quem Apri caput, ſagitta confixum. Infra eſt litera H. per quam indicatur *Hedlinger* Numismatis hujus inciſor.

CECIDIT VTRVMQVE. Aquila inter nubes vibrans fulmina, unum in caſtra Turcica, alterum in arcem Belgradenſem. Vid. Tab. XIV. N. 338. *T.* XIV. *N.* 338.

Apri caput, ſagitta confixum, Serviæ eſt inſigne heraldicum.

17. IMP. CÆS. CAROLVS. VI. AVG. P. FEL. P. P. Caput laureatum; infra quod *Richter.*

VICTORIA CAROLI FELICITAS CHRISTIANOR. Stans Victoria manu dextera tenet labarum monogrammate Chriſti inſignitum, ſupra quod aquila; ſiniſtra vero laureolam & palmam. Humi vexilla, & arma Turcica. Infra quæ ſequens epigraphe: SOLO. CÆS. EXERCITV. FRACT. CC. M. TVRC. IMPETVS. CASTRA. TORM. CLX. SIGNA. TOTI. CAPTA. MDCCXVII. *Arg.* Vid. Tab. XIV. N. 339. *T.* XIV. *N.* 339.

Solo Cæſareo Exercitu Fractus ducentorum millium Turcarum impetus. Caſtra, Tormenta centum ſexaginta, ſigna totidem capta. Anno 1717. Dicitur *ſolo Cæſareo exercitu*, ut intelligeretur, ad hanc victoriam nullas Confœderatorum copias concurriſſe. Formam pro hoc Numismate idem, qui pro compluribus aliis Numis, ſtylum veterem Romanum redolentibus, exſculpſerat *Bengt Richter*, Suecus Stockholmienſis, eam in hac arte famam conſecutus, ut ejus opera uſi fuerint non minus Galli pro *Ludovici XIV.* quam Sueci pro *Caroli XII.* hiſtoria Numis exhibenda. Cæſarei demum Monetarii munus adeptus vitam produxit usque annum 1737. Vid. Köhler Münzbeluſtigung P. IX. p. 111. Dresdner Medaillen Catalogue de anno 1746. P. III. N. 36. &c.

18. IMP. CAES. CAROL. VI. D. G. GE. HI. HV. B. REX. AR. AVS. Caput laureatum.

REP. CHRIST. PACE BELLOQ. STABILITA. Duæ figuræ ſtolatæ ſedentes, altera turrito capite, dextro brachio innititur clypeo rotundo, cruce ſignato, ſiniſtra manu palmam tenet; altera autem capite galeato ſuſtentat manu dextra clypeum rotundum, in quo hæc epigraphe: QVINQVENNALIA PRIMA VINDOBONÆ. læva vero gerit tropæum ſpoliis Turcicis onuſtum. In immo Numi

T. XIV. N. 340. margine: MDCCXVII. CAL. OCT. Vid. Tab. XIV. N. 340.

Parte antica infra axillam Imperatoris eſt litera W. initialis nominis *Warou* Monetarii Viennenſis, patria Stockholmienſis, qui obiit 1730. Vid. *Flads* berühmte Medailleur p. 31. & Vollſtändig Braunſchweig. Lüneburg. Münz und Medaillen Cabinet 653. 657. &c.

19. IMP. CAES. CAROL. VI. A. P. F. P. P. Caput laureatum, infra quod R. (*Richter*). FELIX OMINIS EVENTVS. Duæ trabes forma crucis decuſſatæ, quibus alligata ſunt fulmina, & caducei, inter ardentia Turcarum ſpolia. Epigraphe: AVI VINDI-

T. XV. N. 341. CATI. CONFECTVM BELL. TVRC. MDCCXVIII. *Arg.* Vid. Tab. XV. N. 341.

20. DabIMVs CæsarI qVæ sVnt CæsarIs. Imperator ſedens in throno, & coram illo tres Turcæ procumbentes. Infra: PAX PETITA.

SIC REDIT AD DOMINVM QVOD FVIT ANTE SVVM. Aquila coronata volans, roſtroque ferens Mappam geographicam lo-

T. XV. N. 342. corum, quæ victoriis Caroli VI. inclaruerunt. Infra: PAX SANCITA PASSAROWIZ. XXI. IVL. MDCXVIII. Vid. Tab. XV. N. 342.

21. IN HOC SIGNO. Signum crucis radiatum. Infra quod Arx Belgradenſis, & figura fluvii ſpecie Viri dextro brachio incumbentis urnæ, ex qua aqua profluit; ac dextra manu remum tenentis.

Protome

Protome Imperatoris, ab advolante victoria coronati, super basi in horto erecta, in qua hæc epigraphe est: RHENI PACATOR ET ISTRI CAROL. VI. R. I. In imo Numi segmento legitur: IN-DVCIIS TVRCÆ CONCESSIS. MDCCXVIII. Vid. Tab. XV. N. 343. *T. XV. N.* 343.

22. CAROLVS VI. CAESAR. AVG. Caput laureatum, ad pectus cum aureo vellere.

DE CHRIST. NOMINIS HOSTIBVS. Religio in quadrigis triumphalibus dextra crucem, & ramum olivæ ostentat, læva equos regit, retro adstante Victoria, quæ d. lauream imponit Religioni, sinistra caduceum tenet. Currum comitantibus duabus figuris galeatis, quarum una gladium, altera aquilam legionariam præsefert. Epigraphe: PACE TVRCIS DATA. MDCCXVIII. Paullo supra hanc epigraphen legitur H. FVCHS Incisor hujus Numismatis. Vid. Tab. XV. N. 344. *T. XV. N.* 344.

23. NVLLA SALVS BELLO. PACEM TE POSCIMVS. Duo Turcæ abjectis gladiis stantes ambabus manibus ramos olivæ tenent. Infra: PAX PETENTIBVS DATA.

ACCEPTA ACCEPTÆ SVNT VERBERA CAVSA QVIETIS. Arbor arida, ex qua dependent tympana. Infra: PASAROVITII. XXI. IVLII. A° MDCCXVIII. *Stann. ibidem.* Vid. XV. N. 345. *Tab. XV. N.* 345.

Extant idgenus Numismata in aliis Museis ex auro etiam, & argento.

24. IMP. CAES. CAROLVS VI. AVG. P. FEL. PP. Caput laureatum.

AVGVSTO PACATORI. III. Duæ mulieres lauream simul tenentes. Quæ a dextris est, aliam præterea corollam manu altera tenet, pomumque Imperii juxta pedes habet. Quæ autem a sinistris adstat arbori palmæ, manu læva amplectitur crucem oblongam, ex qua pendet clypeus cum hac epigraphe: DE BARBAR. GENT. Hu-

mi jacent arma, & vexilla Turcica. Infra hæc ſequens eſt inſcriptio: OB CHRIST. POMOERII FINES AMPLIAT. ET SOCIOS DEFENS. MDCCXVIII. Vid. Tab. XV. N. 346.

T. XV. N. 346.

25. CAROLVS VI. D. G. ROM. IMP. SEMP. AVG. Caput laureatum.

CÆSAR AD SAVVM VICTOR. Repræſentatio prælii cum Turcis. Infra: CAESIS ET FVG. TVRC. CC. MILL. CASTRIS OCCVPAT. 5. AVG. *Stann. R. Univ. Peſt.*

26. Antica, ut in præcedente.

CAROLO SVBIGITVR BELGRADVM. Ichnographia Belgradi. Infra: DECIMA OCTAVA AVGVSTI. *Stann. ibid.*

27. Antica, uti Num. 25.

APTA PRIVS BELLO. PACIS NVNC PARTVRIT VMBRAS. Imperator infra palmam ſtans cum haſta proſtratum conculcat hoſtem, ſparſis quaquaverſum armis, & cadaveribus Turcarum prope ripam Danubii, in quo naves, & ultra quem colles apparent. Infra: ROMVLO AVSTRIACO OB INDVCIAS CVM TVRCIS PASSAROVITII INITAS. 1718. HVMILLIME CONSECRAT CASP. THEO. EM. LAVFFER. *Num. max. moduli ibidem.*

II. Monetæ communes Aureæ Caroli VI.

1. CAROL. VI. D. G. R. I. S. A. G. HIS. HVN. BO. REX. Stans Imperator coronatus, palliatus, loricatus, enſe præcinctus d. ſceptrum, s. globum crucigerum tenet: K. B.

PATRONA HVNGARIÆ. 1718. Deipara coronata in pleno lumine d. ſceptrum, s. Jeſulum: ſub pedibus luna, infra quam ſcutum Regni Hungariæ inter literas P. W. *Aur. ſimpl. Muſei Cæſ. Vindob.*

2. CAROLVS VI. D. G. R. I. S. A. G. H. H. B. R. Imperator ſtans, ut in præcedente. Siglæ: K. B.

PA-

PATRONA REGNI HVNGARIÆ. 1725. Deipara coronata, nimbata, radiis undiquaque circumfuſa, d. ſceptrum, s. Jeſulum coronatum, ac nimbatum, altera manu tenentem globum crucigerum. Sub pedibus luna, infra quam ſcutum Regni Hung. *Aur. ſimpl. R. Univ. Peſtin.* Vid. Tab. XII. N. 315. *T. XII. N. 315.*

3. CAROL. VI. D. G. R. I. S. A. G. H. H. B. REX. Imperator, ut in præcedente. K. B.

S. MAR. M. DEI. R. VNG. PAT. 1738. Effigies Deiparæ ſine corona cum Jeſulo ſedentis intra lunam bicornem, infra quam ſcutulum coronatum Regni Hungariæ. *Quadrans, vel ſextula Aurei ſimpl. C. Feſtetics.* Vid. Tab. XII. N. 316. *T. XII. N. 316.*

4. CAROL. VI. D. G. R. I. S. A. G. HI. HV. BO. REX. Caput laureatum, & ſiglæ: N. B.

ARCHID. AV. DV. BV. M. MOR. COM. TYR. 1739. Aquila biceps coronata, enſe, ſceptroque armata, pectore gerens ſcutum coronatum, in quo ſunt inſignia Hiſpaniæ, Bohemiæ, Auſtriæ, Burgundiæ, & in medio ſcuti parmula Regni Hungariæ. Supra eſt icon Mariana. *Aureus ſemuncialis Muſei Cæſ. Vindob. editus in libro Monnoies en Or.*

5. CAR. VI. D. G. R. I. S. A. GE. HI. HV. B. REX. Caput laureatum.

S. IMMAC. VIRG. M. MAT. D. P. HV. 1736. Icon Mariana ſolitis cum attributis. Siglæ: N. B. *Aur. ſimpl. ibid. editus.*

6. Antica, ut in præcedente.

ARCHID. AVST. D. BVR. PRIN. TRANSYL. 1740. Aquila biceps coronata, enſe, ſceptroque armata, gerens pectore ſcutum Principatus Tranſilvaniæ. *Aur. ſimpl. ibidem.*

III. Monetæ argenteæ ejusdem.

1. CAR. VI. D. G. R. I. S. A. G. HI. H. B. REX. Caput laureatum ad pectus cum aureo vellere, ante quod icuncula Mariana, retro autem ſcutulum coronatum Regni Hungariæ.

ARCHID. AV. D. BV. M. MOR. CO. TYR. 1731. Aquila biceps coronata, nimbata, enſe, ſceptroque armata, gerens pectore ſcutum coronatum, ac torque aurei velleris circumdatum, in quo eſt 1. Caſtellum Hiſpaniæ. 2. Leo Bohemiæ. 3. Faſcia Auſtriæ. 4. Tres balthei Burgundiæ, & in medio ſcuti parmula coronata Regni
T. XIII. Hungariæ. Siglæ: K. B. *Talerus, ſeu biſlorenarius Cremnicenſis*. Vid.
N. 317. Tab. XIII. N. 317.

2. CAROL. VI. D. G. R. IMP. S. A. GE. HI. HV. B. REX. Caput laureatum in ſpatio quatuor lineis rectis clauſo, ſimulque in angulo dextro ſcutulum Regni Hungariæ, ſiniſtro icuncula Mariana, & infra caput Nota numerica $\frac{1}{4}$.

ARCHID: AVS: D: B: M: MOR: C: TYR. 1739. In ſpatio quatuor lineis clauſo Aquila biceps coronata, nimbata, enſe ſceptroque armata, gerens pectore ſcutum coronatum, in quo 4. faſciæ hungaricæ alternant cum leone bohemico, & in centro ſcuti
T. XIII. parmula Auſtriaco-Burgundica. Siglæ: N. B. *Quadrans Taleri, ſeu*
N. 318. *biſlorenarii Nagybánienſis*. Vid. Tab. XIII. N. 318.

3. CAROL. VI. D. G. R. I. S. A. GE. HI. H. REX. Caput laureatum, ad pectus cum aureo vellere.

PATRONA REGNI HVNGARIÆ. 1740. Deipara coronata, nimbata, radiis undique circumfuſa cum Jeſulo, globum crucigerum tenente in ſinu dextro, & ſceptro in altera manu, ſtans ſuper luna, infra quam Numerus 30. valorem ſcilicet totidem cruciferorum indicans. Siglæ: K. B. *Quadrans Taleri, ſeu medius fl. Rh.* Vid Tab.
T. XIII. N. 319. XIII. N. 319.

4. CAROLVS VI. D. G. R. I. S. A. G. H. H. B. R. Caput laureatum.

POL-

POLTVRA. 1724. Deipara ſedens coronata, nimbata d. ſceptrum, s. Jeſulum tenet; infra pedes nubes. Ad latera P. H. id eſt: Patrona Hungariæ. *Arg. Numulus poltura dictus.* Vid. Tab. XIII. N. 320. *T. XIII. N. 320.*

5. CAR. VI. D. G. R. I. S. A. G. H. H. B. R. Scutum coronatum Regni Hungariæ, & ſiglæ: K B.

PATRONA. HVNG. 1740. Deipara coronata, ſedens d. ſceptrum, s. Jeſulum cum globo crucigero. Sub pedibus luna. *Den. arg. Cremnicenſis.* Vid. Tab. XIII. N. 321. *T. XIII. N. 321.*

§. XI.

Numismata Mnemonica ELISABETHAE Auguſtæ.

1. CAROLVS VI. CAESAR. AVG. Caput laureatum, ad pectus cum aureo velleré.

ELISABETHA CHRISTINA AVGVSTA. CAROLI. VI. IMP. Caput ejusdem, pectore tenus. *Arg. Muſei Caſ. Vindob.* Vid. Tab. XV. N. 347. *T. XV. N. 347.*

Numisma elegans, a *Richtero*, ut litera R. infra Caput Imperatoris inciſa docet, factum.

2. ELISAB. CHRISTINA AVGVSTA IMP. CAR. VI. NOVAE PACIS FELICE AVGVRIO DIADEMA REG. HVNG. ACCEPIT POSONII: 18. OCT. 1714. Supra epigraphen Corona Regni Hungariæ ſuper ſceptro, & olivæ ramo decuſſatim poſitis.

OCCIDVI DECVS AC ORIENTIS. Planeta Venus in pleno lumine, & duarum civitatum ad ortum, & occaſum proſpectus. *Arg. R. Univ. Peſtin.* Vid. Tab. XV. N. 348. *T. XV. N. 348.*

3. ELISAB. CHR. AVGVSTA. IMP. CAR. VI. REG. HISP. HVN. BOH. Caput pectore tenus expreſſum; infra quod minuto charactere legitur: *Warow f.*

AVGV-

AVGVSTA. ITERVM. ET. TERTIVM. Venus intra nubes curru, a columbis tracto vecta, manu dextra tenet sceptrum aquiliferum, sinistra demissa Ægidem, & in sinu suo tria poma. Ex adverso adest in altera nube Cupido tenens pavonem, cujus collum præcingitur corona. Infra est: Prospectus arcis, & civitatis Posoniensis. In imo Numismatis segmento hæc epigraphe: DIADEMATE. R. HVNG. IMPOSITO. MDCCXIIII. in fine W. id est, *Warou Incisor Numismatis. Aur. & Arg. Musei Cæs. Vindob.* Vid. Tab. XVI. N. 349.

T. XVI. N. 349.

4. ELIS. CHR. AVG. REG. HI. HV. BO. Caput Reginæ, infra quod R. id est: *Richter Monetarius.*

OCCIDVI DECVS AC ORIENTIS. Planeta Venus spargens radios supra nubem. Infra legitur: CORON. POSONII. MDCCXIIII. *Arg. ibidem.* Vid. Tab. XVI. N. 350.

T. XVI. N. 350.

5. TRINVM PERFECTVM. Cor coronatum, in quo effigies Imp. Caroli VI. Elisabethæ Augustæ, & filii Leopoldi.

CaroLVs. et eLIsabetha. et LeopoLDVs. patrIæ feLICIs Cor. et DeLICIæ. *Stann. R. Univ. Pestin.*

Numisma signatum ob nativitatem Leopoldi Archiducis die 13. April. 1716. sed qui eodem anno die 4. Novembr. extinctus fuit.

6. ELISAB. CHR. CAR. VI. AVGVSTA MATER PAT. Caput ejusdem, pectore tenus expressum.

RENASCENS SPES ORBIS. Sedens Augusta, manu dextra tenet Infantem fasciatum, sinistra florem. Infra: FOECVNDIT. AVG. NATA. ARC. M. TH. MDCCXVII. id est: *Foecunditas Augustæ. Nata Archiduce Maria Theresia 1717. Argent. ibidem.* Vid. Tab. XVI. N. 351.

T. XVI. N. 351.

7. ELISABETHA CHRISTINA D. G. R. IMP. H. H. B. REG. NAT. D. BRVNS. LVN. CAROLI VI. VIDVA. Caput velatum

tum Augustæ viduæ, pectore tenus expressum. Infra brachium: M. DONNER. sculptoris nomen.

AD NVTVM DEI. Equus adsurgens, quem manus e cœlo protensa regit. Infra *M. D. Mathias Donner* sculptor. *Argent. Mus. Cæs. & Æn. magni mod. R. Univ. Pestin.* Tab. XVI. N. 352. *T. XVI. N. 352.*

Elisabetha Christina Dei Gratia Romanorum Imperatrix Hispaniæ, Hungariæ, Bohemiæ Regina, Nata Dux Brunsvico-Lunæburgica Caroli VI. Vidua: Patrem habuit *Ludovicum Rudolphum* Ducem Brunsvico-Guelferbytanum. Obiit 1750. Reliquit Filiam *Mariam Theresiam* paternarum ditionum ab anno 1740. hæredem, in Regem Hungariæ anno 1741. die 25. Junii coronatam; altera vero Filia *Maria Anna* Belgii Gubernatrix, Carolo Duci Lotharingiæ anno 1744. nupsit, eodemque anno obiit. Connubiale hujus Numisma occurrit Tab. XVIII. N. 378. hoc modo. *T. XVIII. N. 378.*

M. ANNA ET CAROLVS SPONSI. Duo capita jugata.

NEXV ANTIQVO. MDCCXLIV. Scutum Austriaco Lotharingicum, retro quod duæ tædæ ardentes.

Prætermitto multa alia, ut *Caroli VI.* ita & hujus Conjugis *Elisabethæ* Numismata Mnemonica, quæ rerum non in Hungaria, sed alibi gestarum memoriam conservant.

§. XII.

Numi MARIÆ THERESIÆ Augustæ coronatæ 1741. *defunctæ* 1780.

I. Numismata Mnemonica.

1. FRANCISCVS. III. LOTHARINGIC. THERESIA AVSTRIAC. Capita jugata.

VOTORVM TANDEM COMPOTES. Stans Religio dextra coronat duo corda ardentia aræ imposita, sinistra tenet crucem. Infra: CELEB. NVPT. DIE XII. FEB. MDCCXXXVI. *Aur. C. Festetics. & Arg. Univ. Pest.* Vid. Tab. XVI. N. 356. In *T. XVI. N. 356.*

In noſtro Numismate diſerte legitur *Votorum Tandem*, tametſi ectypon Numi Feſteticsiani præſeferat *Votorum Tamen*, fors Chalcographi mendo.

2. MARIA THERESIA AVGVSTA. Caput ejusdem, pectore tenus expreſſum, infra brachium, M. DONNER, intellige, *fecit*.

APOSTOLICI REGNI HONORIFICENTIA. Auguſta Eques ornatu Regibus Hungariæ proprio ſtrictum enſem vibrat. Infra eſt Arx, & civitas Poſonium. Epigraphe: VNCTIO REGIA POSON.
T. XVI. N. 357. XXV. IVN. MDCCXLI. *Aur. & Arg. R. Univ. Peſtin.* Vid. Tab. XVI. N. 357.

3. MARIA THERESIA IN REG. HVNGARIAE CORONATA POSON. 25. IVN. 1741. Supra Epigraphen Corona Regni Hungariæ a duobus Angelis ſuſtentata.

IVSTITIA ET CLEMENTIA. Leo Bohemicus coronatus,
T. XVI N. 358. erectus dextro pede tenet crucem hungaricam, ſiniſtro ſcutum Auſtriacum. *Arg. ibidem.* Vid. Tab. XVI. N. 358.

4. MARIA THERESIA D. CAR. CAES. FIL. HVNG. ET BOH. REX. ARCH. AVST. Protome Auguſtæ, pectore tenus.

Pars averſa eadem, quæ in præcedente Numismate. *Ibidem.*
T. XVII. N. 359. Vid. Tab. XVII. N. 359.

5. MARIA THERESIA. BOH. REG. ARCHID. AVST. Ejusdem Protome.

NEC PRISCIS REGIBVS IMPAR. Regina coronata eques in colle, dextra vibrat gladium, adſtantibus duobus geniis, quorum alter ſcutum heraldicum Regni Hung. tenet; alter d. palmæ ramum, s. cornucopiæ. Epigraphe: CORONATA POSON. XXV. IVNII. MDCCXXXXI. *Ær. deauratum ibidem.*

6. M. THERESIA ROM. IMP. HVNG. BOH. REX. PR. TRANS. Caput M. Thereſiæ.

LEGES METALLVRGICÆ IN TRANSILVANIA RESTITVTÆ. MDCCXLVII. *Arg. ibidem.* Vid. Tab. XVII. N. 366. *T.* XVII. *N.* 366.

7. MARIA. THERESIA. ROM. IMP. HVNG. BOH. REX. PRINC. TRANSILV. Protome Augustæ, infra quam nomen Sculptoris M. DONER. f.

LEGES METALLVRG. RESTITVTÆ. MDCCXLVII. Regina coronata sedens, dextra sceptro admoto approbat oblatas sibi Leges metallurgicas a Muliere genuflexa, ac dextra librum legum tenente, sinistra vero scutum coronatum Principatus Transilvaniæ attingente. *Arg. ibidem.* Vid. Tab. XVII. N. 367. *T.* XVII. *N.* 367.

Pro antica hujus Numismatis formam sculpsit *Mathias Doner*, pro aversa autem *Georgius Toda.* Sed hoc alterum nomen per incuriam Chalcographi in Ectypo nostri Numismatis non apparet, quod tamen in Originali adest hoc modo: G. TODA. F.

8. CONCORDIA VNIONE. Pyramis, in qua est dimidia rota, Sol, & duo mallei decussati. Infra vero annus 1749.

ET CLEMENTIA INSTAVRATA. Pyramis, in qua est corona, litera K. & duo mallei decussati. Infra vero iterum 1749. *Arg. ibidem.* Tab XVIII. N. 371. *T.* XVIII. *N.* 371.

Hic Numus procusus est ob instauratam *Kremnicii* rem metallurgicam, regnante M. Theresia Augusta.

Sequentes Numi memorant Imp. *Francisci I.* adventum in Fodinas Hungariæ inferioris, anno 1751. & alterum anno 1764.

9. FRANC. IMP. AVG. M. THERES. HVNG. REX. Duo capita coronata.

ADVENTVS AVGVSTI IN FODINAS HVNGARIAE INFERIORIS MDCCLI. Duo mallei decussati. *Aur. & arg. ibidem.* Vid. Tab. XVIII. N. 368. *T* XVIII. *N.* 368.

10. Antica eadem, quæ in præcedente.

FORTVNAE REDVCI. Mulier coronata ſedens cum cornucopiæ, ex quo Numi effunduntur, ab adveniente Mercurio accipit auri mineram. Epigraphe: ADV. AVG. IN FOD. H. I. MD.
T. XVIII. *N.* 369. CCLI. *Ibidem.* Vid. Tab. XVIII. N. 369.

11. FRANC. IMP. AVG. M. THERES. HVNG. REX. Duo capita coronata.

ADVENTVS AVGVSTI. Imperatorem veſte metallurgis propria indutum adequitantem, cohors metallurgorum cum vexillo
T. XVIII. obvia ſalutat. Infra: IN FOD. HVNG. INFE. MDCCLI. *Aur. &*
N. 370. *arg. ibidem.* Vid. Tab. XVIII. N. 370.

12. FRANCISCVS I. D. G. ROM. IMP. S. A. MAG. HET. D. R. I. (*Magnus Hetruriæ Dux, Rex Jeroſolymarum.*) Caput laureatum, ad pectus cum aureo vellere.

ADVENTVI AVG. SECVNDO IN FODINAS HVNG. M. DCCLXIV. M. IVL. Porticus hexaſtyla, ſupra quam aquila biceps;
T. XVIII. & in medio porticus laborans metallurgus. *Arg. ibidem.* Vid. Tab.
N. 372. XVIII. N. 372.

Alii Numi, quibus adventus in Fodinas Hungariæ IOSEPHI Regis Romanorum, & Archiducis LEOPOLDI, horumque erga Parentes Auguſtos gratitudo celebratur, ann. 1764.

13. IOSEPH. II. REX ROM. LEOPOLD. A. A. Duo capita, Joſephi coronatum, Leopoldi nudum, ad pectus cum aureo vellere.

ADVENTVS REGIS ET ARCHIDVC. IN FODIN. HVNGAR. MDCCLIV. M. IVL. Rex, & Archidux equitantes habitu
T. XIX. metallurgico, inter tres metallurgos, quorum unus cum vexillo præ-
N. 383. it, binis aliis ſubſequentibus. *Arg. ibidem.* Vid. Tab. XIX. N. 383.

14. FRANCISCVS. M. THERESIA AVGG. Capita jugata; infra quæ nomen artificis. A. WIDEMAN.

OPTI-

OPTIMIS PARENTIBVS IN TESSERAM GRATITVDINIS ÆTERNÆ OFFERVNT IOSEPH. II. ROM. REX. LEOPOLDVS A. A. CREMNITII. MDCCLXIV. Hæc epigraphe legitur intra coronam ex variis metallurgorum instrumentis compositam. *Arg. ibid.*

Eodem anno 1764. procusa fuerunt Numismata mnemonica ob institutum Ordinem Equitum Sancti STEPHANI Regis, quæ sic habent:

15. ORDINIS EQVIT. S. STEPHANI REGIS APO. Stans *M. Theresia Augusta* dextera manu attingit mensulam, super qua est corona, & sceptrum, læva tenet Ordinis a se instituti crucem ex torque pendentem, infra quam legitur: MERITIS. & in imo Numismatis segmento: SOLENNIA RESTITVTA. MDCCLXIIII. VI. MAII.

In aversa: HIS TVTA SVB ALIS FLORET HONORE NOVO. Intra lauream, ex gemino cornucopiæ, & binis lauri ramis effictam, crux patriarchalis super coronato Tricolle inter literas M. T. & supra crucem aquila volans. *Aur. & arg. ibidem.* Vid. Tab. XVIII. N. 373. *T. XVIII. N. 373.*

16. M. THERESIA. AVG. P. P. REM. METALL. CONSERVAT ET AVGET. Protome Augustæ, infra quam nomen artificis, P. KAYSERWERTH.

AQVAE SVBTERRANEAE DOMITAE CVNICVLO AD PED. TRICIES MIL. CCCL. SVB MONTE SCHEM. A. MDCC. LXV. EFFOSSO LAB. AN. XVIII. Mons Schemnicensis, & Geometra operans. *Aur. & arg.* Vid. Tab. XVIII. N. 374. *T. XVIII. N. 374.*

Numisma spectatis tam figuris, quam inscriptionibus elegantissimum, ob cuniculum anno 1765. sub monte Schemnicensi ad pedes 30350. effossum labore annorum 18. pro derivandis aquis subterraneis.

Sequuntur duo Numismata Soterica.

17. M. THERESIA D. G. ROM. IMP. GER. HVNG. ET BOH. RE. A. A. Caput velatum Augustæ, sub quo nomen artificis: A. WIDEMAN.

DEO CONSERVATORI AVGVSTAE OB REDDITAM PATRIÆ MATREM. 22. IVLII. MDCCLXVII. Mulier genuflexa
T. XVIII. thuribulo incensans aram. In gradu infimo: A. W. id est: *Anto-*
N. 375. *nius Wiedeman* fecit. *Aur. & arg.* Vid. Tab. XVIII. N. 375.

18. M. THERESIA D. G. ROM. IMP. HVNG. & BOH. REG. A. AVST. Caput velatum Augustæ, infra quod nomen artificis: M. KRAFT. F.

PROVIDENTIA. VOTIS & ARTE. PARENTI OPTIMÆ. CLEMENTI. IVSTÆ. RESTITVTA SALVS. 1767. Scutum coronatum intra nubes, circumstantibus quatuor figuris; quarum suprema providentiam Numinis repræsentat, specie mulieris stantis velatæ, manuque dextra sceptrum, in cujus apice oculus radiatus est, tenentis: altera ex adverso Palladis, artium Præsidis, formam habet, quæ coronæ lauream imponit: infra hanc puerulus cor ardens manu attollit, votorum pubilcorum symbolum: quarta demum figura prolongatum vitæ tempus docet, habitu Saturni supra falcem stantis, clepsydramque super capite gerentis, & manu altera circulum ser-
T. XIX. pentinum. *Argent.* Vid. Tab. XIX. N. 379.
N. 379.

II. Numismata mnemonica, in quibus M. THERESIA cum Imp. FRANCISCO Corregente. Item alia solius FRANCISCI I. Aug.

1. FRANC. III. LOT. BAR. DVX. M. D. HET. REX. HIER. R. HV. BO. & PROV. AV. CORREG. id est: *Franciscus III. Lotharingiæ Barri Dux. Magnus Dux Hetruriæ, Rex Hierosolymæ, Regnorum Hungariæ, Bohemiæ, & Provinciarum Austriacarum Corregens.* Protome Francisci, ad pectus cum aureo vellere.

M. THER. D. CAR. CÆS. FIL. HV. & BOH. REX. AR. AVST. id est: *Maria Theresia Divi Caroli Cæsaris Filia Hungariæ,*

et

et Bohemiæ Rex Archidux Auſtriæ. Protome Reginæ, infra quam nomen artificis D. BECKER. f.

Numisma procuſum intra ann. 1741—45. In ectypo erronee eſt BRA. pro BAR, & HIET pro HET.

1. FRANCISCVS I. M. THERES. IOSEP. II. M. IOSEPHA AVGGGG. Qatuor capita jugata horum Principum; infra quæ nomen artificis. A. WIDEMAN.

ADVENTVS AVGGGG. OENIPONTVM D. XV. IVL. M. DCCLXV. AD NVPT. LEOP. AA. CELEBRAND. Arcus triumphalis, & proſpectus urbis Oenipontanæ. *Arg. max. mod. R. Univ. Peſtin.*

3. FRANC. III. LOT. BAR. DVX. M. D. HETR. REX HIER. R. HV. BO. PROV. AV. CORREG. Protome Franciſci, ad pectus cum aureo vellere, & nomen artificis inſculptum brachio D. BEKER F.

TV DOMINE SPES MEA. Scutum corona Ducali tectum, duabus aquilis coronatis monocephalis, & torque aurei velleris ornatum, in quo inſignia Regnorum, & provinciarum, quæ in altera Numi parte commemorantur, occurrunt. *Arg.* Vid. Tab. XVIII. N. 376. *T.* XVIII. *N.*763.

4. FRANC. D. G. R. I. S. A. GE. IER. R. LO. B. M. H. D. Caput laureatum.

IN TE. DOMINE. SPERAVI. 1758. Aquila biceps coronata, nimbata, enſe, ſceptroque armata, gerens pectore ſcutum coronatum, & aureo vellere circumdatum, in quo ſunt inſignia Hungariæ, Tranſilvaniæ, Jeroſolymarum, Lotharingiæ, Barri &c. & in medio parmula magni Ducatus Hetruriæ. Siglæ: K. B. Præterea in exteriore circulo hæc epigraphe: PRO DEO ET IMPERIO. *Talerus arg.* Vid. Tab. XVII. N. 363. *T.* XVII. *N.* 363.

5. FRAN-

5. FRANCISCVS D. G. ROM. IMP. S. A. GER. HIER. REX. LOTH. BAR. & M. HET. DVX. Caput laureatum.

AETERNITATI AVG. PRINCIPIS OPTIMI PATRIS PAT. NAT. VIII. DEC. MDCCVIII. OBIIT OENIPONTI XVIII. AVG. MDCCLXV. Protome Imperatoris ſuper pyramide inter lauri, & palmæ ramos, adſidente hinc Religione cum cruce, inde Æquitate
T. XVIII. habitu mulieris ſtantis, ac dextra bilancem tenentis. *Arg.* Vid. Tab.
N. 377. XVIII. N. 377.

III. Alia Numismata Mnemonica, in quibus M. THERESIA Aug. cum filio IOSEPHO II. Aug.

1. *Ob translatam Dexteram S. Steph. Regis.* 1761.

* DEXTERA B. STEPHANI REGIS, ET CONFESSORIS GLORIOSI. Arcula, in qua cernitur Dextera Beati Regis Stephani, ſupra arculam corona.

ΘVAM AB AN. MXC. AD MDXXVI. IN HVNGAR. TVM RAGVSÆ VLTRA II. SEC. CVLTAM. IOS. II. ET. M. THER. AVGG. MDCCLXXI. XXIX. MAII. RECVPERARVNT. ET POST IX. DIER. DEVOTIONEM. HVNG. DD. BVDÆ ΘVOTANNIS PVBL. VENERATIONI PROPONENDAM. *Aur. & Arg. R. Univ. Peſtin.*

2. *Ob recuperatam Galiciam, & Lodomeriam* 1773.

IOSEPHVS II. M. THERESIA AVGG. Capita jugata, Joſephi laureatum, & M. Thereſiæ velatum.

ANTIΘVA IVRA VINDICATA. Regina coronata ſedente cum ſcuto Auſtriæ, cui innititur, & ramo olivæ, alia Mulier in genu provoluta, duoque ſcuta jacentia Galiciæ, & Lodomeriæ. Epi-
T. XIX. graphe: GALICIA LODOMERIA IN FIDEM RECEPTIS. MDCC.
N. 385. LXXIII. *Arg.* Vid. Tab. XIX. N. 385.

3. *Ob.*

3. *Ob instauratam in Hungaria Rem literariam.*

IMP. CAE. IOSEPHVS II. AVG. M. THERESIA AVG. Capita jugata, Imp. Josephi laureatum, M. Theresiæ velatum, infra quæ nomen artificis I. N. WIRT. F.

In aversa: RATIO EDVCATIONIS TOTIVSQ. REI LITERARIÆ PER REGNVM HVNGARIÆ PROVINCIASQ. EIDEM ADNEXAS DIE XXV. IVNII. A. MDCCLXXX. BVDÆ CONSTABIL. Corona Hungariæ, & sertum ex lauri, palmæque ramis. *Arg. Uncial. R. Univ. Pestin.*

Pro hac epigraphe sumptus est titulus libri, Vindobonæ typis *Trattnerianis* anno 1777. editi, quo ipso anno Tyrnaviensis Universitas Budam commigravit.

4. Antica eadem, quæ in præcedente Numismate.

In aversa: Repræsentantur Ædes Regiæ, Specula Astronomica auctæ, quas Augusta Hungariæ Scientiarum Universitati Tyrnaviæ Budam translatæ, simulque Nobilis juventutis Academiæ assignavit, opere elegantissimo sculptæ. Infra quas hæc legitur Epigraphe: BONAE ARTES A SIGISMVNDO ET MATH. CORV. REGG. BVDAM INDVCTAE. BELLI TERRORE FVGATAE. A. M. THERESIA AVG. REVOCATAE. A. REG. XL. Supra vero hæc alia perigraphe: AEDES REG. LIT. ET NOB. IVV. CONLEG. ADSIG. id est: *Ædes Regiæ Literis, & Nobilium Juvenum Conlegio adsignatæ. Arg. Uncial. ibidem.*

A. REG. XL. sive Annus Regni quadragesimus M. THERESIÆ idem fuit, qui in præcedente Numismate inscribitur, æræ vulgaris Christianæ 1780. Hoc labente celebrabatur Budæ die 28. Junii maxima cum solemnitate inauguratio Regiæ Scientiarum Universitatis, prælecto novæ Fundationis Diplomate, Numisque nunc descriptis, in perpetuam rei memoriam, inter advenas universo Regno Hospites, Regia munificentia distributis. Hanc tamen lætitiam publicam eodem anno die 29. *Novembr.* interrupit importuna mors

Augu-

Augustæ Fundatricis; ab cujus obitu anno post quarto eadem Universitas locum mutare, & in vicina urbe Pestinensi, ubi etiamnum agit, considere jussa est.

IV. Monetæ communes Aureæ, Argenteæ, & Æneæ, ejusdem Augustæ.

1. M. THER. D. G. R. I. G. H. B. R. A. A. D. B. C. T. Regina coronata, palliata, stans d. sceptrum, s. globum crucigerum. Siglæ: K. B. Infra (2).

PATRONA REGNI HVNGARIÆ. 1764. Deipara coronata radiis undique circumfusa, sedens d. sceptrum, s. Jesulum, qui altera manu globum crucigerum tenet. Sub pedibus luna: infra hanc parmula coronata Regni Hungariæ. *Aur. dupl.* Vid. Tab. XVI. N. 353.

T. XVI. N. 353.

Eædem inscriptiones, & imagines sunt simplicium aureorum Cremnicensium.

2. M. THERESIA D. G. R. IMP. GE. HV. BOH. REG. Caput Augustæ.

AR. AV. DVX. BV. ME. P. TRAN. CO. TYR. 1767. Aquila biceps coronata, nimbata, pedibus vacuis, pectore gerens scutum coronatum, in quo sunt insignia Magni Principatus Transilvaniæ. Infra: (2). *Aur. dupl.* Vid. Tab. XVI. N. 354.

T. XVI. N. 354.

Eadem occurrunt in simplicibus M. Theresiæ aureis Transilvanicis.

3. FRANC. D. G. R. I. S. A. GER. IER. REX. Caput laureatum Imperatoris.

M. THERES. D. G. R. IMP. GE. HV. BO. REG. Caput Imperatricis Reginæ. *Aur. simpl.* Vid. Tab. XVI. N. 355.

T. XVI. N. 355.

4. MA. THERESIA D. G. REG. HVN. BO. Caput Reginæ.

S. MARIA MATER DEI PATRONA HVNG. 1743. Stans Deipara corona nimbata, in pleno lumine, d. sceptrum tenet, s. Jesulum cum globo crucigero. Sub pedibus luna, infra hanc parmu-

la

la coronata Regni Hungariæ. In exteriore circulo: IVSTITIA ET CLEMENTIA. *Talerus arg.* Vid. Tab. XVII. N. 360. *T.* XVII. *N.* 360.

5. M. THER. D. G. R. IMP. HV. BO. R. A. A. D. B. C. T. Scutum corona Hungariæ, a duobus Angelis ſuſtentata, coronatum, ac torque ordinis Equitum S. Stephani Regis circumdatum, in quo a dextris 4. faſciæ, a ſiniſtris crux duplex ſuper Tricolle coronato. Infra duo rami palmæ, & lauri.

S. MARIA. MATER. DEI. PATRONA. HVNG. 1767. X. Deipara coronata, nimbata ſedens ſupra nubes in pleno lumine, dextra tenet ſceptrum, & in lævo ſinu Jeſulum, qui dextram elevat ritu benedicentis, ſiniſtra globum crucigerum gerit. Sub pedibus luna. *Talerus arg.* Vid. Tab. XVII. N. 361. *T.* XVII. *N.* 361.

Eadem ſunt in mediis quoque Taleris, horumque quadrantibus, & minoribus aliis quibusdam monetis argenteis, eo tempore in Hungaria ſignatis.

6. M. THERES. D. G. R. IM. HV. BO. R. 1767. Scutum coronatum Regni Hungariæ.

PATRONA HVNGARIAE. Deipara coronata, radiis undique circumfuſa, d. ſceptrum, s. Jeſulum. *Denar. æreus.* Vid. XVII. N. 362. *T.* XVII. *N.* 362.

7. MAR. THERESIA D. G. R. IMP. GERM. HVNG. BOH. REG. Crux decuſſata Ordinis Sancti Andreæ Apoſt. vulgo Burgundica, & quatuor coronæ ad totidem crucis angulos.

ARCH. AVSTR. DVX. BVRG. BRAB. COM. FLAND. 1771. Aquila biceps coronata, pedibus vacuis, gerens pectore ſcutum coronatum, in quo ſunt gemina Hungariæ inſignia, Leo Bohemicus, & Brabanticus, ac Boa Mediolanenſis: in medio vero ſcuti parmula Auſtriaco-Burgund. *Arg. Talerus coronatus,* vulgo *Kron-Thaler.*

§. XIII.

Numi IOSEPHI II. Regis, ab Anno 1780. ad 1790.

I. Numismata Mnemonica.

1. *Numus genethliacus.*

IOSEPHVS. ARCH. AVST. REGNI. HVNG. & BOH. LOTH. & MAG. HETR. PRINCEPS. Caput nudum infantile intra lauream.

NATVS MDCCXLI. DIE. XIII. MARTII. Hercules infans in cunis duos angues enecans. *Aur.* & *Arg.* Vid. Tab. XIX. N. 380. *T. XIX. N. 380.*

2. IOSEPHVS ARCHIDVX AVSTRIÆ. Protome habitu militari, ad pectus cum aureo vellere. Infra est nomen artificis: M. DONNER.

PRO DEO ET POPVLO. Super ara liber apertus, & gladius super libro. *Arg.* Vid. Tab. XIX. N. 381. *T. XIX. N. 381.*

Alterum hoc Numisma cusum esse videtur, quo tempore Josephus Archidux prima militiæ rudimenta posuit.

3. *Ob connubium primum.*

IOSEPHVS AA. ELISAB. BOVRB. PHILIP. HISP. INF. FILIA. Capita jugata Sponsi, & Sponsæ, infra quæ nomen artificis: A. WIDEMAN.

FELIX CONNVBIVM. CELEBRAT. VINDOB. VI. OCT. MDCCLX. Cupido alatus stans, dextra tenet coronam, sinistra manu tædam ardentem admovet aræ, in cujus latere duæ tædæ in decussim positæ. *Arg. R. Univ. Pest.* Vid. Tab. XIX. N. 382. *T. XIX. N. 382.*

4. *Ob alterum Connubium.*

IOSEPH. II. R. REX. S. A. M. IOSEPHA BAV. CAROLI VII. FILIA. Capita jugata utriusque, Josephi laureatum. Infra est: A. WIDEMAN. *neglectum a Chalcographo.*

AVSPI-

AVSPICIA FELICITATIS PVBL. VOTA SECVNDA MD. CCLXV. XXIII. IAN. In basi duo scuta heraldica, Austriacum, & Bavaricum, adstantibus hinc Cytheræa, quæ d. scipionem tenet, sinistra columnam tangit, inde autem Hymenæo, qui d. lauream, s. tædam nuptialem gerit. *Arg. ibidem.* Vid. Tab. XIX. N. 384. *T. XIX. N.* 384.

II. Moneta usualis ejusdem.

1. IOS. II. D. G. R. I. S. A. G. H. B. R. AA. D. B. C. T. Imperator stans coronatus, palliatus, loricatus, ense præcinctus d. sceptrum, s. globum crucigerum.

PATRONA REGNI HVNGARIÆ. 1785. Deipara sedens coronata in pleno lumine d. sceptrum, s. Jesulum cum globo crucigero. Sub pedibus nubes, & luna; infra quam scutulum coronatum Regni Hungariæ. *Aur. dupl. & simpl. obvius Cremnicensis*, etsi literæ K. B. jam nunc omitti cœperint.

2. IOS. II. D. G. R. I. S. A. GE. HV. BO. REX. Caput laureatum, infra quod A. vel B. &c. nota Monetarii.

ARCH. A. D. BVRG. LOTH. M. D. H. 1788. Aquila biceps coronata, nimbata, ense, sceptroque armata, gerens pectore scutum coronatum, aureoque vellere circumdatum, in quo insignia Austriaco-Burgundica. *Aur. dupl. & simpl. obvius.* In duplo infra aquilam est Numerus 2.

3. IOSEPH. II. D. G. R. IMP. S. A. GER. HIER. HVNG. BOH. REX. Caput laureatum.

ARCH. AVS. DVX. BVRG. LOTH. BRAB. COM. FLAN. 1788. Scutum rotundum coronatum, Cruci Sancti Andreæ Ap. superpositum, aureoque vellere circumdatum, in quo perpendiculariter diviso, insignia sunt Austriæ, Lotharingiæ, & Burgundiæ. *Aur. triplus*, vulgo gall. *Souvrain d' or*, seu *supremus.* Antea *obvius.*

Eædem inscriptiones, & figuræ in horum semissibus.

4. IOSEPH. II. &c. ut supra. Caput laureatum.

ARCH. AVST. &c. Crux Sancti Andreæ cum dependente aureo vellere, ac tres coronæ ad ejusdem crucis angulos. In exteriore circulo perigraphe: VIRTVTE ET EXEMPLO. *Arg. Talerus*, vulgo *Coronatus*, germ. *Kron-Thaler*, alias etiam *Brabanticus* dictus. Antea obvius, nunc paullo rarior.

Copiosi prorsus idgenus *Taleri*, imperante *Josepho II.* in Hungaria, & Austria procudebantur, valore 2. fl. Rh. & 16. xr. Horumque semisses, & quadrantes.

5. In aliis argenteis monetis formæ minoris, puta vicenariis, decenariis, quinariis, sic dictis a valore totidem cruciferorum, Epigraphe eadem est, quæ in majoribus, supra descriptis, idem quoque caput laureatum Imp. Josephi, sed intra lauream expressum; in altera vero parte communiter vel aquila biceps solitis cum attributis, vel icon Mariana, additis valoris notis 20, vel 10, vel 5. cruciferorum.

6. Cupreæ monetæ ab anno circiter 1760. in Hungaria usitatæ species sunt: *Poltura*, *crucifer*, *denarius*, harumque monetarum semisses. In *Polturis* parte una est caput Regnantis cum ejusdem nomine, ac titulis, parte altera effigies Deiparæ, qua Patronæ Regni Hungariæ. In cruciferis antica itidem caput Regis offert, hujusque nomen, titulosque, sed aversa nihil fere aliud, quam teutonicum vocabulum KREVZER habet intra lauream scriptum cum anni currentis numero, & litera prima nominis loci, in quo hæc moneta fuit procusa. Denariorum autem hungaricorum constans typus est hinc scutum Regni Hungariæ cum nomine, ac titulis Regnantis, inde consueta icon Mariana cum epigraphe: *Patrona Hungariæ.*

§. XIV.

§. XIV.

Numi LEOPOLDI II. Regis, ab Anno Chr. 1790. ad 1792.

Numismata Mnemonica.

1. *Ob Connubium.*

LEOPOLD. ARCHID. AVST. M. LVDOV. INF. HISP. Protome Leopoldi Archiducis, & Mariæ Ludovicæ Infantis Hiſpaniæ; infra quæ nomen artificis: WIDEMAN.

NVPT. CELEB. OENIP. D. 22. IVL. 1765. FOEDVS AMORIS. Stans Venus dextra tenet ſcutum Auſtriacum Leopoldi, & Cupido quaſi excendens de Navi affert ſcutum Hiſpanicum Mariæ Ludovicæ. *Arg. R. Univ. Peſtin.*

His nuptiis interfuiſſe Auguſtos Leopoldi Parentes Franciſcum I. & M. Thereſiam, nec non fratrem ejusdem Joſephum II. cum Auguſta Conjuge ſua Maria Joſepha teſtatur alter Numus, inter Mnemonicos Mariæ Thereſiæ deſcriptus. Verum gaudia harum nuptiarum temperavit ſubitanea mors Franciſci I. Auguſti, cujus Numisma exequiale ibidem recenſetur.

2. *Ob coronationem Poſonienſem.*

LEOPOLDVS II. D. G. ROM. IMP. S. A. GER. HVN. BOH. REX. ARCHID. AVSTRIAE. CORONATVS POSONII. XV. NOV. MDCCXC. Corona Regni Hungariæ.

PIETATE ET CONCORDIA. Leo coronatus bohemicus pede anteriore dextero tenet crucem hungaricam, ſiniſtro ſcutum Auſtriæ. *Aur. & Arg. parvi moduli. R. Univ. Peſt.*

3. *Ob homagium Viennæ præſtitum.*

LEOPOLDO II. HVNGARIAE BOHEMIAE GALLIC. LODOM. ETC. REGI. ARCHIDVCI AVSTRIAE. HOMAGIVM PRÆSTIT. VIENNAE. 6. APR. 1790.

In

In aversa: OPES REGVM CORDA SVBDITORVM. Leo coronatus bohemicus tenet crucem hungar. & scutum Austr. ut in præced. *Aur. & arg. ibidem.*

4. *Ob homagium Transilvaniæ.*

IMP. CAES. LEOPOLDO II. P. F. AVG. HOMAGIVM. PRÆST. CLAVDIOPOLI. XXIII. DEC. MDCCXC.

PIETATE ET CONCORDIA. Ara ignita, in cujus latere scutum heraldicum Transilvaniæ, addito vocabulo: FIDEI. *Aur. & arg. ibidem.*

In his omnibus Numis, qui majoris formæ sunt, antica exhibet caput laureatum *Leopoldi II.* in minoribus vero tantum epigraphe, qualem descripsimus, occurrit.

§. XV.

Numismata mnemonica, quæ Status & Ordines Regni Hungariæ ob adventum Regis, & Reginæ Neapolitanæ ad coronationem LEOPOLDI II. feriunda curarunt.

1. FERDINANDVS. IV. VTR. SIC. REX. M. CAROLINA REG. ARCHID. AVST. Protome utriusque cultu hungarico. Infra est nomen artificis: I. N. WIRT. F.

In aversa: FELIX ADVENTVS AD SACR. INAVGVRAT. LEOP. II. AVG. POSON. IV. ID. NOV. MDCCXC. Pannonia habitu mulieris sacrificans d. pateram, s. labarum cum epigraphe: PANNONIA LAETA. In medio ara ignita, in cujus latere scutum heraldicum Regni Hungariæ. Juxta adcumbit Danubius d. urnam, s. cornucopiæ gerens. Infra: EX DECRETO STAT. ET ORD. HVNGARIÆ. *Aureum, & argenteum Numisma moduli maximi. Aureum appendit 20. Ducatos. R. Univ. Pest.*

2. In

2. In aliis minoris formæ Numis aureis, & argenteis pars antica ſolam ſine iconismo habet hanc epigraphen: FELIX ADVENTVS FERDINANDI IV. VTR. SIC. REGIS. ET M. CAROLINAE REG. ARCHID. AVST. AD SACR. INAVGVRAT. LEOPOLDI II. AVG. POSONII. IV. ID. NOV. MDCCXC.

In averſa parte: Ara ignita, cui adpenſum eſt Regni Hungariæ ſcutum addita Epigraphe: PANNONIA LAETA. In imo Numi ſegmento: EX DECRETO STAT. ET ORDIN. HVNGARIÆ. *Ibidem.*

Ut non modo hæc minora, verum etiam illa maximi moduli Numismata aurea, & argentea Muſeo Regiæ Univerſitatis Peſtinenſis obtingerent, provida Exc. D. Comitis FRANCISCI SZÉCHÉNYI cura, & liberalitate factum eſt; qui & honorifica ad Aulam Neapolitanam functus legatione nomine Statuum & Ordinum Regni Hungariæ mnemonica hujusmodi Numismata Regi, ac Reginæ obtulerat, & ab Rege viciſſim præter alia munera Ordinem Sancti Januarii Martyris receperat. —

§. XVI.

Numismata Mnemonica coronationis Hungaricæ 1792. *Imp. FRANCISCI II. & M. THERESIAE Augg.*

1. FRANCISCVS D. G. HVN. BOH. REX. ARCHID. AVSTRIAE. CORONATVS BVDAE. VI. IVN. MDCCXCII. Corona Regni Hungariæ.

LEGE ET FIDE. Leo coronatus bohemicus pede anteriore dextro tenet crucem hungaricam, ſiniſtro ſcutum Auſtriacum. *Aur. & argent. formæ mediæ, ac parvæ. R. Univ. Peſtin.*

Memoriam hujus coronationis conſervant etiam Numismata maximi moduli aurea, pondere 20. aureorum ſimplicium ſingula,

ſed

ſed ex quibus Numophylacio R. Univerſit. Peſt. nullum hactenus obtigit. Horum anticam ornat elegantiſſimum Regis recens coronati Caput.

2. MARIA THERESIA FRANCISCI HVNG. BOH. REGIS ARCHIDVCIS AVST. CORONATA BVDAE. XI. IVN. MDCCXCII.

In averſa: IMITARI MALIM QVAM VOCARI. Corona, infra quam ſceptrum, & palmæ ramus, in decuſſim poſita. *Aur. & Arg. parvæ formæ. Ibidem.*

De Monetis uſualibus tam LEOPOLDI II. quam FRANCISCI II. Augg. in genere adnotaſſe ſufficiat, eas eſſe monetis IOSEPHI II. ſupra deſcriptis quam ſimillimas forma, typisque.

CAPUT QUARTUM.

De Ratione totius rei Monetalis Hungaricæ in Periodo III. ſive ſub Regibus Stirpis Auſtriacæ ab Anno Chr. 1527. ad 1800.

§. I.

Sub FERDINANDO I. ab Anno 1527. ad 1564.

Poſt cladem Mohacsianam mutato Regni ſtatu res quoque monetalis Hungariæ varias ſubivit viciſſitudines, quarum ſub FERDINANDO I. Aug. præcipuæ erant ſequentes: 1. liberior pecuniæ germanicæ, ac bohemicæ uſus introductus. 2. Cuſio Numorum ex argento uncialium, & ſemuncialium, groſſorumque varii ponderis, ac legis, valorisque. 3. Conſtitutiones de conformanda moneta hungarica ad pedem normamque Imperii Romano-Germanici. 4. Item multa alia decreta, legesque monetales, de quibus jam acturi ſumus.

Decreto

Decreto III. anni 1536. Artic. 19. sancitum erat, ut bonæ monetæ hungaricæ in *liga* Cremnicensi cusæ, non modo recentiores, verum etiam antiquiores, Regum scilicet *Mathiæ Corvini*, *Wladislai II.* & *Ludovici II.* ubique per Hungariam acceptarentur. Idem confirmatum fuit Decreto anni sequentis 1537. Artic. 25. idque sub mulcta mercium amittendarum.

Occasionem ferendæ huic legi præbuit introductus liberior monetarum exterarum, præcipuæ germanicarum, & bohemicarum usus. Quippe metus erat, ne patria moneta subin vilesceret, minusque a nonnullis æstimaretur. *Liga*, sive temperatura Cremnicensium monetarum hæc tunc fuerat. *Denarii*, & *oboli* cudebantur ex argento, æqua portione æris cyprii temperato, quod vulgo 8. *lotonum*, germ. 8. *löthig.* vocatur. Pro *Ducatis* vero adhibitum est aurum 23. Caratorum, & plus minus 8. granorum, ut patebit ex documentis, infra producendis.

Constitutio Anni 1538. Art. 26. ita sonat: „Moneta omnis generis in suo valore currat, & recipiatur, *cruciferi* quoque septuaginta quinque pro uno floreno, & *grossi* quatuor cruciferorum similiter pro sedecim *Viennensibus* recipiantur.“

Prima hæc est *Cruciferorum* in Codice Juris Hungarici mentio, qui haud multo post in ipsa etiam Hungaria signari cœperunt. Erant hi ejusdem cum argenteis denariis hungaricis temperamenti, sed ponderis paullo majoris. *Florenus* 75. cruciferorum non hic intelligi debet hungaricus, verum Rhenanus, qui tamen & ipse, uti acta publica monetalia Thomani, & Hirschii testantur, illo tempore varium adeo habuit valorem, ut a 75. ad 72. dein ad 70. ac demum ad 60. *cruciferos* sensim decreverit. Inter hæc acta reperitur Edictum Anno 1559. Augustæ Vindelicorum promulgatum, quo

Imp. *Ferdinandus* I. præcepit, ut omnes floreni germanici posthac ad normam Rhenensium cum 75. cruciferis computarentur. *a*)

Grossus 4. cruciferorum, sive 16. Viennensium obolorum, erat moneta germanica *Batz*, vel *Patz* dicta. *Denarius* hungaricus æquivalebat tribus obolis Viennensibus illius ætatis, atque ideo pro grosso, *Patz* dicto, dabantur quinque denarii hungarici, & insuper unus Viennensis obolus. Constat id ex hoc *Ferdinandi I.* ad Civitates Hung. Superioris mandato: *b*) „Expositum est nobis, quemadmodum essent plures, qui monetam germanicam eo pretio, quo passim ubique in aliis Regnis, & provinciis nostris recipitur, unum scilicet *Patz* pro quinque denariis hungaricis, & uno denario Viennensi computando nollent recipere. Quæ res cum multum — — — incommodi — — attulerit, — — mandamus — — ut — — *Patz* pro quinque denariis hungaricis, & uno denario Viennensi computando, accipere debeatis — — Datum Viennæ — — 1538."

In Decreto Conventus Neosoliensis anno 1542. celebrati, Articulo 50. fit mentio duorum diversi generis florenorum, Hungarici, & Rhenensis, hunc in modum: „Uni præterea Huszaroni salarium annuum non habenti, *tres floreni Hungarici* dentur, & qui plus aliquando mereri videbuntur, supra addentur *viginti denarii*, ut sit numerus † *trium florenorum Rhenensium*."

(Nomine *florenorum hungaricorum* isthic non posse *aureos*, sive ducatos hungaricos intelligi, certum est eo ipso, quod Rhenensibus florenis minus valuisse indicentur. Itaque de idealibus est sermo, quorum unus eo tempore valuit 70. cruciferos, sive 93. denarios hungaricos, & ⅓.

De

---

a) Vid. *Hirsch* Münz Archiv T. I. p. 403.

b) Apud Wagner in Diplomatario Sárossiensi p. 35.

† erronee; nam textus ita habet: „ut sit numerus quatuor florenorum Rhenensium". Vide Corp. Juris l. c. atq. adeo: 3 fl. ung. = 4 rhenensibus.

De *floreno Hungarico* 70. cruciferis definito, habemus & aliud documentum, Literas nempe Imp. Ferdinandi I. ad Cibiniensem Hungariæ Civitatem anno 1560. datas hujus tenoris:

„ Ferdinandus divina favente clementia, electus Rom. Imp. &c — — Recognoscimus — — quod, cum Prudentes, ac circumspecti fideles — — — Civitatis nostræ Cibiniensis ad præsentes Regni nostri Hungariæ usus bellicos sub spe futuræ restitutionis *Quingentos florenos hungaricos*, singulos, *septuaginta cruciferis* computando, humillime mutuaverint, & ad munus nostri Consiliarii, & solutionum bellicarum Magistri Mathiæ Camreri Fuchs agnominati numeraverint, nos propterea &c." *a*)

Decreto anni 1548. Art. 51. constitutum fuit inter alia, ut e monetis Bohemicis etiam numuli *Bapkæ* vocati publicum in Hungaria cursum haberent, tresque pro crucifero acceptarentur; Polonicæ tamen monetæ usu interdicto.

Decreto XII. ann. 1550. Artic. 47. sancitum erat, ut monetæ hungaricæ cuderentur secundum *ligam*, valoremque germanicarum, simul tamen petebant Status, & Ordines, ne Regia Majestas in cusione Numorum seu majorum, seu minorum antiqua Regni Hungariæ insignia mutari, abolerive patiatur, sed potius veteri more in una monetæ parte imaginem Deiparæ, in altera vero vel proprii vultus effigiem, vel scutum cum solitis Hungariæ insignibus, addita utrinque inscriptione consueta, excudi faciat. Ad hæc, ut pro faciliore, & commodiore usu tenuioris fortunæ hominum procuderentur parvi etiam numuli Viennensibus obolis æquales, quorum tres valerent unum denarium hungaricum, sintque ejus formæ, qua erant hactenus oboli *Filér* dicti: denique id etiam postulabatur, ut moneta Cremnicensis vetus æque, ac nova per Hungariam

Mmm 2

a) Autographum extat in Tabulario Civit. Cibin.

gariam sub amissione rerum venalium suo in cursu perseveret, falsæque monetæ cusores, eaque utentes puniantur.

Articulus *46tus* Decreti XIII. anno 1552. conditi prodit, legem fuisse latam, ut moneta parva rursus *in liga octo lotonum* ex argento signaretur, & aurea recentior ejusdem esset puritatis cum antiquiore. Articulus 24. in Decreto XIV. anni 1553. agit de *Talerorum*, ac *denariorum* Ungaricorum cusione; ut videlicet pars argenti, apud Cameram depositi, convertatur in excudendos *Taleros* integros, ac medios, eundem puritatis gradum cum Viennensibus habituros, pars vero altera denariis hungaricis, atque nonnihil etiam numulis infimæ speciei, *fiyér* dictis, adplicetur.

Ex Regia declaratione, quæ Articulo 17. Decreti XV. anno 1554. conditi, continetur, innotescit, cusos tunc fuisse *Taleros* integros, ac medios ex argento decimi quarti gradus, id est, 14. *lotones puro*, quorum singuli æquivalebant 93.½ denariis hungaricis eodem tempore signatis, sive 70. cruciferis argenteis, aut uni floreno hungarico, quam proxime. Legitur quoque ibidem, hominibus illis, qui, ne in Taleris hungaricis nimium argenti ad exteros efferretur, metum quemdam præseferebant, datum id esse, ut ex omni illo argento, quod ex fodinis Hungaricis ad Cameram fuerat delatum, quinta solummodo pars in Taleros, reliquum autem totum in denarios hungaricos procudendos impenderetur.

Ceterum non obstante hac declaratione, quoniam rumor invaluit, in vicinis provinciis monetas ex viliore argento signari, Talerosque hungaricos ob argenti bonitatem ab exteris conquiri, idcirco in Comitiis, quæ annis consequentibus 1555. & 1556. celebrata fuere, agebatur serio de impedienda Talerorum cusione, utpote cum damno Regni conjuncta. Postea tamen, quam compertum fuisset, idgenus rumorem temere tunc increbuisse, Status, & Ordines Hungariæ iterum anno 1557. congregati, Articulo 14.

recen-

recentioris Decreti, continuationem cusionis Talerorum ultro adprobarunt, simulque postularunt, ut præter integros, ac medios *Taleros* novi quoque grossi argentei cuderentur, quorum major valeret *octo*, minor autem *quatuor hungaricos denarios*, constarentque argento, portione æquali cum ære cyprio permisto. Additus fuit insuper Articulus *15tus* de *Pisetario* Archiepiscopi Strigoniensis, ut is omnino secundum Decreta priscorum Hungariæ Regum cusioni monetarum aurearum, & argentearum invigilare porro etiam permitteretur.

§. II.

Georgii AGRICOLÆ de Taleris, aliisque monetis in Hungaria, suo, ac Imp, FERDINANDI I. tempore signatis, Narratio; & alia quædam documenta.

Georgius AGRICOLA, Imp. FERDINANDO I. coævus Auctor, Libro 2. *de pondere, ac temperatura Numorum, Basileæ anno* 1550. impresso de *Taleris*, aliisque monetis argenteis ætate sua cum alibi, tum & in Hungaria signatis hæc inter alia scribit: „ Superioribus annis Slicones Comites in valle Joachimica æque, ac Saxonum Duces in Misena, ex besse Erphordiano signarunt octo numos unciales, sedecim semunciales, duo, & triginta didrachma. — — Numi argentei, quos percutiunt Duces Bojoariorum, Augusta Vindelicorum, Ulma & nonnullæ aliæ civitates, ita se habent: ex besse Noribergico, qui drachma gravior est, quam Erphordianus, vel Misenus, signant numos, vel octo unciales, vel sedecim semunciales, vel unum & quadraginta, & reliqua est tertia unius pars: hi duodecim crucigeris valent, unde eis nomen impositum; vel duos, & octoginta, & remanent duæ unius tertiæ, quorum quilibet sex crucigeris æstimatur, atque ex eo nomen invenit; vel tres, & nonaginta, & monetarii dimidiam unius partem faciunt reliquam, qui

tribus

tribus permutantur crucigeris, ex quo ſunt nominati: vel denique ducentos quinquaginta, qui, quod eos nota crucis percutiunt, crucigeri ſunt dicti.“

„Ejusdem ponderis Numos argenteos percutit *Rex FERDINANDVS in Pannonia Superiore.* Sed utitur beſſe Viennenſi, qui major eſt Norimbergico: etenim eam proportionem inter ſe habent, quam octo cum dimidio ad decem, vel quatuor, & unius quarta ad quinque. Itaque ex beſſe Viennenſi ſignat crucigeros CCXCIIII. & remanet dimidia unius pars. Numos, qui pro tribus valent crucigeris, CX. Qui ſex taxantur crucigeris, XCVII. & dimidia inſuper unius pars eſt reliqua. Qui duodecim, XLVIII. & præterea tres unius quartas facit reliquas: Semunciales XVII. & paullo plus quam tres unius quartas: Unciales novem, & paullo plus quam quartam unam, & dimidiam.“ *a*)

Hæc ad pondus pertinent monetarum, de illarum vero temperatura, ac pretio ſic proſequitur:

„Verum in Numis argenteis miſtis, quibus Germani utuntur, diverſa ineſt æris portio. Etenim Numi argentei Miſenorum, qui ſuperioribus annis percuſſi ſunt, unciales, ſemunciales, didrachma, conſtant ex argenti beſſe, qui decimam ſextam æris partem tantummodo in ſe continet: itaque idgenus Numus argenteus uncialis valet aureo Rhenano; item duo ſemunciales, atque etiam quatuor didrachma. *b*) — — Miſenæ monetæ bonitate proxima eſt Boëmica: quamobrem cum Duces Saxoniæ Anno MCCCCXLIIII. omnes alias exteras monetas a ſuis regionibus excluſerunt, has ſolas non exterminarunt. Attamen anno MDXXXVI. quia vilior Boëmica moneta cum meliore Miſenæ, & Toringiæ importaretur, eam omnem

a) Agricola L. 2. de pond. & temperat. monet. p. 291. ſeq.
b) Ibidem. p. 299.

omnem præter Joachimicam regionibus prohibuerunt. — — — At Slicones abhinc annos triginta percusserunt numos unciales, & semunciales, ac didrachma, in quibus tantum argenti inest, quantum in Misenis ejusdem ponderis. Nunc Ferdinandus Rex Boëmiæ eosdem percutit fere similes Misenis, qui nunc signantur. Sequuntur Numi, quos ferire solent Duces Bojoariorum, & aliquot liberæ Suevorum civitates. Quorum unciales, & semunciales, & tam hi, qui valent sex crucigeris, quam, qui duodecim, conficiuntur ex besse, in quo insunt argenti unciæ septem, drachma una, & drachmæ quarta, quam Numum ipsi vocant; æris vero semuncia, & drachmæ duæ, ac tres drachmæ unius quartæ, sive, ut ipsi loquuntur, tres Numi. Ista igitur ratione ex argenti puri besse signantur Numi, qui valent aureos novem, & quartam unius aurei partem, hoc est, crucigeros quindecim. Numi vero, qui valent tribus crucigeris, ex besse conficiuntur, in quo tantum æris inest, quantum argenti; quo modo ex besse argenti puri signantur tot istius generis Numi, quot æstimantur novem aureis, & reliqui sunt tales Numi numero septem, id est, crucigeri unus & viginti, quorum sex majores operæ gratia cuduntur. At ipsi crucigeri constant ex besse, qui in se continet argenti uncias tres, & dimidiam, æris autem uncias quatuor, & dimidiam, qua ratione ex argenti puri besse conficiuntur tot crucigeri, quot valent novem aureis, & residui sunt unus & triginta, atque hic etiam propter majorem operariorum laborem sedecim cuduntur. Sunt præterea duo numulorum genera: alteros duplos possumus appellare, simplos alteros: horum duo valent crucigero; illorum quatuor. Utriusque generis tot ex besse argenti puri signantur, quot valent decem aureis, & sex crucigeris. “

Ejusdem pretii Numos argenteos signat *Rex Ferdinandus in Pannonia superiore*; sed ex besse Viennensi, qui, ut supra dixi, major est Noribergico. Sive igitur Numos cudat unciales, sive semun-

ciales,

ciales, ſive didrachma, ſive eos, qui valent pro duodecim, aut ſex crucigeris, ex tali beſſe argenti puri conficiuntur tot Numi, quot æſtimantur aureis decem, & reliqui ſunt quatuor, & quinquaginta crucigeri. At ex eodem argenti puri beſſe Viennenſi tot Numi, qui valent tribus crucigeris, ſignantur, quot valent aureis decem, & reſidui ſunt tales Numi numero tredecim, id eſt, crucigeri XXXIX. Tot vero crucigeri, quot valent undecim aureis, & reliqui ſunt ſeptem, & viginti crucigeri. Tot denique ſimpli, quot valent undecim aureis, & remanent quatuor, & quadraginta crucigeri." *a*)

De *Aureis* idem Georg. Agricola ſic ſcribit: *b*) „*Aurei* Numi, qui noſtris his percutiuntur temporibus, ita ſe habent: *Ungarici*, Hiſpanici, Turci, Ducati Veneti ſignantur ex beſſe Noribergico, in quo ſunt argenti ſex binæ ſiliquæ, ut noſtri monetarii partiuntur, id eſt, ſextula, quæ, quia eſt octava, & quadrageſima pars, illi eandem, quam optimi veteres aurei romani, habent temperaturam." Idem alibi: *c*) „*Aureus hungaricus* pendit momenta ſex, & ſexaginta, & in eo ineſt octava, & quadrageſima argenti portio, id eſt, momentum unum, ac decem & octo momenti octavæ, & quadrageſimæ partes. Sed *Venetus* pondere efficit momenta quinque, & ſexaginta, & duas momenti octavas, & ſexageſimas partes, ſive unam momenti quartam, ac triceſimam partem: ejusdem vero, cujus *Hungaricus*, eſt temperaturæ. Ungaricus igitur valet Venetum, & tres, ac triginta momenti quartas, & triceſimas partes; ex quo ſequitur, ut *ſeptem, & ſexaginta aurei Ungarici* valeant *octo, & ſexaginta Venetos. Aureus Rhenanus* pendit ſexaginta momenta, & in eo ineſt argenti quarta portio, id eſt momenta quindecim. Quæ ſi

æſtima-

a) Ibidem p. 302.

b) Ibidem p. 298.

c) Lib. III. de pretio veterum monetarum p. 306.

æstimabis, atque etiam pretium argenti, quod Ungaricum in se continet; *Rhenanus* valet momenta *Ungarici* septem, & quadraginta, & fere quartam partem momenti. *Tres* ergo *Rhenani* æstimantur *duobus Ungaricis*, & novem *Ungarici* momentis, ac tribus momenti quartis. " *a*)

Iisdem fere legibus *Ferdinandus I.* in Bohemia Numos feriundos curavit. Edictum monetale anni 1561. edidit *P. Adauctus Voigt* L. supr. c. P. III. p. 119. seqq. Præcipua ejus capita sunt: *1mo* Ut Taleri valore unius floreni Rhenani, sive 60. cruciferorum, procuderentur ex argento, quatuordecim semuncias, & 16. grana puro, eorumque novem ac dimidius ponderaret unam marcam Coloniensem, eaque ratione, ut marca Coloniensis puri argenti expenderetur decem florenis, ac 12. crucigeris cum unius dimidio, nonnihilque amplius. *2do* Ut ejusdem probitatis argentum adhiberetur excudendis dimidiis Taleris, aliisque minoribus monetis usque ad illam, quæ 5. cruciferorum valorem habere debebat. *3tio* Ut parvi grossi bohemici, duorum tantum cruciferorum singuli, fierent ex argento, 8. semuncias puro, crucigeri autem ex argento sex tantum semuncias, & quatuor grana puro. *4to* Ut & *grossuli*, sive *gröschlæ* cuderentur, sed ex argento quinque solummodo semuncias puro, earumque gröschlarum 84. æquivalerent 60. cruciferis, sive uni floreno.

Eodem Edicto de *Aureis* tam Rhenanis, quam Bohemicis, & Hungaricis ita constitutum fuit, ut *Aurei Rhenani* conflarentur ex auro octodecim Karatos, & sex grana puro, eorumque septuaginta duo appenderent unam marcam Coloniensem, singuli vero non pluribus, quam *septuaginta quinque* cruciferis permutarentur. *Bohemici* autem, & *Hungarici* aurei ut cuderentur ex auro viginti trium Kara-

rato-

a) Ibidem p. 307.

ratorum, & octo granorum, eorumque sexaginta septem ponderarent Coloniensem marcam, & singuli valerent *centum ac quatuor* cruciferos. Marcam Pragensem, quæ Coloniensi major erat, appendebant idgenus aurei septuaginta duo, ac dimidius, Viennensem vero, utroque majorem, octoginta, ac nonnihil amplius.

§. III.

Status rei monetalis in Hungaria sub MAXIMILIANO II. & RUDOLPHO II. ab anno 1564. *ad* 1608.

Imperante MAXIMILIANO II. novæ quædam de *Taleris*, horumque semissibus, & quadrantibus factæ sunt constitutiones, & quidem Edicto anni 1566. sancitum erat, ut in Germania cuderentur *Taleri* valore 68. crucigerorum singuli, quorum octo unam ponderis Coloniensis marcam appenderent, atque in se continerent argentum 14. semunciarum, & 4. granorum: item *medii Taleri* valore 34. crucigerorum, & *Orthones*, seu quadrantes Talerorum, singuli 17. crucigerorum, ex argento ejusdem puritatis, ita ut priores numero *sedecim*, posteriores vero *triginta duo* ponderarent unam marcam Coloniensem, atque sic idgenus marca puri argenti in tot dictæ temperaturæ monetas permisceretur, quot valerent decem florenos, & duodecim crucigeros. *a*) Idem in Bohemia quoque constitutum fuerat. *b*). Sed in Hungaria eodem tempore paullo alia fuit monetæ argenteæ ratio, *Talerique* ad valorem *centum denariorum hungaricorum* excudebantur, quos vicini Germaniæ Bohemiæque populi solummodo pro *nonaginta* hujusmodi denariis acceptabant. Constat id ex Articulo 45. Decreti anno 1567. in Posonien-

sibus

a) Vid. Thomani ab Hagelstein Acta publ. Monet. P. II. p. 63.

b) *Voigt* bœhmische Münzen P. III. p. 189.

ſibus Comitiis editi, quo Status, & Ordines Regni ſupplicabant, ut Majeſtas Caſareo-Regia modum inveniret, quo monetæ hungaricæ absque Regnicolarum damno Viennæ, aliisque in locis expendi poſſent. „Hactenus enim, inquiebant, in ſingulis Taleris, florenis etiam Ungaricis, ſingulorum decem denariorum damnum pati coacti ſunt; licet ipſis tum pro ſtipendio, tum pro aliis rebus, ac debitis, *Taleri pro uno floreno* ex Camera dari, & numerari conſueverint.“ Reſponſum fuit, remedium huic incommodo adferri aliter haud poſſe, quam ſi publico voto, ac Decreto in monetæ novæ, quæ ſit ejusdem cum Germanica, & Bohemica legis (*ligæ*) & valoris intrinſeci, cuſionem conſenſerint. Secutus eſt conſenſus: ob graves tamen rationes, quarum nonnullæ poſtea in literis Cæſareis anno 1573. ad Principes Imperii in negotio Auſtriacæ rei monetariæ datis commemoratæ fuere, *a*) res in priore ſtatu perſeveravit, repetitis necquidquam querelis etiam in Comitiis anni 1569. in quibus Art. 20. iterum poſtulatum fuit, ut monetæ hungaricæ uſus per Auſtriam, aliasque ſuæ Majeſtatis Provincias admitteretur, ad evitanda damna, quæ in ejusdem permutatione etiamnum emergebant. Demum Articulo 48. & 49. novi Decreti ſub Imp. *Rudolpho II.* in Comitiis anni 1596. conditi jam id agitabatur, ut omnis *Talerorum* cuſio in Hungaria deſineret.

Interea vero *Talerorum*, in Germania, & Bohemia ſignatorum, valor a 68. ad 70. crucigeros elevatus fuit circa ann. 1576. *b*) & tertio poſt anno aureorum quoque bohemicorum, & hungaricorum a 104. ad 108. crucigeros. *c*) Quæ ſumma crucigerorum, ſpectato argenti, quod illis inerat, pretio, hodierna æſtimatione effi-

 ceret

a) Vid. Hirſch Münz Archiv. P. II. p. 175.
b) *Voigt* bœmiſche Münzen P. III. p. 190.
c) Ibidem p. 192.

ceret circiter 3. fl. Rh. ac 36. crucigeros æreos, quibus nunc utimur.

Inter monetas exteras deterrima eo tempore fuiſſe videtur Polonica, quoniam illius acceptatio in Hungaria fuit graviter vetita. En verba Decreti de anno 1574. Articulo 20. „Monetam Polonicam, uti prorſus vilem, & non ſolum Regnicolis, ſed etiam Fiſco damnoſam, publico Majeſtatis ſuæ edicto, a nemine recipiendam, ſed prorſus abolendam eſſe judicant, ſub pœna confiſcationis pecuniæ. Quod ſic fiet, ſi in Camera Cremnicenſi, & aliis prohibebitur, ne *Aurei*, & *Taleri*, aut moneta alba pro groſſis Polonicis permutentur.“

Quotnam gradibus deterior tunc fuerit parva moneta Polonica hungaricis æque parvis, atque etiam Viennenſibus monetis, adnotatum reperi in Schediasmate, Eperieſſini ipſo factæ prohibitionis nunc memoratæ anno 1574. die 19. Junii ſcripto, hunc in modum: *a*)

„ *Hungarica* pecunia in marca habet Lotones 8. argenti.
Polonica habet in una marca Lotones 5.
Vilior Polonica in marca Lotones 4.
Viennenſis pecunia *Bech* dicta habet in marca Lotones 7.
Reſiduum in marca eſt æs, vel cuprum.“

Quamobrem mirum non eſt, vilioris idgenus monetæ Polonicæ uſum rurſus Articulo 21. Decreti de anno 1600. fuiſſe in Regno Hungariæ prohibitum.

§. IV.

a) Extat in Bibl. R. Univ. inter MSS. Prayana.

§. IV.

Sub MATHIA II. & FERDINANDO II. ac III. ab Anno 1608. *ad* 1656.

His Imperatoribus, ac Regibus, res monetaria plurimum detrimenti accepit ab Collybiſtis, Campſoribus, Æruſcatoribus, Numulariis, & aliis varii generis fœneratoribus, qui monetarum permutatione, raſione, mutilatione, refuſione, aliisque fraudibus lucrum captabant. Hi enim viliſſimis, quæ illo temporis intervallo per Germaniam, Poloniamque procudebantur, monetis, aurum, argentumque redimentes, eo rem adduxerunt, ut omnis fere melior moneta hungarica ſenſim e Regno evaneſcere videretur. Contra hanc igitur peſtem in Comitiis Poſonienſibus decretum fuit anno 1609. *Art.* 8. Ne aurum, argentumque factum, infectumve pro nova cuſione, ac fœneratione ſub pœna confiſcationis e Regno efferatur. Anno autem 1618. *Artic.* 19. deliberatum erat de modo impediendi introductionem vilioris monetæ exteræ, ac de conſervatione monetæ melioris hungaricæ. Articuli verba ſunt: „ ſiquiquem ob levioris, & minus ſolidæ vicinorum regnorum, & provinciarum monetæ in hoc Regnum introductionem varii emergunt defectus, & incommoda, eapropter pro tollendis, & removendis in poſterum quibusvis inconvenientiis, Status, & Ordines Suam Majeſtatem humillime requirunt, dignetur eam ordinationem inſtitui clementer demandare, quatenus deinceps *Ungarici denarii* purius, & ſubtilius, prout tempore Ferdinandi, neque adeo craſſi, & fracti, veluti nunc, cudantur. Item, ut Dominus ab Herberſtein in Nagy-Bánya præter Taleros, & denarios, in eo nempe, quo Cremnicii cuduntur, valore, ullam aliam monetam ſub gravi Suæ Majeſtatis indignatione, Regnique pœna publica, cudat. Denique quoniam *Ungarica moneta* intra Regni viſcera evaneſcat, e contra *groſſi Polovici*, & *Duska*, nec non *germanici* quoque varii generis *groſſi*,

ſat-

ſat leves, & invalidi introducantur; ſed neque iſti ubique locorum in hoc Regno in uſu ſint, verum in aliquot tantum acceptentur, ex eo poſtulant Regnicolæ cogitandum de mediis, & rationibus, ejusmodi defectus ſine Regni incommodo (circa nempe venditionem frumenti, vini, pecoris, & aliarum mercium) removendi, bonamque monetam intra Regnum detinendi. *Minuta* inſuper *Ungarica moneta* omnium aliarum valorem excedente, qualiter illa in omnibus Suæ Majeſtatis Regnis, & provinciis plenarie, *Aurei* vero, & *Taleri* certo, & æquivalente pretio acceptentur, Sacra Majeſtas benigne curare dignabitur.“

Groſſorum Polonicorum, de quibus in iſto Articulo agebatur, *Dudek*, aut plurali numero *Dutki* vocatorum, alii erant majores, alii minores. Major valebat tres minores, ideoque dicebatur *Triplex*, hanc in averſa parte habens epigraphen: GROSS. ARGENT. TRIPL. REGN. POL. hoc tempore ſex crucigeris in Hungaria permutabatur, ut ut vix quinque crucigerorum argentum in ſe continuerit. Hanc monetæ Polonicæ ſpeciem imitati ſunt Principes Tranſilvaniæ Stephanus *Bocskay*, & Gabriel *Bethlen* in his Numis, in quibus legitur: GROS. ARG. TRIP. REGNI HVNGAR. Apud *Hirſch* T. III. Archivi monetalis p. 200. & ſeq. occurrit Andreæ *Haindl*, monetarum probatoris, relatio facta Viennæ anno 1602. in qua multæ Polonicorum *Dutkorum* tam genuinorum, quam ſpuriorum ſpecies recenſentur, adnotato in ſingulis pondere, argentique cupro permixti quantitate, ac valore.

Fuit etiam iis temporibus genus quoddam *polturarum* Hungaris *longa moneta* (*hoſzſzú pénz*) dictarum, cujus valorem externum duabus tertiis imminuendum cenſuit Comitatus Poſonienſis in congregatione anno 1635. Samariæ celebrata. En documentum ex charta coæva, hactenus ineditum: *a*) „Nos Stephanus Pálffi ab Erdöd

a) Exſtat in Bibl. R. Univ. Peſt. inter MSS. Prayiana T. 26. Miſcell. fol. 93.

Erdőd cet. nec non Comes, Judlium, ac tota Univerſitas Comitatus Poſonienſis, damus pro memoria per præſentes: quod cum nos — — — hic in oppido Samaria — — ſimul fuiſſemus conſtituti, tandem inter cetera in facto debitorum, & qualiumcunqne oppignorationum, ſive abalienationum Bonorum, ſuperioribus temporibus ex curſu vulgo *longæ monetæ*, ſive *poltura* vocatæ, contractorum, & exortorum, rationabilibus, & non poſtponendis de cauſis, unanimi conſenſu, & voto, hoc, & id determinavimus, ut videlicet debitores, & impignoratores hujusmodi negotio intereſſati, *tertia* dumtaxat *parte* Capitalis Summæ, *moderna currenti moneta* Creditores ſuos, & poſſeſſores Bonorum ejusmodi impignoratorum, ſeu abalienatorum, exſolvere valeant, atque poſſint. Harum vigore, & teſtimonio literarum mediante. Datum in antelato oppido Samaria feria tertia proxima poſt Dominicam Quaſimodo, loco ſcilitet, & altero die celebrationis Sedriæ noſtræ, Anno Domini 1635."

Sed nuſpiam forte magis, quam in Germania circa hoc tempus perturbatæ erant rationes rei monetalis propter fraudes innumeras, quæ in procuſione parvarum præcipue monetarum admittebantur; operæ pretium eſt editos tunc de re monetaria Germaniæ Tractatus conſulere. „Prima quidem, ac præcipua labes, ait *Tobias a Schöllenbach*, Reip. Norib. Conſiliarius, *a*) minutiores monetarum ſpecies invaſit, quæ ſub prætextu operæ, ſumptuumque pretii, ſenſim impuriores cudi, & expendi cœperunt, ita ut initio vix fraudem animadvertere liceret, & ut leves defectus parum curarentur: tum vero per conniventiam Statuum, nulloque vindictæ genere in delinquentes etiam notorios ex variis reſpectibus exercito, ejusmodi uſuales numuli indies magis magisque, ut internæ bonitatis pretio

a) Tract. Polit. de rei monetariæ Statu hodierno in Imperio Romano-Germanico apud Thomanum in Actis publ. Monet. P. I. p. 176.

tio deminuti, ita magna copia aucti, & per totum Imperium diffusi sunt, ut majoris sortis argenteæ (ne quid nunc de aureis dicam) Taleri, seu Imperiales præsertim de pretio constituto sexagenorum octonum cruciatorum gradatim ascendere, simulque varias exteras ultra verum valorem æstimatas monetas passim irrepere inevitabilis fuerit necessitatis: donec tandem sub initium, & occasione novorum in Germania motuum bellicorum eo sceleris, & criminum pleno impetu processum est; ut omnibus Imperii legum, constitutionumque monetalium veluti aggeribus perruptis, minoris, mediæque formæ usitatæ monetæ in officinis, noviter passim erectis, partim & ipsis Judæis locatis, tanta æris persusione falsificatæ, & deterioratæ sunt, ut tota Germania ejusmodi scoreis, & spurcis, vix externæ speciei aliquid reliquum habentibus, imaginariis monetis, quasi fluctibus decumanis, brevi inundata fuerit; idque tali inaudita ratione ut simul materiæ bonitati, & ponderi sensim aliquid decessisse, & tamen valorem externum in iisdem speciebus deterioratis auctum fuisse viderimus, sensimus. Unde aliter fieri non potuit, quam ut majoris, & pretiosioris sortis monetæ vel penitus peremptæ, consumptæ, & in minutiorum, quas dixi, specierum simulacra redactæ, vel ex incendio isto universali reliquæ, pro cujusvis fere privati arbitrio, ad immensum pretium, & Taleri quidem ad decem, vel plurium florenorum, ex novo isto genere constantium, valorem ascenderint. "

Ex Actis; quæ Hirschius collegit, constat, valorem extrinsecum majoris monetæ in parvis monetis commutandæ hisce gradibus crevisse. *a*)

Anno

a) Vid. Hirsch T. VII. Münz-Archiv. p. 409. T. IV. p. 74. ibid. p. 101.

Anno 1612. *Ducatus hungaricus*, aliusve ejusdem bonitatis, & ponderis aureus, valebat 36. Bazios, id eſt, 144. crucigeros, ſive 2. fl. Rh. 20. xr.

Rhenanus aureus 27. Bazios ſeu	1.	fl.	48. xr.
Talerus Imperialis 22. Baz. ſeu	1.	fl.	30. xr.
Alius minor	1.	fl.	20. xr.
1618. *Ducatus hung.* valuit	2.	fl.	32. xr.
Rhenanus aureus	2.	fl.	— xr.
Talerus Imperialis	1.	fl.	32. xr.
Alius minor	1.	fl.	22. xr.

Verum in *Hollandia* jam anno 1612. teſte ab Hagelſtein *a*).

Ducatus hungaricus æſtimabatur	4.	fl.	
Rhenanus aureus	2.	fl.	18. groſſis.
Talerus Imperialis	2.	fl.	8. groſſis.
Alius minor	2.	fl.	

Anno 1620. Francofurti ad Mœnum valebat:

Ducatus hungaricus	3.	fl.	12. xr.
Rhenanus aureus	2.	fl.	20. xr.
Talerus Imperialis	2.	fl.	4. xr.
Alius minor	1.	fl.	20. xr.

Anno 1624. in ditionibus Auſtriacis, teſte C. Khevenhüllero, *b*).

Ducatus hungaricus valebat	3.	fl.	20. xr.

Atque hæc erant quidem monetæ majoris pretia legitime conſtituta, quæ tamen multis in locis adeo non fuerunt obſervata, ut in permutationibus ſæpe duplum, triplum, ampliusve in parvis monetis dare oportuerit. Argumento eſſe poſſunt duo Edicta Joa-chimi

a) P. II. Actorum publ. monet. p. 8.

b) T. X. Annalium Ferdinand. p. 540.

chimi Ernesti Marchionis Brandeburgici, *a*) unum de anno 1621. quo præcipitur, ut in regionibus suis magnæ monetæ in parvis non plus valeant, quam sequentes summas:

Ducatus hungaricus	6. fl.
Rhenanus aureus	5. fl.
Talerus Imperialis	4. fl.
Alius minor	3½. fl.

Alterum ejusdem Edictum est anni sequentis 1622. quo jam permittitur, ut permutari valeat

Ducatus hungaricus	16. fl. Rh.
Rhenanus aureus	12. fl.
Talerus Imperialis	10. fl.
Alius minor	9. fl.

Sed longum esset enarrare, quibusnam incrementis, aut decrementis Sæculo XVI. ac XVII. variaverint valores Aureorum, ac Talerorum; lectorem itaque, cujus id scire interest, remitto ad Acta publica monetalia Thomani ab Hagelstein, apud quem P. I. p. 514. reperiet accuratam idgenus mutationum Tabellam, hoc præfixo titulo: Auf-und Absteigung-Tafel folgender viererley Reichs groben Silber, und guldenen Münz-Sorten, was massen solche in dem verwichenen, und noch lauffenden Sæculo, oder Jahrhundert, nemlich Anno 1582. bis 1690. insgemein gestiegen, gefallen, und valvirt worden.

Consulta hac Tabella facile patebit, maximam germanicæ rei monetariæ perturbationem incidisse in tempora belli tricennalis, ac præcipue decurrente anno 1621. & 1622. Ne vero idem in Hungaria contingeret, cavebatur, quantum fieri potuit Regni legibus. Quædam tamen mutationes videbantur necessariæ. Decreto anni 1622. Artic. 77. valor grossorum tam simplicium, quam

---

a) Apud Hirsch l. cit. T. IV. p. 156.

quam duplorum, in denariis hungaricis computatus, quarta sui parte imminuebatur. Conſtitutum enim fuit, ut pro groſſis minoribus non amplius quatuor, uti hactenus, denarii numerarentur, verum terni dumtaxat, & ſimiliter groſſi majores antehac octo denariorum jam pro ſex denariis expendantur. Hoc ergo tempore denarius hungaricus æquivalebat uni crucigero, cuſus videlicet ex argento, æquali portione æri permixto. Serius tamen, anno ſcilicet 1625. Art. 39. viſum fuit permittere, ut novi denarii ex viliore ſignarentur argento, quinque tantum ſemuncias puro, quod germani fünf löthig appellant. Abhinc vero neceſſe fuit, ut ſimul Aureorum, & Talerorum valor majoribus idgenus denariorum numeris definiretur. Crevit vero præterea etiam auri ad argentum ratio, uti mox videbimus.

§. V.

Sub Imp. LEOPOLDO *M.* IOSEPHO *I. &* CAROLO *VI. ab anno* 1655. *ad* 1740.

His ſucceſſive imperantibus valor Aurei crevit usque ad 4. fl. Rh. ſive 400. denarios hungaricos ejusdem ætatis: *Taleri* vero inde ab anno 1693. pretium 2. florenorum Rh. obtinuerunt. In Actis Comitiorum Ratisbonenſium de anno 1736. articulus eſt de moneta hungarica hujus tenoris: *a*) „Cremnicenſes aurei ab anno 1574. ad 1737. ſignati ponderant 67. unam marcam Colonienſem, & continent auri puri 23. Caratos, & 9. grana, uno proinde grano plusquam lex Imperii poſtulat; valentque 4. fl. Rh. Ejusdem probitatis, ponderis, ac valoris ſunt Viennenſes ab anno 1713. & Nagybányenſes ab anno 1717. ad 1737. procuſi. At in Tranſilvanicis auri puritas eſt 23. Caratorum, & 8. gran. Valent nihilominus & hi 4. fl. Rh.

a) Vid. Hirſch T. VII. Münz-Archiv. p. 225.

fl. Rh. *Taleri* LEOPOLDI Magni, IOSEPHI I. & CAROLI VI. in Hungaria ſignati, habent in marca Colonienſi ex argento puro 14. ſemuncias & 1. gran. eorumque $8\frac{1}{5}$. adæquant pondus marcæ Colonienſis: valent ſinguli 2. fl. Rh.

Groſſi magni, vulgariter *Mariani* dicti, quos Leopoldus Magnus ab anno 1662. ad 1696. cudi fecit eo pondere, ut 39. æquarent marcam Colonienſem, conſtant argento 8. ſemuncias, & 17. grana puro. *a*) Valebant usque ad ann. 1693. crucigeros 15. ſed Edicto ejusdem anni 1*ma* Aprilis promulgato elevati fuere ad 17. cruciferos, uti & groſſi medii ſex crucigerorum ad valorem 7. xr. *b*). At vero groſſi parvi trium crucigerorum, horumque ſemiſſes, ſeu polturæ, item ipſi crucigeri, ac denarii hungarici cudebantur ex argento longe magis impuro, quippe in marca parvæ idgenus monetæ ne quidem integræ quinque ſemunciæ puri argenti inerant. Fuit autem ab anno 1659. unus groſſus tricruciger quinque denariis hungaricis æſtimatus *c*).

§. IV.

Sub M. THERESIA *Auguſta, ac deinceps, ab anno* 1740. *ad* 1801.

Regnante MARIA THERESIA, ac deinceps usque ad Sæculi XIX. exordium, quo hæc ſcripſeram, memini, hæc præcipue apud nos in re monetali contigiſſe: *Aurei* ſimplices *Cremnicenſes* primum elevati erant ad 4. fl. 12. xr. *Nagybányenſes*, ac *Tranſilvanici* ad 4. fl. 10. xr. quo poſteriore pretio acceptabantur etiam Numi aurei Cæſarei, in aliis ditionibus Auſtriacis procuſi, & exteri, ejusdem bonitatis ac ponderis. *Florentinorum* autem idem in Hungaria

valor

a) Ibidem T. VI. p. 230.
b) Ibidem T. V. p. 258.
c) Vid. Artic. 72. Decreti ann. 1659.

valor erat, qui Cremnicensium. A 1ma Maji ann. 1771. *Cremnicensis* valere cœpit 4. fl. 18. xr. *Nagybányensis*, ac *Transilvanicus* 4. fl. 16. xr. Auctus iterum valor anno 1783. *Cremnicensium* ad 4. fl. 22. reliquorum autem simplicium aureorum Nagybaniæ, vel in Transilvania procusorum ad 4. fl. 18. xr. Altero autem post anno per Edictum *Josephi Aug.* omne inter aureos hungaricos discrimen sublatum est, constituto singulis, ubicunque in Hungaria, vel Transilvania procuderentur, valore 4. florenorum, & 30. xr. Cudebantur vero etiam majoris monetæ *Aurei*, videlicet *dupli* valore 9. florenorum, & *tripli*, vulgo *Souvrain d' or* dicti, seu *Supremi*, valentes 13. fl. 20. xr. horumque dimidii, 6. florenorum, & 40. Atque hic Aureorum valor legitimus per Hungariam hodieque perseveraret, si per fœneratores liceret, quorum artibus effectum est, ut nunc simplex aureus passim florenis quinque, & paullo amplius permutetur.

In *argentea* vero moneta sequentes acciderunt mutationes:

Talerorum, seu Solidorum Imperialium, ad normam Conventionis in Imperio factæ, cusorum, valor quidem externus, nempe 2. florenorum, retentus est, uti antea fuit, sed intrinseca eorum bonitas diminuta. Nam ab anno 1753. procusi continent in una marca solummodo 13. semuncias, & 6. grana puri argenti, reliquum est æs. Idem intellige de Semissibus, & quadrantibus Talerorum. Pro aliis autem mediæ, & parvæ formæ monetis argenteis hæc Lex fuit constituta, ut *Vicenarii* (sic dictæ monetæ a valore 20. xr.) cuderentur ex argento 9. semuncias, 6. grana puro: *Mariani* (Numi valentes 17. xr.) ex arg. 8. semunc. 12. gr. *Decenarii* ex arg. 8. semunc. *Septenarii* & arg. 6. semunc. 13. gr. *Grossi tricrucigeri* ex arg. 5. semunciarum, vel etiam aliquantum viliore. Longe adhuc vilius argentum feriundis *polturis*, grossulis, sive *gröschlis*, nec non *crucigeris*, & *denariis* hungaricis admittebatur.

Anno

Anno demum 1760. Decretum fuit, ut omnes hæ inferioris monetæ ſpecies, a *polturis* inchoando, poſthac ex mero *cupro* ſignarentur, pondere tamen, moduloque majore, quam fuerint argenteæ. Cuſio monetarum *cuprearum* in Auſtria jam ab anno 1750. continuabatur. *Polturæ*, *gröſchlæ*, ac *denarii* deſierunt in Hungaria cudi haud multo poſt annum 1780. At *crucigeri cuprei* magno hodieque numero excuduntur integri, ac medii, hi tamen pauciores; quibus jam & *groſſi* trium, ſexve cruciferorum valore ſinguli, ex eodem metallo procuſi, acceſſere.

Primis circiter 20. annis ex una Vindobonenſi libra cupri non plures, quam 48. crucigeri fuerunt cuſi, poſtea vero 78. Qua de re Ephemerides Vindobonenſes latinæ ad anni 1781. diem 30. Maji hæc habent: „6702. pondera centenaria plagularum cuprearum, ex quibus novi crucigeri cuprei excudantur, Neoſolii confecta, & jam Cremnicium, ut nota imprimeretur, miſſa ſunt. Pondus eorum una tertia parte levius erit, quam priſtinorum. Horum enim 48. tantum una libra continebat, novorum autem 72. unam libram efficient. Ex transmiſſis Cremnicium plagulis illis jam 48254400. novi crucigeri cuprei, qui Summam 804240. fl. efficiunt, excuſi, ſignatique ſunt." Hodie longe adhuc leviores procuduntur, ex una enim cupri libra fiunt circiter 124. typumque partis averſæ novum habent. In prioribus enim crucigeris pars antica habet Caput imperantis cum perigraphe nominis, ac titulorum, averſa vero ſolam hanc epigraphen: EIN KREVTZER. addito cuſionis anno, & ſigla monetarii. Quæ omnia intra lauream ſunt. At in recentiſſimis crucigeris, præter caput, nomenque, ac titulos imperantis in parte una, occurrit parte altera, Aquila biceps, nimbata, coronata, enſe, ſceptroque armata, gerens in pectore numerum 1. quo indicatur, unius crucigeri valor, & in area Numi annus cuſionis, ex. gr. 1800. Idem typus eſt in cupreis groſſis trium, & ſex crucigerorum, cum hoc

diſcri-

difcrimine, quod in his præter numerum valoris 3, vel 6. in pectore aquilæ expreffum, hæc infcriptio ambiat aquilam: SECHS. KREVTZER. ERBLAENDISCH. 1800. & quod in antica etiam circa imperantis caput laureatum non latina, fed germanica fit hæc infcriptio: FRANZ. II. RÖM. KAI. KÖN. Z. HV. V. BÖ. ERZH. Z. OEST. Infra caput figla monetalis A. vel B. cet. intra duos lauri ramos in decuffim pofitos. Cuduntur etiam groffi crucigerorum 12. magno numero, ex metallo, continente in marca una circiter 5. femuncias argenti, qui fic habent: KAI. KÖN. ERBLAENDISCHE. SCHEID. MÜNZ. Aquila biceps, nimbata coronata, enfe, fceptroque armata, gerens pectore fcutum coronatum, torque aurei velleris circumdatum, in quo funt infignia Auftriaco-Lotharingica. In parte autem averfa fcriptum eft 12. KREÜTEER. & annus cufionis ex. gr. 1795. infra eft figla monetalis intra duos ramos lauri, & palmæ in decuffim pofitos. Nuper fimili typo excudi cœperunt etiam Numi 24. cruciferorum finguli. Hæc temporaria provincialis moneta fupplet interea meliorem argenteam, & auream, quam rarefcere fecit belli diuturnitas.

Numi ideales Hungarorum commemorandi veniunt fequentes: 1) Florenus *rufticus* in Superiore Hungaria 49½. cruciferorum, five 33. polturarum. 2) Florenus brevis (hung. Kurta forint) 50. cruciferorum. 3) Florenus *tractus* (hung. *Vonás forint.*) 51. cruciferorum, five trium Marianorum. Ceterum hæ florenorum idealium fpecies fenfim jam apud ipfam quoque plebem evanefcunt, eftque communior modo computatio fecundum florenos Rh. feu 60. crucigerorum, aut 100. denariorum hungaricorum. *Orthonis* vero vocabulum nondum penitus exolevit, eft enim etiamnum in ufu in quibusdam Hungariæ fuperioris locis apud quæftores linteæ, & cannabinæ mercis, qui plerumque fummulam 12. crucigerorum vocant *Orthonem*, quafi quartam videlicet ruftici floreni idealis partem.

Viennen-

Viennensis marca auri obryzi 24. Caratorum, cujusmodi quinque marcæ adæquant sex marcas Colonienses, post auctum aureæ monetæ valorem, haud ita pridem exsolvebatur in Cameris monetalibus 359½. fl. cum antea 346. dein 353. florenis persoluta fuerit. Eadem marca Viennensis argenti purissimi, 16. semunciarum, in gradu 18. granorum, valebat plus minus 24. florenos. Unde patet, esse nunc auri ad argentum rationem circiter ut 1. ad 15.

Per Edictum circulare dd. 22. Junii 1788. monetas Turcicas in quovis ærario publico permutare licebat sequente pretio:

1) Aureum *Zeri Mahbul* ponderantem 45. gran. pro 2 fl. 40. xr.

2) Hujus dimidium . . . . 1 — 20. —

Ex monetis vero argenteis:

1) Numum *Sessantine* . . . . 58. xr.

2) Numum *Piaster* . . . . 42. —

3) Mediam hujus speciem . . . . 31. —

4) Infimam . . . . 20. —

De aliis monetarum exterarum speciebus per Hungariam ac ditiones Austriacas usitatis consulatur *Gerhardts allgemeiner Contorist.* Tit. *Wien* p. 404.

DISSERTATIO QUINTA
DE NUMIS
PRINCIPUM TRANSILVANIÆ,
ET ALIIS VARII ARGUMENTI, AD HUNGARIAM, HUJUSQUE PROVINCIAS SPECTANTIBUS.

INTRODUCTIO.

Interitum LUDOVICI II. ad Mohácsium variæ rerum, juriumque conversiones in Hungaria, adnexisque provinciis subsecutæ sunt. De Regno primum armis decertatum est inter FERDINANDUM I. & IOANNEM Zapolyam. Posterior in Poloniam ejectus, dein a Solymanno revocatus, partem Hungariæ cum Transilvania obtinuit. Turcis tamen diffisus animum denique adjecit ad perpetuam cum Rege FERDINANDO pacem stabiliendam. Tabulæ pacis ann. 1538. Varadini confectæ sunt, fœdusque sancitum, cujus præcipuum caput erat, ut IOANNES retento, dum viveret, Regis titulo, Transilvaniam cum parte Hungariæ, bello adquisita, possideret, ab obitu autem suo Hungariam universam cum omnibus provinciis huic obnoxiis relinqueret, data fide, filium, si quis post initum connubium sibi nasceretur, non amplius Regis titulo usurum, sed patrimonio, ac novo Ducatu Scepusiensi, qui ejus causa erigetur, contentum fore, nihilque pro Regia dignitate obtinenda moliturum esse *a*). In iisdem

a) Vid. Wolffg. *Bethlen* hist. Transilv. Lib. II. *Pray* Annal. Hung. P. V. p 297. seq.

iisdem Tabulis de cudenda moneta inter utrumque Regem ita convenerat, ne imprimis alteruter pateretur quempiam ſubditorum ſuorum cudere, vel cudi facere monetas; deinde ut in monetis, quas in Hungaria ſuo nomine feriundas curabunt, mutuo concordent.

Secundum hæc igitur pacta oportebat poſt mortem Joannis Zapolyæ, quæ in ann. 1540. incidit, univerſum Hungariæ Regnum cum Tranſilvania, ceterisque provinciis ad Ferdinandum, hujusque ſucceſſores revolvi. Verum aliter evenerat. Nam vidua Regina *Iſabella*, conſiliis Martinuſii, & Petrovitsii uſa, mox ab obitu Conjugis natum ſibi filium *Joannem Sigismundum* Regem Hungariæ proclamari, coronarique fecit, retenta pro eodem, quam pater tenuerat, Hungariæ parte, cum tota Tranſilvania. Viduam, & pupillum Turcorum Imperator Solymannus protegebat. Non diu tamen res *Joannis II.* hoc loco fuerant. Occupata enim per Solymannum Buda, Rex umbratilis cum matre, ac tutoribus in Tranſilvaniam ann. 1541. commigrare jubetur. Hanc decimo poſt anno cedere Ferdinando coactus e provincia decedit. Redux 1556. eandem Turcis vectigalem regit usque 1571. quo extinctus eſt. Paullo ante mortem de pace cum Maximiliano II. Ferdinandi ſucceſſore ſic transegit, ut, qui deinceps Tranſilvaniam gubernaturi eſſent, a titulo Regis Hungariæ abſtinerent, Vajvodæ, vel Principes Tranſilvaniæ, ac Siculorum Comites appellandi. Ad hanc dignitatem pervenere primi e nobiliſſima Hungarorum gente Bathorea, Stephanus, Chriſtophorus, Sigismundus, Andreas, Gabriel poſtea ex aliis familiis, Stephanus Botskay, Sigismundus Rákotzi, ceterique, quorum nomina, & arma in Numis continua ſerie iſthic deſcriptis, videbimus. Hanc ſeriem excipient alia varii argumenti Numismata quoquo modo ad Hungariam, hujusque provincias ſpectantia, tamquam pro coronide poſtremæ hujus Diſſertationis.

CAPUT

CAPUT PRIMUM.

Numi Principum Transilvaniæ ab Anno 1526. ad 1600. descripti, & illustrati.

§. I.

Numi IOANNIS I. Zapoliæ 1526—1540.

I. Monetæ aureæ.

1. IOANNES. I. REX. VNGARIE. Protome capite coronato, vultu barbato.

DEXTRA. DEI. FACIT. VIRTVTEM. Lupus Zapolyanus medio corpore ex tricolle adsurgens, ante quem crux gemina, retro scutum fasciatum Regni Hungariæ. *Aur. Musei Cæs. Vindobon.* Vid. Tab. XX. N. 386. *T. XX. N.* 386.

Annus deest; sed videtur hoc Numisma ob coronationem anni 1526. cusum fuisse. Pondus habet duorum aureorum simplicium, teste Köhlero *Tom. VI. Münzbelustigung.* Oriundus erat *Joannes* e Comitibus de Zapolya, perpetuis Terræ Scepus, patre Stephano genitus anno 1487. vel secundum alios 1490. Provinciam Transilvaniam Waivodæ titulo pro Rege Ludovico gubernavit, post hujus vero mortem Regem sese Tokaini proclamari, & mense Novembri 1526. apud Albam-Regalem coronari fecit *a*).

a) Car. Wagner P. IV. Anal. Scep. p. 37. refert, Joannem Zapolyam non a Paulo de Warda, Strigoniensi Archiepisco, ut vulgo traditur, verum a Stephano Podmaniczky, Episcopo Nitriensi, coronatum fuisse, idque eruit ex literis, quibus Rex Ferdinandus I. Podmaniczkio hanc culpam condonavit.

2. IOHANNES D. G. R. VNGARIE. Deipara coronata d. Jesulum, sub pedibus luna, & infra hanc parmula lupum gentilitium exhibens.

LADISLAVS REX. 1527. Stans hic Sanctus coronatus, palliatus, loricatus d. bipennem, s. globum crucigerum. Siglæ N. T. *Aur. simpl. ibidem. Alius similis R. Univ. Pest. sed anni* 1531.

3. IOANNES DEI. G. REX VNGARIE. Scutum coronatum quadripartitum, continens quatuor fascias, & crucem geminam Tricolli impositam, alternantes, in medio autem scuti parmulam itidem quadripartitam in quo Lupus gentilitius, & Monoceros alternant.

S. LADISLAVS REX 1539. Consueta effigies S. Ladislai. In area hinc Castellum, infra quod F. inde Monoceros in parmula, infra quam G. *Aur. simpl. Musei Cæs. Vindob.*

4. IOANNES. D. G. R. HVNGARIE. Deipara coronata sedens cum Jesulo in sinu dextro, infra pedes luna bicornis, & infra hanc parmula cum lupo gentilitio.

S. LADISLAVS. REX. 1540. Stans hic Sanctus coronatus, loricatus d. bipennem longam, s. globum crucigerum. In area si-
T. V. glæ sunt eædem, quæ in præcedente. *Aur. simpl. ibidem, & C. Fe-*
N. 192. *stetics.* Vid. Tab. V. N. 192.

Siglæ notant: hunc aureum fuisse signatum Claudiopoli sub *Fratre Georgio Martinusio* ærarii Præfecto.

Gens Zapolyorum pro armis gentilitiis non modo lupum gerebat, verum etiam Unicornem, quod in præcedente aureo docet parmula in medio scuti majoris posita, in qua lupus cum Unicorni alternant: idem e sigillis demonstrat Car. *Wagner a*).

5. IOANNES. D. G. R. VNGARIE. Icon Mariana, & parmula, ut in præcedente.

S. LADIS-

a) *Ibidem* in Genealogia familiæ Zapolyianæ.

S. LADISLAVS REX. 1540. Imago S. Ladislai, ut ſupra. Siglæ: H. infra quod F. & duo enſes decuſſati ſub corona, infra quos G. *Aur. ſimpl. ibidem.* Vid. Tab. V. N. 193. *T. V. N.* 193.

Siglæ indicant, cuſum fuiſſe hunc Aureum *Cibivii*, germ. *Herrmanſtadt* Fratre Georgio Martinuſio ærarii Præfecto. *Frater* vulgo dictus, quod eſſet monachus.

Plures eodem typo, ſed annis, & ſiglis diverſos aureos vide apud Joan Seivert, in Köleseri Auraria Romano-Dacica p. 138. & ſeq.

II. Argenteæ Monetæ Ejusdem.

1. IOHANNES. D. G. R. VNGARIE. Deipara capite velato ſedens cum Jeſulo in ſinu dextro. Siglæ: K. T.

MONETA. NOVA. ANNO DOMINI: 1527. Scutum quadripartitum, in cujus area prima, & ultima ſunt 4. tæniæ hungaricæ, in 2*da* crux patriarchalis, in 3*tia* duo capita coronata Leopardina Dalmatiæ, tertio non apparente ob parmulam in medio Scuti poſitam, in qua eſt lupus gentilitius e corona emergens inter lunam, & ſtellam. *Groſſus rarus Com. Feſtetics.* Vid. Tab. V. N. 194. *T. V. N.* 194.

2. PATRONA VNGARIE. Deipara capite coronato gerens Jeſulum in ſinu dextero. Siglæ. K. T.

IOHANNES. R. VNGARI. 1527. Scutum ut in præcedente. *Den. arg. obvius.* Tab. V. N. 195.

§. II.

ISABELLÆ Reginæ, ſolius, & cum filio.

1. ISABELLA D. G. R. HVNG. DALMAT. CROAT. ETC. Scutum quadripartitum corona aperta tectum. Area 1*ma* in quatuor areolas diviſa exhibet 1) Lupum dimidium in tricolle. 2) Crucem hungaricam pariter ſuper tricolle. 3. quatuor faſcias hung. 4) Unicor-

Unicornem. Area II. continet aquilam polonicam. III. Serpentem coronatum Mediolanensem specie deglutientis infantem. VI. Insignia Dalmatiæ.

Pars aversa constat sola hac epigraphe: 1. 5. 5. 7. SI DEVS NOBISCVM, QVIS CONTRA NOS. S. F. V. *Aureus decuplus per Joan. Seivert l. cit. p. 141. & seq. descriptus.*

Postremæ literæ S. F. V. significant: *sic Fata volunt.* Familiarem scilicet *Isabellæ* Joannis I. Zapolyæ viduæ sententiam. *Thuanus* de hujus Reginæ abitu ex Transilvania scribens: *a*) „Nam, inquit, ne in eo Regno, cui summo cum imperio præfuit, privata diutius viveret, statim convasatis rebus suis, per montes asperos Cassoviam versus iter direxit. Cum vero propter angustias viarum inter silvas descenderet, respiciens, pristini culminis, ex quo deciderat, memor, altum corde suspirium duxisse dicitur, et, cum aliud non posset literata femina, inscripto arbori nomine, hæc addidisse: SIC FATA VOLVNT: eoque relicto justi doloris monumento rursus currum conscendit, ac institutum iter prosequitur." Rem eandem *Abb. Georgius PRAY* sic paucis narrat: *b*) „Transilvania egrediens, fertur monumentum versatilis fortunæ, suasu, ut creditum est, Blandratæ, arbori incisum his verbis reliquisse: *Sic fata volunt. Isabella Regina.*

Aliam hanc sententiam: *Sic Deus nobiscum, quis contra nos:* etiam alii Principes, præcipue Marchiones Brandeburgici, suis Numis, Sæculo XVI. signatis, insculpi fecerunt. Sumpta est ex Epistola S. Pauli ad Rom. Cap. VIII. v. 31.

2. IOHAN. SIGISM. R. VNG. S. F. V. Deipara coronata sedens cum Jesulo. Infra iconem duo mallei decussati, signum Officinæ Nagybányiensis.

YSABE.

---

a) Hist. Lib IX. p. m. 182.

b) Hist. R. Hung. P. III. p. 104.

YSABE. D. G. REG. VNGA. 1558. Scutum coronatum cum omnibus illis armis, quæ in præcedente Numismate descripta sunt. *Aur. simpl. Musei Cæs. Vindob.* Vid. Tab. XX. N. 387. *T.* XX. *N.* 387.

Alius similis aureus, sed anni 1557. *Regiæ Univer. Pestin.* Præter consueta Hungariæ, & Dalmatiæ insignia occurrunt in his aureis gentilitia Zapolyiorum Lupus, & Monoceros, nec non *Isabellæ* propria, videlicet aquila Polonica, & boa, seu serpens Mediolanensis infantem glutiens. Patrem enim Isabella habuit *Sigismundum* Poloniæ regem, matrem vero *Bonam Sfortiam* Mediolani Ducem.

3. IOAN. SIGISM. REX HVNG. 1557. Rex imberbis sedens capite coronato. Infra duo enses decussatim positi, Cibiniensium insigne.

ISABELLA D. G. REG. VNGAR. S. F. V. Scutum complectens insignia Num. 1. descripta. *Aur. simpl. apud Köleserum Aurar. Rom. Dac. p.* 141. Rarus ob Regis effigiem.

§. III.

IOANNIS II. sive IOANNIS SIGISMVNDI ab Anno 1541—1571

1. IOHANN. SECVN. D. G. R. VNGA. 1558. Scutum quadripartitum: in cujus areis superioribus quatuor fasciæ, & crux duplicata; in inferioribus capita Leopardorum, & Vnicornis. In medio lupus Zapolyanus parmulæ inscriptus.

PATRONA VNGARIE. Icon Mariana solitis cum attributis, & siglæ: N. B. *Nagybányam* indicantes. *Quadrans aurei e Museo Bar. a Bruckenthal, apud Seivert l. cit. p.* 142.

2. IO. SECV. D. G. R. ELE. REX. VN. 1563. Scutum quadripartitum. Area I. complectitur Lupum, fascias, crucem duplicem, & Unicornem. Area II. Aquilam Polonicam. III. Capita tria Leopardina. IV. Boam Mediolanensem.

PATRONA.

PATRONA. VNGARIE. Icon Mariana cum Jesulo; infra quam castellum Claudiopolitanum. *Aur. simpl. Com. Fest.* Vid. Tab. V. N. 388.

Tab. V. Nro 388.

Johannes Secundus idem, qui *Joannes Sigismundus*, teste Ascanio *Centorio* della Guerra di Transilvania p. 24. nomen quoque *Stephani*, dum sacro fonte lustraretur, accepit, ut scilicet non modo sui patris, simulque materni avi, sed etiam avi paterni *Stephani* Zapolyæ, gestis his nominibus, retineret memoriam.

3. IOHAN. SIGISM. R. VNG. S. F. V. Icon mariana; sub qua duo mallei decussati Nagybányienses.

YSABE. D. G. REG. VNGA. 1559. Scutum, ut in præcedentis antica. *Aur. simpl. apud Seivert. l. c.*

Alius similis, sed cum anno 1560. & infra iconem Marianam sunt duo enses civitatis Cibiniensis. *Aur. simpl. ibidem.*

Cum constet, Reginam Isabellam anno 1558. obiisse, oportuit hos Numos anno nunc laudato pro annis proxime futuris percussos fuisse. Literas S. F. V. interpretati sumus §pho præcedente.

4. IOH. SEC. D. G. ELE. REX. V. 1561. Scutum uti hic Nro. 2.

SIGISM. R. VNG. S. F. V. Icon Mariana. *Aur. simplex* diversis conflatus formis. *Ibidem.*

5. Alius similis de anno 1562. Ap. *Schwartz* in critica recensione *Schmeizelii* p. 15.

6. IOH. SE. REX VN. 1565. Lupus gentilitius super tricolle intra stellam, lunamque.

Pars aversa penitus vacua. *Aur. decupl. Com. Festetics.*

7. I. E. R. V. id est: *Johannes Electus Rex Vngariæ.* Scutum in medio Numismatis complectens Lupum gentilitium super tricolle, intra lunam, & stellam, annumque 1562.

Pars aversa penitus vacua. *Argent. Uncial. C. Festetics.*

In

In alio simili ejusdem anni Numismate scriptum est: I S E R V. id est *Johannes Secundus Electus Rex Vng.* Apud Seivert l. cit.

8. IO. SE. REX. VN. 1565. Scutum cum lupo gentilitio, uti supra.

Pars aversa penitus vacua. *Arg. Uncial. R. Univ. Pest.*

Opinio est Samuelis *Köleseri* (*in Aurar. Rom. Dac. p.* 140) *Johannem Secundum* ideo in suis magni moduli Numis partem alteram calvam, & levigatam fieri fecisse, quod inter vicissitudines fortunæ suæ spem obtinendi coronam, & Regnum Hungariæ nunquam abjecerit. Verum non hæc est heterotyporum idgenus Numismatum causa; quia multa prorsus hujus generis Numismata, quæ vulgo *Castrensia* vocantur, etiam ab aliis Principibus procusa fuisse novimus, compendium hoc modo sectantibus in procudenda, signandaque moneta, in belli sumptus quantocyus necessaria.

9. IO. SECV. D. G. ELE. REX. VN. 1571. Scutum coronatum quadripartitum, in cujus area I. occurrunt lupus, fasciæ hungaricæ, crux duplex, & Monoceros: In II. Aquila Polonica. In III. Tria capita Leopardina Dalmatiæ. IV. Vero area, in qua alias esse solet serpens Mediolanensis, nunc vacua est.

PATRONA VNGARIE. Deipara coronata sedens cum Jesulo, cujus genibus impressa est parmula, duabus cruculis infra coronam perpendiculariter positis, insignita. Sub pedibus luna bicornis, & infra hanc duo enses Civitatis Cibiniensis. *Aur. simpl. Musei Cæs. Vindob.*

Parmula iconi Marianæ impressa continet insigne Præfecti Cameræ monetariæ Cibiniensis. Annus vero 1571. huic aureo inscriptus, Johanni Sigismundo erat vitæ postremus.

Ejus exequias Comes Wolfgangus *Bethlen* Hist. Transilv. *Lib. V.* describit, in qua descriptione simul *insignia*, quibus hic Princeps utebatur, hunc in modum commemorat: „Corpus Regis funebri capsa clausum — — — pullati proceres præcedebant. Ste-

phanus ipſe (*Báthori*) magna comitante pompa ſequebatur. — — — *Inſignia* Regis argentea auro inducto cœlata; paternum ad dextram, maternum ad ſiniſtram ferebatur. Ubi in Baſilica urbis (*Albæ Juliæ*) majore ad tumbam perventum eſſet, — — peracto panegyrico, corpus in monumento, Matri proximo, eſt reconditum; ſimulque clypeus, haſta, thorax, regiaque ornamenta omnia in ſepulcrum ſunt ingeſta, quo ſignificabatur, omnem ejus ſtirpis proſapiam hoc funere clauſam eſſe, omneque decus ejus corruiſſe; condique ſimul, quæ periiſſent ſimul. Inſignia vero ipſius hæc fuere: paternum fuit *Lupus*, ſemiſſe ſui e ternis collibus emergens, cum qua nota *Taleros* quoque curavit cudi, in quorum una parte hocce inſigne anguſto typo notatum, nec ullis lemniſcis, vel emblematibus exornatum, non totum Numiſmatis ſpatium, ſed meditullium tantum occupans, imprimebatur; in altera vero *Taleri* facie penitus glabra, nec ulla inſcriptione aſperata, ſola calvities, qua indicare voluit Regnum Hungariæ ſibi ereptum, relinquebatur. Maternum item ſtemma a *Bona*, Regina Poloniæ, avia ejus, & illuſtriſſima *Sfortiarum* Ducum Mediolanenſium familia, erat ſerpens, tortuoſa ſpecie formatus, infantem paſſis manibus prehenſum, faucibus mordicus tenens, devoraturo ſimilis.“

Omnia vero inſignia, non gentilitia tantum, verum etiam Hungariæ, ac Dalmatiæ, quæ in Monetis ejusdem *Johannis Sigimundi* occurrunt, Poeta quidam ætatis illius in libello, cui titulus eſt: *Refutatio Scripti Petri Melii. Albæ Juliæ* 1567. ſub initium, ſequentibus cecinit verſibus:

„ Cernis, uti ſuaui labuntur quatuor amnes
Murmure, Pannonici nobile ſtemma ſoli.
Primusque Iſter adeſt, rapidusque Tibiſcus, at illos
Dravus cum Savo fratre ſequuntur aquis.
Flumina bruta ſuum lætantur adeſſe patronum,
Paſſa ſatis tergo flebile Martis opus.

Clara

Clara Polonorum quicquid complectitur ales,
Hujus ad angustam ferre laborat opem.
Fallor, an Italici florebunt rura Ducatus,
Dum Mediolanas victor habebit opes.
Conscia signa fidem faciunt, crux, ales, & anguis,
Monocerosque ferox, Dalmaticusque Leo.
Desinite, o Proceres! Studia in contraria scindi,
Ne vindex laceret viscera vestra Lupus. "

Fallitur itaque *Burghardus in Supplem. Mellenii.* p. 318. dum *aquilam*, in *Johannis Sigismundi* aureis monetis conspicuam, *Silesiticam* esse arbitratur, non *Polonicam*.

Juverit hoc loco meminisse etiam nonnullarum rerum, quas idem Princeps testamento aliis Principibus, atque ipsi etiam Transilvaniæ Principatui legaverat, quoniam inter has commemoratur pretiosa quædam crux, cujus effigiem postea Princeps Sigismundus Báthori in aliquot suis Numis uncialibus exprimi fecit. „Cæsari Maximiliano, teste supra laudato Wolfgango *Bethlen*, equos, ac certum antiquorum ex auro, & argento Numismatum numerum; Regi vero Poloniæ Sigismundo Augusto, avunculo suo, præter tentoria phrygio opere elaborata, & castrensem apparatum, argenti vivi quadraginta millia pondo peculiaribus codicillis legavit. Quod reliquum gazæ erat, eidem cum tribus Sororibus illius, Sigismundi videlicet primi, Poloniæ Regis filiabus (quas præter matrem suam Isabellam, & Sigismundum Augustum ex Bona Sfortia genitum, priore matrimonio ex Barbara Zapolyiana, patris sui Joannis Sorore germana susceperat) æquis partibus dari jubebat. Selymo Imperatori Turcarum aureas phaleras gemmis ornatas. In rationem denique Transilvaniæ assignavit *Crucem* illam auream, quam, dum Solymannum salutasset, de collo gestabat. Eam e Sigismundi Cæsaris, & Regis Hungariæ gaza ad Regem Mathiam devolutam Joannes Corvinus,

nus, Mathiæ filius, Dominico Albenſis Baſilicæ Antiſtiti, qui ſacra divi Mathiæ Regis manibus peregerat, donavit; inde in poteſtatem Regum Hungariæ, qui per ſeriem ſuccedebant, redacta, ſucceſſu temporis ad Ludovicum Grittium, Theſaurarium *Johannis I.* Regis Hungariæ, illo autem ad civitatem Megyes trucidato, iterum ad Johannem Regem, & poſtmodum ad filium ejus nunc eam legantem, uti hæredem, devenerat. Quæ quidem *Crux* poſt mortem illius Cibinii ad manus Senatus urbis depoſita, eousque ibidem conſervabatur, donec tandem Sigismundo Báthoreo Principi Tranſilvaniæ Ordines Regni eam contulerint. "

§. IV.

STEPHANI BÁTHORY de Somlyo, Vajvodæ Tranſilv. ab Anno 1571. *ad* 1576. *poſtea Regis Poloniæ usque* 1586.

1. STEPHANVS BATHORI DE SOMLYO. Caput ejusdem. ℞ VAIVODA TRANSILV. ET SICVLOR. COMES. Inſigne Domus Báthoreanæ tres dentes intra circulum, quem draco in gyrum actus, caudamque mordens format. *Aureus, a Samuele Kölesero deſcriptus in Auraria Rom. Dac.* p. 146.

Rarus ob effigiem Capitis. Hoc inſigne primus adoptaſſe perhibetur *Vidus de Báthor*, quod immanem draconem in paludibus Etsedianis diu latitantem occidiſſet. Vid. *Köleserum l. cit.* Verum Joan. *Seivert* in Not. ad hunc Numum loc. cit. „ An inſignia domus Báthoreanæ tres dentes draconis, vel lupi ſint, adhuc hiſtorici certant. Poſtremum, inquit, magis mihi arridet, quod & proverbium *Gabrielis Báthori*, Principis Tranſilvaniæ, *ſi Tranſilvania peritura, potius a dentibus lupinis dilaceranda eſſet*, haud obſcure prodit.

2. MON. TRANS. S. B. D. S. 1572. (*Moneta Tranſilvanica Stephani Báthori de Somlyo*) S. Ladislaus ſtans coronatus, loricatus, d. bipennem, s. globum crucigerum. PA-

PATRONA VNGARIE. Icon Mariana ſolitis cum attributis, infra quam duo enſes Cibinienſium. *Aur. ſimpl. Reg. Univer. Peſtin.*

3. Alii ſimiles præcedenti, ſed annorum 1573. & ſeqq. usque 1576. *Aurei apud Schmeizel, & in Muſeo Com. Feſtetics.*

Hæc eſt communis epigraphe, typusque obvius aureorum ſimplicium, quos *Stephanus Báthori* antea, quam Rex Poloniæ crearetur, Cibinii in Tranſilvania cudi fecit, nullo alio titulo in iis uſus, nec inſignibus familiæ ſuæ additis, contentus ſolis Sanctorum Hungariæ tutelarium imaginibus conſuetis, credo modeſtiæ, pacisque cauſa, atque in gratiam Maximiliani II. Hungariæ Regis, cujus ſeſe fiduciarium Vajvodam Tranſilvaniæ, ac Locumtenentem in partibus Regni Hungariæ profitebatur, donec ad Poloniæ thronum evocaretur.

4. STEPHANVS D. G. REX PO. PRV. Icon Mariana, infra quam parmula gentis Bathoreorum.

S. LADISLAVS REX. 1586. Conſueta Sancti Ladislai effigies, & ſiglæ: N. B. *Nagybányam* indicantes. *Aur. ſimpl. R. Univ. Peſtin.* Vid. Tab. XX. N. 389. *T.* XX. *N.* 389.

5. STEPHAN. D. G. REX. POLON. MAG. DVX. L. Protome capite coronato, pectore, & brachiis loricatis, d. ſceptrum.

RVSS. PRVS. MAS. SAM. LIVO. PRIN. TRAN. 1586. Scutum coronatum, quadripartitum, in quo Aquila Polonica, & Eques Lithvanicus alternant. In corde Scuti parmula Bathoreana tribus dentibus inſignita. Siglæ: N. B. *Argenteus Talerus e Muſeo Exc. Com. Joan. Nep. ESZTERHÁZY.*

Nagybányam, vetuſtiore nomine *Rivulum Dominarum*, ubi hæc Numismata procuſa fuere, *Stephanus Báthori*, jam Rex Poloniæ pro Szathmárino, quod ſuæ familiæ patrimonium erat, a Cæſare obtinuit. Qua de re C. Wolfgangus Bethlen Rer. Tranſilv. L. V. hæc

ſcribit:

scribit: „Medio tempore Stephanus Rex volens a Rudolpho Imperatore repetere Szathmarinum, ceu antiquum patrimonium suum, quod sub Joanne Rege per Cæsareanos erat occupatum, expedivit in eum finem ad illum Hieronymum Episcopum Wladislaviensem, ut restitui sibi illud nomine suo postularet. Qui ubi perveniens ad Cæsarem commissa sibi exposuisset, post varias super eo in Senatu Cæsaris consultationes, conclusum est, ut pro Szathmarino detur Stephano Regi civitas *Rivulus Dominarum* dicta. Qua declaratione siquidem Stephanus aquievit, missus est a Cæsare Franciscus Revaius, Cassoviensis ærarii præfectus, qui dictam civitatem Martino Berzevicio, Regis Báthorei ad hoc delegato, de manu traderet: quod etiam e ecutus est. Rex autem Báthoreus obtentum hoc modo Rivulum Dominarum contulit Sigismundo Báthoreo, quod postea devolutum est ad Báthoreos Transilvaniæ Principes.“

Idem vero *Stephanus*, qui antea titulum Vajvodæ gesserat, conscenso throno Polonico, Princeps Transilvaniæ dici maluit, hoc scilicet modo: „Stephanus Báthori Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithvaniæ, Russiæ, Prussiæ, Samogitiæ, Volhiniæ, Podlachiæ, Livoniæ, cet. Dominus, nec non Transilvaniæ Princeps.“ Vel brevius, quemadmodum in Polonicis ejusdem aureis, argenteisque monetis legimus, hac ratione: STEPH. D. G. REX. POL. M. D. L. RV. PRV. PRIN. TR. Et vero Stephanus non otiose Principis Transilvaniæ titulum gessit, fratri licet resignato Vajvodatu. Nam deinceps quoque Transilvania sequebatur illius nutum, ac imperium: nihil ipso inscio, inconsultove in rebus gravioris momenti actum. Ipse Magistratibus Transilvaniæ instructiones e Polonia dabat, ipse diplomata complura, Transilvaniam concernentia, subscriptione sui nominis, & sigillo secretiore, quo ut Princeps Transilvaniæ utebatur, confirmabat, ad suum usque obitum, qui in annum 1586. quem aureus modo descriptus præsefert, inciderat.

Origi-

Originem, & genealogiam Báthoreorum, in duos ramos de *Etsed* & *Somlyó* diviſorum Vid. apud Car. *Wagner* in Collectan. genealog. hiſtor. Decade I. p. 22. ſeqq.

§. V.

CHRISTOPHORI BÁTHORI ab Anno 1576. *ad* 1581.

1. CHR. BATH. DE. SOM. VAIVODA. TRANSILVA. ET SIC. COMES. Scutum gentilitium, a duobus Angelis ſuſtentatum, in quo tres dentes.

In averſa parte perigraphe: ANNO. DOMINI. MILLESIMO. QVINGENTESIMO. SEPTVAG. SEPTIMO. & in medio hæc inſcriptio: VIRTVS. VNITA. VALET. *Aureus decuplus Com. Feſtetics.* Vid. Tab. XX. N. 390. *T.* XX. *N.* 390.

Extant etiam quintupli, ac duplices eodem anno ſignati teſte Seivert l. cit. p. 148. item alii de anno 1583. quos a Stephano Rege Poloniæ in memoriam fratris Chriſtophori reſtitutos arbitratur Auctor nunc laudatus. p. 149.

2. MON. TRANSIL. C. B. D. S. 1580. (*Moneta Tranſilvaniæ. Chriſtophorus Báthori de Somlyó*) Effigies S. Ladislai ſolitis cum attributis, intra pedes ſtellula.

PATRONA VNGARIE. Icon Mariana more ſolito: infra quam duo enſes Cibinienſes. *Aur. ſimpl. R. Univ. Peſtin.*

3. C. B. D. S. 1580. (*Chriſtophorus Báthori de Somlyo*) Scutum gentilitium, in quo ſunt tres dentes.

Pars altera vacua, & glabra. *Arg. uncial. ibidem.*

Chriſtophorum Báthori obiiſſe anno 1581. die 27. Maji teſtatur ſequens Epitaphium marmori inſculptum.

„D. O. M. CHRISTOPHORVS BATHOREVS DE SOMLYO, Stephani filius, alteri Stephano fratri, in Regem Poloniæ

creato,

creato, in Principatu Tranſilvaniæ ſuccedens, magna animi moderatione Provinciæ præfuit, pietati ſtuduit, pacem coluit, felices fratris ſui contra Moſchos conatus opibus juvit, amans Patriæ, bonarum parens literarum, manſuetus, patiens, juſtus, atque munificus fuit. Cumque continua articularium morborum moleſtia premeretur, ob amiſſam etiam paucis ante menſibus cariſſimam Conjugem, & tenellam natam, gravi animi angore occupatus, poſtquam e Comitiis Colosvarienſibus, ubi Sigismundum filium unicum, optimæ ſpei puerum, nonum agentem ætatis annum, mirifico omnium Ordinum conſenſu ſucceſſorem nominavit, Albam Juliam æger rediviſſet, paucis poſt diebus, invaleſcentibus cum lethali febre doloribus, animam Deo, perpetuis, quamdiu hiſcere potuit, precibus pie commendans, reddidit. Vixit annos LI. Provinciæ præfuit annis V. menſibus II. diebus XXIII. Obiit Albæ Juliæ MDLXXXI. 27. die menſis Maji.

Solennes fratris exequias primum anno 1583. Stephanus Rex adornavit, quibus per Legatum ſuum Epiſcopum Cameracenſem interfuit. Vid. Wolfg. Bethlen Rer. Tranſilv. Tom. II. p. 478. ſeq.

§. VI.

ELISABETHÆ BOCSKAI nuptæ Chriſtophoro Báthori.

ELISAB. BOCSKAI. CONSORS. ILL. PRINC. TRANSILVANIE. Scutum familiæ Bocskaianæ, in quo eſt Leo anteriore pede dextero ſagittam tenens.

Partis averſæ perigraphe: ANNO DOMINI. MIL. QVING. SEPTVAGE. SEPTIMO. In medio autem Numismatis: VICTRIX CASTA FIDES. *Aur. decupl. apud. Com. Feſtetics, & quintuplus in R. Univ. Peſtin.* Vide Tab. XX. N. 391.

T. XX. N. 391.

Ex

Ex matrimonio Christophori Báthori cum Elisabetha, nata Botskai de Kis Maria, complures progenitæ fuerunt proles, sed justam ætatem binæ dumtaxat attigerunt, nempe *Griseldis*, quæ Joanni Zamoscio, Magno Regni Poloniæ Cancellario nupsit, & *Sigismundus*, qui patri in Principatu successit. Symbolum Principis Christophori fuit: *Virtus unita valet.* ejusdem vero Conjugis: *Victrix casta fides.* Annales Transilvaniæ ad annum 1577. quo hæc Numismata sunt signata, referunt prosperam expeditionem Christophori, qui jubente Turcorum Imperatore Joannem Moldavum per Legatos suos, Balthasarem, & Andream fratres Báthoreos, vicit, Petrumque in Moldaviam reduxit.

§. VII.

SIGISMVNDI BÁTHORI ab Anno 1581. *ad* 1601.

1. SIGIS. BATHORI DE. S. VAIVO. TRAN. ET. S. C. (*de Somlyó Vaivoda Transilv. & Siculorum Comes*) Scutum, continens insignia Domus Báthoreæ a duobus geniis sustentatum.

In aversa: ANNO MILLESI. QVINGEN. OCT. TERTIO. In area Numismatis: VIRTVS VNITA VALET. *Aur. decupl. a Seivert l. cit. p.* 151. *descriptus.*

Anno hujus Numismatis 1583. Sigismundus Christophoro patri suo justa persolvit, & hæc forte, ac alia Numismata, etiam defuncti patris nomine signata, inter illustriores hospites distribuit.

2. MONETA TRANSIL. SIGISM. B. D. S. Effigies S. Ladislai stantis cum solitis attributis. Siglæ: K. B.

PATRONA VNGARIE. 1585. Consueta icon Mariana, infra quam duo malleoli in decussim positi. *Aur. simpl. apud Schmeizel p.* 29.

In hoc aureo K. B. non *Kremnitz Bányam* Hungariæ, nam hæc extra ditiones erat Sigismundi Principis, verum *Körös-Bányam* Transilvaniæ, notat. Quamquam ob malleolos, *Nagybányensium* insigne, dubitare licet, an non K. B. pro N. B. mendum sit Editoris. Alioqui *Nagybánya*, ut supra dictum est, erat hoc tempore juris Báthoriani, & in aliis Sigismundi aureis, quos infra recensebimus, diserte N. B. legitur. Anno autem 1585. quem præsens aureus præsefert, die 9. Maji habitus est Ordinum Transilvaniæ Conventus in civitate Alba Gyulæ, sive, ut communius nunc dicitur, Alba Julia, & in locum Alexandri Kendi, Ludovicus Sombori, & Wolfgangi Kovasotzi, qui inter se diffidebant, datus fuit Principi Sigismundo Tutor Joannes Getzi, idemque pro pupillo Gubernator Transilvaniæ.

3. Alius aureus præcedenti similis, sed *Cibinii* signatus anno 1586. Apud Schmeizel p. 30. & Seivert l. supr. cit. p. 152.

Ad hunc annum refert C. Wolfg. *Bethlen* T. II. Rer. Transilv. p. 473. Stephanum Regem Poloniæ, patruum Sigismundi Báthori e vivis excessisse, qui ante obitum suum, considerata sui nepotis imagine, ingemuisse dicitur, quod ex vultus lineamentis nihil de illo boni ominari posset.

4. MONETA. TRA. IL. SIGISM. B. D. S. (*Moneta Transilvanica Illustris Sigismundi Báthori de Somlyó*) Effigies Sancti Ladislai cultu solito.

PATRONA VNGARIE. Icon Mariana, infra quam duo enses Cibiniensium. *Aur. simpl. a Seivert cit. l. descriptus.*

5. Alius similis, sed anni 1588. ibidem.

Anno nunc memorato Princeps Sigismundus Transilvaniam per sese regere cœpit, recitata prævie juramenti formula in Comitiis Megyesiensibus.

6. SIGISMVND. BATHORI. Effigies Deiparæ cum Jesulo, sub pedibus luna; infra hanc parmula gentilitia Bathoreorum.

PRIN-

PRINCEPS TRANSILV. 1591. Consueta effigies S. Ladislai. *Aur. simpl. Com. Festetics.* Vid Tab. XX. N. 392. *Tab. XX. Nro. 392.*

Jam igitur anno 1591. occurrit Sigismundus in Numis cum titulo *Principis Transilvaniæ*; tametsi Wolfg. *Bethlen* T. III. p. 552. affirmet, ipsum usque annum 1595. Vajvodæ tantum titulo fuisse usum.

7. Similis præcedenti, sed anni 1592. *Aur. ibidem*, & *R. Univ. Pest.*

8. SIGISMVNDVS BATHORI. Protome ejusdem, capite nudo, veste hungarica, d. sceptrum, s. attingit gladium, quo præcingitur.

PRINCEPS TRANSILVANIÆ. 1592. Scutum gentilitium Bathoreanæ familiæ, coronatum, & a duobus geniis sustentatum. *Argent. uncial. Com. Festetics.*

9. MONE. TRAN. ILL. SIGISM. B. D. S. 1593. Effigies S. Ladislai more solito.

PATRONA VNGARIE. Icon Mariana, infra quam parmula gentilitia Domus Báthoreæ. *Aur. simpl. apud Seivert p.* 153.

10. Similis præcedenti, sed de anno 1594, & infra iconem Marianam est castellum Claudiopolitanum. *Aur. simpl. ibidem.*

11. SIGISMVNDVS BATHORI. Protome ejusdem, capite nudo, d. tenet sceptrum, sinistra manu admota gladio, quo præcingitur. In area ante vultum Principis crucula.

PRINCEPS TRANSILVANIAE. 1593. Scutum exhibens tres dentes, Domus Báthoreæ insignia, coronatum, & a duobus geniis sustentatum. *Arg. uncial. Com. Festetics.*

12. Alius Talerus arg. præcedenti similis, sed in quo est annus 1594. & crucula, ante vultum Principis expressa, quatuor gemmis ornatur. *Ibidem.*

Quæ in his Numis crucula ante vultum Principis occurrit; hæc verisimiliter pretiosam illam crucem repræsentat, quam *Joannes II. Zapolya* testamento legavit Provinciæ Transilvaniæ, Status autem & Ordines Principi *Sigismundo Báthori* consignarunt ad expungenda, quæ apud illum contraxerunt, 40. millium aureorum debita.

His annis Princeps Sigismundus cœpit inconstantiæ suæ specimina edere. A Turcica societate recedens cum sibi adversari multos Procerum intellexisset, parabat iter Italicum, indictisque Tordæ Comitiis, Balthasarem patruelem suum Provinciæ Gubernatorem nominavit: inde Kővárum cum pretiosa suppellectili, fugientis instar, sese contulit, sed redux Claudiopolim haud multo post desævire cœpit in Proceres, ipso Balthasare Báthoreo capitis damnato.

13. SIGISMVND. BATHORI. Deipara sedens d. filiolum gerit, s. rosam, sub pedibus luna bicornis, & infra hanc parmula Báthoreana.

S. LADISLAVS REX. 1595. Consueta imago S. Ladislai, & siglæ: N. B. *Aur. simpl. apud Köhler T. II. Münzbelustigung. N.* 2247.

Anno hujus Numismatis 1595. Sigismundus per Stephanum Bocskai, sociosque legationis, fœdus cum Imp. Rudolpho inivit, cujus præcipuum caput erat, ut sibi titulus *Illustris Principis* cum torque aurei velleris, omnisque Transilvania cum parte vicina Hungariæ, item Moldavia, & Valachia Transalpina, cujus Wajvodæ Turcicum jugum excutientes clientelam Sigismundi expetebant, pleno jure ad dies vitæ concederetur, post suam vero mortem, si hærede careret, provinciæ istæ Regno Hungariæ adnecterentur. Tum ut Conjux eidem detur ex Augusta Domo Austriaca, utque Cæsar eundem contra hostes tueatur. Hoc fœdere inito, duxit Mariam Christiernam, Caroli Archiducis in Styria dominantis filiam, & bellum in Turcas feliciter gessit.

14. Argen-

14. Argenteus uncialis, uti N. 8. ſed ann. 1595. *R. Univ. Peſtin.*

15. Alius itidem uncialis argenteus, uti N. 11. ſed annum præ ſe ferens 1596. *Ibidem.* Hoc anno Sigismundus Viennæ commoratus egit per miniſtros cum Cæſare, tunc Pragæ reſidente, de bello contra Turcas gerendo, ſimulque conſilium ſuum de reſignando Principatu, ac dimittenda Conjuge inſinuavit.

16. SIGISMVNDVS D. G. TRANSILVANI. Protome Principis, ante quem crucula.

MOLDAVI. WALA. TRAN. S. R. I. PRIN. 1597. Scutum gentilitium corona aperta tectum, fulcro e duabus trabibus compoſito adpenſum. Siglæ: N. B. *Arg. uncial. Com. Feſtetics.*

Sigismundus, qui in hoc Numismate inſcribitur *Dei gratia Tranſilvaniæ, Moldaviæ, Walachiæ Tranſalpinæ, Sacri Romani Imperii Princeps*, eodem, quo novos hos titulos ſuis Numis inſculpi fecit, anno 1597. Pragam venit ſplendido cum comitatu, Cæſarique Rudolpho, licet invito, Principatum Tranſilvaniæ reſignavit pro Ducatu Opoliæ, & annuis 50. millibus aureorum; relictaque Kövarini apud Tranſilvanos Chriſtierna Conjuge ſua, in Sileſiam cum paucis ſuorum commigravit. Verum, pro ea, qua erat mobilitate animi, haud multo poſt pœnitudine tactus, in Tranſilvaniam reverſus, Principatum opera Stephani Bocskai reſumpſit.

17. SIGIS. D. G. TRA. MOL. WA. T. S. R. I. P. Aquila biceps coronata, gerens pectore ſcutum aureo vellere cinctum, in quo ſunt inſignia Bathoreanæ familiæ.

S. LADISLAVS REX. 1598. Effigies S. Ladislai ſolitis cum attributis, & ſiglæ: N. B. *Aur. ſimpl. Muſei Cæſ. Vindob.*

Anno ſequente, ſeu 1599. idem Sigismundus Principatum Tranſilvaniæ ceſſit Andreæ Bathori Cardinali, & Epiſcopo Varmienſi, remiſſa-

remissaque in Styriam Christierna Conjuge sua, ipse in Poloniam, itinere per Moldaviam facto, se subduxit.

18. SIGIS. TRANS. SAC. RO. IMP. PRINC. Aquila biceps coronata, & aureo vellere ornata, pectore gerens tres dentes gentilitios Báthoreorum.

MONETA CIVITATIS CORONENSIS. Insigne hujus civitatis, nempe radix arboris coronata, infra quam hæc legitur epigraphe: DEO VINDICE PATRIAE. 1601. *Argenteum Numisma quadrangulare. Com. Festetics.*

Hanc Monetam *Coronenses* pro Sigismundo, tertium jam reduce ad resumendum Transilvaniæ Principatum, procuderunt, eidemque, cum per Moldaviam reversus apud illos cum exercitu substitisset, ad persolvenda militum stipendia obtulerunt. Inscriptio: *Deo vindice Patriæ*, fuit tempori accommodata. Vindicanda enim erat cædes Andreæ Cardinalis, per Michaelem Valachiæ Transalpinæ Vajvodam patrata. At vero Rudolphus Cæsar Sigismundo non minus, quam ceteris fœdifragis Transilvanis offensus, exercitum, duce Georgio Basta provinciæ infudit, qui copiis Michaelis Wajvodæ auctus Sigismundum cruento prœlio devicit, adegitque ad tradendum Cæsari Principatum. Anno igitur 1602. patriæ suæ in perpetuum valedicens, Pragam concessit habitatum. Defuncto positum fuit longo post ejus mortem tempore sequens epitaphium:

„ Georgius Nemes Transilvanus Principi optimo, in utraque fortuna a cubiculis, cum lacrymis posuit 12. Martii 1629. D. O. MA. obiit 1613. Lector disce, quibus fortunæ ictibus pateat humana Majestas. *Sigismundum* Transilvaniæ Principem Boëma tegit terra: huc a solio arreptum immitis fortuna dejecit. Caruisset sepulcro, qui sederat in solio, nisi famuli fides, etiam in tempestate inconcussa stetisset *a*).

§. VIII.

a) Ap. Wagner in Collect. geneal. Dec. I. p. 40.

§. VIII.

ANDREÆ BATHORI Cardinalis anno 1599. per 7. menses Principis Transilvaniæ.

Unicus *Köleserus* meminit Aureorum hujus Principis in hæc verba: *a*) ,, Cesserat Sigismundus Principatum Andreæ Báthori patrueli suo, cujus *Aurei* effigiem habitu Cardinalitio, & insigne Báthoreorum cum pedo pastorali, & mitra dignitatis sacræ, cum circulari inscriptione: ANDREAS MISER. DIV. CARD. TRANSIL. MOL. ET. VAL. PRINCEPS. EPISC. VARMIENS. SIC. COM. exhibent; sed, quia insperatum Principatum ultra septem menses non tenuit, paucissimi cudi potuerunt, ideo copia talium vix amplius superest. "

At Joann. *Seivert* notat, dubium esse, an unquam idgenus Numismata nomine Andreæ fuerint signata, opinaturque *Köleserum* epigraphen nunc laudatam e sigillis descripsisse, & bina se vidisse affirmat, unum literis die 3. Maji 1599. exaratis adfixum, formæ ovalis cum hac inscriptione: ANDREAS S. R. E. CARDINALIS BATHOREVS. In medio sigilli erat scutum pileo Cardinalitio tectum, in quo ejus insignia conspiciebantur, verum sic jam detrita, ut sola fere parmula gentilitia in medio scuti posita discerni potuerit, & in area quarta quidpiam lupo Zapolyiano simile. Alterum sigillum rotundum, majoris formæ, ex Documento die 5. Octobr. 1599. scripto ita depingit: Perigraphe: ANDREAS. DI. MIS. S. R. E. CAR. BAT. TR. MOL. VAL. T. PR. PAR. RE. HVNG. DO. SI. CO. EP. VAR. PER. ADMI. id est: *Andreas divina miseratione Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Báthoreus, Transilvaniæ, Moldaviæ, Valachiæ Transalpinæ Princeps, Partium Regni Hungariæ Domi-*

---

a) Aurar. Rom. Dac. p. 151.

Dominus, Siculorum Comes, Episcopatus Varmiensis Perpetuus Administrator. Scutum coronatum, plures in areas divisum, sed extritum adeo, ut sola Moldaviæ, & Valachiæ insignia in superiore scuti regione distincte apparuerint.

Hic Princeps Cardinalis breve regimen infelici exitu terminavit, occisus a Michaele Valachiæ Transalpinæ Vajvoda, cujus Numisma mox descripturi sumus.

CAPUT SECUNDUM.

Numi Vaivodarum, & Principum Transilvaniæ ab anno 1600. ad 1630.

§. IX.

MICHAELIS, Valachiæ Transalp. Vaivodæ, & per Transilvaniam Locumtenentis Anno 1600.

MICHAEL VAL. TRANS. VAIW. S. C. REAE. M. CONS. PER. Protome Michaelis Vajvodæ, facie adversa, barba promissa, capite mitra Zobolina cristata, gemmata, tecto.

TRANSIL. LOCVMT. CIS TRAN. PAR. EI. SVP. EXER. GE. CAP. In area Numi: VIGILANTIA. VIRTVTE. ET ARMIS VICTORIAM NACTVS. A. D. 1600. *Aureus magni moduli. Musei Cæs. Vindob.*

Editum reperies in Supplemento Aureorum Musei Cæsarei titulo: *Supplement des Monnoies en Or du Cabinet Imp.* — p. 68. & apud Joachim *Neu eröfnetes Münz Cabinet* T. 2. Tab. 2. Compendia vocum sic in Numismate legenda sunt: Michael Valachiæ Transilvaniæ Vajvoda, Sacræ Cæsareæ Regiæ Majestatis Consiliarius

per

per Transilvaniam Locumtenens, Cis Transalpinarum partium ejusdem Supremus Exercitus Generalis Capitaneus. Anno Domini 1600. Vigilantia, virtute, & armis victoriam nactus.

Victoriam hanc Michaël de Principe Cardinale Andrea Báthoreo, quo cæso primum ille quidem jactitabat, se Rudolpho Cæsari Transilvaniam recuperasse, sed cum deinde hunc Principatum sibi retinere meditatus multa crudelitatis, & avaritiæ facinora perpetrasset, per Georgium Bastam a Cæsare missum ejectus erat ex Transilvania, & anno sequente per Vallonum præfectos in tentorio suo obtruncatus periit.

§. X.

MOYSIS Siculi Transilvaniæ Tyranni 1603.

MOISES ZEKEL DE SEMENFALVA VAIVODA TRANSILVANIAE. ET. SI. COMES. Scutum gentilitium, in quo bini leones erecti pedibus anterioribus ensem, per coronam apertam, transeuntem, simul tenent: prope cuspidem ensis duæ lunæ, ac totidem stellæ.

ANNO DOMINI MILLESIMO SEXCENTESIMO TERTIO CLAVDIOPOLI. In area Numismatis: DEVS PROTECTOR MEVS. *Aureus rarissimus, adpendens 6. simplices. Musei Cæs. Vindob.* Tab. XX.
Vid. Tab. XX. N. 393. Nro. 393.

Describitur etiam a *Seivert* in Köleserii Auraria p. 156.

Moyses Siculus antea Sigismundi Principis partes contra Bastam, exercitus Cæsarei Ducem, sequebatur. Sed postea, quam Sigismundum e provincia decessisse intellexerat, res novas moliri cœpit. Profligatus abiit Temesvárinum, unde Turcico munitus diplomate redux, collecta factiosorum manu Vajvodam Transilvaniæ sese proclamari fecit, & adjutus Turcicis copiis principio Caranse-

bessum, dein Albam Juliam, multaque alia loca, & ipsam Claudiopolim, ubi præsens Numisma procusum est, occupavit. Sed progressus ad Coronam Civitatem, subito a Radulone, Valachiæ Transalpinæ Vajvoda, Cæsaris confœderato fuit circumventus, & occisus die 23. Julii 1603.

§. XI.

STEPHANI BOTSKAY de Kis-Maria, Principis Transilv. ab anno 1605. ad 29. Dec. anni 1606.

1. STE: BOCHKAY. D. G. HVNG. TRAN: Q. PRIN: ET SICV: COMES. Protome Principis pileati, loricati.

DVLCE EST PRO PATRIA MORI. 1605. Brachium loricatum manu tenens ensem, cui scheda circumvoluta hanc exhibet epigraphen: PRO DEO ET PATRIA. *Aureus decupl. Com. Feste-*
T. XX. N. 394. *tics.* Vid. Tab. XX. N. 394.

Stephanus Bocskay de Kis-Maria, Principis Sigismundi Báthori avunculus, variis perfunctus Magistratibus, mox ubi *Mosis Siculi* necem inaudierat, ad Principatum Transilvaniæ aspiravit. Conciliatis igitur sibi Turcis per Gabrielem Bethlenium, cum videret sibi armis esse agendum contra Cæsareos, sparsis libellis querulabatur, violatas gentis universæ immunitates, religiones protestantium oppressas, insolens, ac intolerabile Georgii Basta, aliorumque Cæsarei exercitus Præfectorum imperium; eaque ratione signum seditionis sustulit. Primi ad ejus castra confluxere Haidones, genus pedestris in Hungaria militiæ, suis cum Ducibus, Blasio Lippai, & Blasio Németi, quibus dein sese Gabriel Bethlen cum exulibus Transilvanis conjunxit. Anno igitur 1605. post aliquot prosperas cum Cæsareanis dimicationes, profectus Claudiopolim Principatum Transilvaniæ in præsentia Legati Ottomanici die 14. Septembris solen-

niter

niter invasit, postea opibus, copiisque Turcicis adjutus Hungariam subjugare perrexit, plaudente Mehemete, supremo Turcarum Vezirio, qui Botskaium Budam evocatum Regis titulo honoravit. Symbolum, quo Botskaius utebatur, in præsente Numo expressum: *dulce est pro Patria mori*, & alterum illud: *pro Deo, & patria*: erat veluti fomes, quo bellum civile sub specioso Religionis, & libertatis obtentu accensum, inflammas erupit.

2. STEPH. D. G. HVN. TRAN. P. ET SIC. CO. Effigies S. Ladislai solitis cum attributis, & S. L. id est: *Sanctus Ladislaus*.

PATRONA HVNGARIÆ. 1605. Consueta icon Mariana, infra quam parmula cum leone familiæ Botskaianæ. *Aur. simpl. C. Festetics.*

3. STEPHANVS BOCH. D. G. PRINCEPS HV. TR. ET S. C. Protome Principis capite nudo, pectore loricato, dextra tenentis sceptrum. Infra est parmula coronata continens duos enses Civitatis Cibiniensis.

GROS. ARGENT. SE. REG. HV. ET TR. 1605. Scutum coronatum quadripartitum cum nota numerali VI. infra coronam posita. In area 1*ma* Crux duplex super tricolle: in 2*da* Aquila monocephala dimidium expressa, supra quam sol, & luna: in 3*tia* quatuor tæniæ hungaricæ: in 4*ta* septem castella: in medio autem scuti circulus a dracone in gyrum acto formatus, intra quem cernitur insigne Bocskaianum, Leo sedens, ac dextro pede anteriore elevato sagittam tenens. *Aureus sextuplus Com. Festetics. Item alius huic similis, sed anni* 1606. *ex Museo L. B. a Bruckenthal, apud Seivert l. cit. p.* 164.

Aureus hic mendax est, quoniam per epigraphen partis aversæ dicit se esse *Grossum argenteum sextuplicem Regni Hungariæ, & Transilvaniæ.* Nempe signatus erat typario pro grossis argenteis parato: spectat igitur ad Numos culpa monetariorum vitiosos. Ce-

 terum

iterum hic Numus est omnium forte primus, in quo simul omnia trium nationum Transilvaniæ insignia occurrunt; Aquila videlicet Comitatensium Hungarorum, sol, & luna Siculorum, septemque castella Saxonum Transilvanorum. In sigillis tamen tria hæc insignia jam sub Sigismundo Báthori se vidisse scribit Seivert l. cit. p. 167.

4. STEPHANVS BOCHKAY. DE KIS MARIA. PRIN. TRANSYLVA. 1605. Scutum a dracone caudam suam mordente circumdatum, in quo insigne gentilitium, Leo tribus corbibus, tamquam tricolli insidens, dextro pede sagittam tenet.

PARTIVM REGNI HVNG. DOMINVS ET SICVLOR. COMES. Imago Deiparæ coronatæ sedentis cum Jesulo, intra lunam bicornem. *Arg. Talerus Exc. Comitis Joann. Nep. Eszterházy.*

Numisma elegans, & rarum.

5. STEPHA. BOCHKAY. PR. TRANSYL. Consueta icon Mariana.

S. LADISLAVS REX. 1605. Imago solita Sancti Ladislai, & siglæ; N. B. *Aur. simpl. apud Seivert. p.* 162.

6. STEPH. D. G. HVN. TRAN. P. ET SIC. COM. Protome Principis loricati, pileati cultu hungarico.

SOLI DEO GLORIA. CIVITAS CIB. ANNO 1606. Duo enses in decussim positi sub corona aperta. Ad latus dextrum lit. H. (*Hermanstadt*) ad sinistrum est monogramma, sive duæ literæ AR. notantes *Albertum Huet* Regium tunc judicem Cibinii. Adest quoque inter enses triangulum foliatum; item parte inferiore cernitur Monoceros dependentibus a collo lemniscis. *Aur. simpl. L. B. a Bruckenthal descriptus a Seivert. p.* 163.

Similes aureos etiam pro Imp. Rudolpho anno 1605. a Cibiniensibus in Transilvania signatos retulimus Diss. præced. ubi partis aversæ interpretatio videatur.

7. STE-

7. STEPHANVS D. G. HVNGARIÆ TRANSILVANIÆQVE. Protome Principis loricati, gladio præcincti, capite nudo, dextra ſceptrum tenentis.

PRINCEPS ET SICVLORVM COMES 1606. Scutum coronatum, & quaſi ex draconum exuviis formatum, complectens inſignia Hungarico-Tranſilvanica, & in medio parmulam a dracone convoluto effictam, in qua eſt Leo gentilitius. *Arg. uncialis Com. Feſtetics.*

8. Alius, ſed ſemuncialis argenteus, in quo ſola ſcuti forma diverſa eſt, reliqua vero omnia, ut in præcedente. *Ibidem.*

9. STE. BOCH. D. G. HVN. TRAN. PRI. Protome Principis pileati, & ſiglæ: C. V. id eſt: *Coloswár*, ſeu Claudiopolis.

ET SICVLORVM COMES. 1606. Leo ſagittam tenens in circulo per Draconem in gyrum actum formato. Infra eſt caſtellum Claudiopolitanum. *Aur. dupl. C. Feſtetics.*

Anno 1606. quo hi Numi fuerunt ſignati, Stephanus Botskay per Steph. Illésházy de pace tractavit cum Mathia Archiduce, cui Imp. Rudolphus plenam in hoc negotio agendi poteſtatem contulerat. Notiſſima eſt hæc nomine *Pacificationis Viennenſis.*

10. STEPH. D. G. HVN. TRAN. P. ET. SI. C. Caput nudum Principis.

GROS. ARG. TRIP. REGNI. HVNG. 1606. Tria ſcutula, a dextris Hungaricum, a ſiniſtris Tranſilvanicum, in medio gentilitium cum leone Botskaiano, ſagittam tenente. *Arg. R. Univ. Peſtin.*

Groſſos triplices, ſeu valore trium ſimplicium groſſorum ſingulos, cudi fecit Botskaius imitatione Polonicorum, in quibus eodem plane modo antica pars caput Regis, ejusdemque nomen ac titulos continebat, averſa autem arma heraldica Poloniæ, & Magni Ducatus Lithvaniæ, nec non gentilitium ſcutum familiæ regnan-

tis

tis cum epigraphe: GROS. ARG. TRIP. REG. POL. in aliis: M D. LITH. in quibusdam: CIV. RIGA. vel CIV. GEDAN. si nempe aut *Rigæ*, aut *Gedani* fuerunt signati.

Köleserus in Auraria sua meminit aurei hoc modo inscripti: STEPHANVS BOCHKAI DE KIS MARIA REGNOR. HVNG. ET TRAN. PRINC. 1607. cujus aversa exhibet tres corbes, quibus insidet lupus. Verum notat sæpius laudatus *Seivert*, Köleserum Numismata, quæ describit, fugitivo dumtaxat oculo inspexisse; hanc enim epigraphen, & hunc aversæ typum in nullo Botskaiano Numo a se visum fuisse ait. Annum tamen 1607. erroris non arguit, cum & ipse aliquot hujus Principis Numos posthumos noverit, præcipue grossos argenteos triplices annorum 1607. 1608. immo & 1609.

§. XII.

SIGISMVNDI RÁKOTZI de Felsö - Vadász, ab anno 1607. *ad* 1608.

1. SIGISMVNDVS RAKOCZI. D. G. PR. TR. PAR. RE. HV. D. ET. SIC. CO. Protome Principis loricati, capite nudo, vultu barbato, d. sceptrum tenentis, sinistra admota capulo gladii, quo præcingitur.

SOLI DEO GLORIA. ANNO DO. MDCVII. In medio Numi hæc altera epigraphe: NON EST CVRRENTIS: NEQVE VOLENTIS. SED MISERENTIS DEI. *Aur. & arg. Uncial. Musei Cæs. Vindob.*

Vi Pacificationis Viennensis post mortuum sine liberis Botskaium oportebat Principatum Transilvaniæ cum adnexis ditionibus ad legitimum Hungariæ Regem revolvi. Sed pacta sunt violata. Primus ea infregit ipse Botskai, qui condito testamento Transilvanis commendabat, ut sibi ex potentioribus Hungariæ Proceribus suos

semper

ſemper legerent Principes, ſimulque hac vice iisdem Valentium Homonaium ſuadebat. Dein ipſi quoque Provinciales contra pacta conventa egerunt, euntes in ſuffragia de eligendo novo Principe. Homonaium tamen reſpuerunt, utpote virum religionem catholicam profeſſum, malebantque Sigismundum Rákoczium. Hic igitur, qui vicaria interim poteſtate pro abſente Botskaio res Tranſilvaniæ adminiſtrabat, conſenſu Ordinum Princeps die 9. Febr. 1607. proclamatus, ac Turcico diplomate 9. Febr. confirmatus fuit. Ejus tituli in Numis ſunt: *Dei gratia Princeps Tranſilvaniæ, Partium Regni Hungariæ Dominus, & Siculorum Comes.* Epigraphe partis averſæ: *Non eſt currentis, neque volentis, ſed miſerentis Dei*: ſumpta ex Epiſt. S. Pauli ad Rom. Cap. IX. v. 16. ubi ſic: *Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.* Præſens Numisma fuiſſe apud Cibinienſes procuſum, prodit ſententia: *Soli Deo gloria*: quam in monetis exprimere ſolebant.

2. SIG: RAKO: D: G: PR: TR: PAR: RE: HVN: DO: Protome Principis loricati, capite nudo, d. ſceptrum. In area: C. V. id eſt *Colosvár*, ſeu Claudiopolis.

ET SICVLORVM COMES: M: DC: VII. Aquila coronata monocephala, ſtans expanſis alis dextro pede ſublimem tenet acinacem, lævo inſiſtit baſi, cui inſcriptum eſt: AQVILA. Infra hanc in una ſerie occurrunt ſeptem caſtella; & in imo margine caſtellum Claudiopolitanum. *Aur. ſimpl. ibidem.* Vid. Tab. XX. N. 395. *Tab.* XX. *Nro.* 395.

3. Alii ſimiles de anno 1608. quo *Sigismundus Rákoczi* ſenectutem, morbosque cauſatus, Principatu ſeſe abdicavit, & convaſatis ingentibus theſauris ad ſuas in Hungaria ditiones rediit. Mortuus eodem anno die 5. Dec. in Felsö-Vadáſz, ac tumulatus Szerentsini, relictis filiis, Georgio, Sigismundo, & Paulo. Inſigne Rákoczianum eſt Aquila hujus formæ, quæ in Monetis Rákoczianis occurrit, cui ſubin rota dimidia adjungi ſolet.

§. XIII.

§. XIII.

GABRIELIS BÁTHORI ab anno 1608. ad 1613.

1. GABRIEL BATHORI D. G. PRINCEPS TRANSILVANIAE. Protome Principis loricati, ense præcincti, capite nudo, d. ſceptrum.

PARTIVM REGNI HVNG. DOMINVS ET SICVL. COMES. 1608. Tria ſcuta conjuncta ſub una corona, primum a dextris complectitur ſeptem caſtella, alterum a ſiniſtris aquilam dimidiam, tertium in medio tres dentes, hoc Báthoreanæ domus, illa vero Tranſilvaniæ propria ſunt. Omnia vero circumdantur a dracone in gyrum acto. *Arg. unc. Com. Feſtetics.*

Gabriel Báthori, ut Principatu Tranſilvaniæ potiretur, ab avita religione catholica deſcivit, nihilominus tamen ob avaritiam, & crudelitatem quinto poſt anno exauctoratus, & Varadini a ſuis trucidatus fuit.

2. Epigraphe, & Protome Principis Gabrielis Báthori, ut in præcedente.

PARTIVM REGNI HVNG. DOMINVS ET SIC. COMES. 1609. Scutum coronatum, & a dracone caudam mordente circumdatum, in area ſuperiore exhibet dimidiam aquilam, in cujus pectore eſt inſigne Báthoreanum: in inferiore autem ſeptem caſtella. *Arg. unc. ibidem.*

3. GABRIEL D. G. PRIN. TRAN. SI. C. Effigies S. Ladislai ſolitis cum attributis, & ſiglæ: N. B.

PATRONA HVNGARIÆ. 1609. Conſueta icon Mariana. *Aur. ſimpl. ibidem.*

4. Alius præcedenti ſimilis, ſed anni 1610. *Aureus ſimpl. ibidem.*

5. GABRIEL D. G. PRIN. TRANSILVANI. Deipara velata ſedens cum divino puſione. Siglæ: N. B. *Nagy-Bánya.*

PAR.

PAR. REG. HVN. DOMIN. ET SIC. CO. 1610. Scutum quadripartitum complectens insignia Hung. Bohem. Dalmatiæ. *Aur. simpl. ibid.*

6. GABRIEL D. G. PRIN. TRAN. ET SI. C. 1600. Scutum quadripartitum, in quo sunt insignia Hungariæ, Dalmatiæ, & Bohemiæ, inque medio scuti parmula gentilitia Báthoreorum.

PATRO. HVNG. Icon Mariana more solito. *Quadrans aurei simplicis ibid.*

In duobus his aureis *Gabriel Báthori* insignia Bohemiæ ac Dalmatiæ temere, nulloque in hæc Regna jure usurpat.

7. GAB. BATHORI D. G. TRAN. PRIN. Protome Principis loricati, nudo capite, d. sceptrum tenentis. Siglæ: C. V. *Colosvár.*

PAR. RE. HVN. DO. ET SIC. CO. 1611. Scutum gentilitium coronatum, ac dracone circumdatum. *Aur. simpl. L. B. a Bruckenthal apud Seivert in Költeseri Auraria p.* 168.

8. GAB. D. G. PR. TRA. VAL. TRANSAL. Protome cum sceptro, uti in præcedente, & siglæ C. V.

PAR. REG. HVN. DOM. ET. SIC. CO. 1611. Scutum gentilitium, ut in præcedente, & in imo margine castellum Claudiopolitanum. *Aur. simpl. ibidem.*

In hoc aureo Gábriel Báthori non modo Transilvaniæ, verum etiam Valachiæ Transalpinæ Principem sese appellat, jus nempe in hanc provinciam sibi arrogans post *Radulem* Vajvodam profligatum. Sceptrum, quod Principes Transilvaniæ in suis Numis gerunt, doctissimus Seivert clavam appellat, quia hæc ab Imperatore Turcico novis Transilvaniæ Principibus inter alia munera mitti solebat.

9. GAB. D. G. PRIN. TRANSILVA. Protome Principis loricati, capite nudo.

PAR. RE. HV. DO. ET SIC. CO. 1611. Aquila expansis alis, gerens pectore Scutum Báthoreanum. Siglæ: N. B. *Aureus ibidem.*

Köleserus l. cit. p. 166. „Sub hoc, inquit, Principe cusi majores, & minores aurei, & argentei Numi cum insigni aquilæ, erectæ, expansis alis, ore hiante, insertis pectori tribus dentibus Báthoreanis: post accessere Sol, & luna supra, infra vero aquilam septem Civitates; insignia ab hoc tempore trium Statuum Transilvaniæ."

Sed horum insignium originem paullo antiquiorem esse, certum est vel ex Numis præcedentium Principum, speciatim Stephani Botskai N. 3. E sigillis vero constat, hæc insignia jam anno 1596. sub Sigismundo *Báthori* in usu fuisse. Vid. Not. Seiverti l. cit. p. 167.

10. GABRIEL D. G. PRIN. TRAN. PAR. REG. HVN. D. ET. SIC. COMES. Tria scuta dracone cincta, sub una corona, in uno est aquila, in altero septem castella, in tertio tres dentes, Báthoreorum insigne. Infra: CIBIN.

Aversa penitus vacua. *Arg. Uncial. R. Univ. Pest.*

11. Aliud simile Numisma castrense, sed supra CIBIN. annus 1611. inscriptus. *Ibidem.*

12. Antica, uti Nro. 10. In aversa vero hæc sola epigraphe: PRO ARIS ET FOCIS. reliquum spatium vacuum. *Arg. uncial Musei Cæs. Vindob.*

13. G. B. P. T. (*Gabriel Báthori Princeps Transilv.*) CIBIN. Scutum gentilitium Domus Báthoreanæ, & hæc epigraphe: PRO PATRIA. ARIS. ET. FOCIS 1611.

Pars aversa penitus vacua. *Arg. Uncial. C. Festetics.*

Eodem anno, quo idgenus Numismata Cibinii in Transilvania procusa fuerunt, Cibinium a *Radule* Vajvoda Valacho, & Si-

gismundo

gismundo *Forgács*, Præfecto Cæsareo urbis Caſſovienſis, arcta obſidione cingebatur. Exercitus Forgácsii conſtabat 15. Radulis autem 12. millibus armatorum, ſed, cum eſſent tormentis, aliisque bellicis machinis deſtituti, obſidio in longum trahebatur; interea vero Princeps Gábriel Báthori evocatis cum Gabriele Bethlenio Turcicis auxiliis, accitisque Siculis, hoſtes ſuos magna cum ſtrage repulit, proturbavitque ex Tranſilvania. Vide Joſeph. Benkő T. I. Tranſilv. p. 260. ſeqq.

14. GAB. D. G. PR. TRAN. VAL. TRANSAL. Protome Principis loricati, enſe præcincti, capite nudo, d. ſceptrum. Siglæ: C. V.

PAR. RE. HVN. DO. ET SIC. CO. 1612. Scutum Báthoreanum dracone circumdatum; infra quod eſt caſtellum Claudiopolitanum. *Aur. ſimpl. R. Univ. Peſtin.*

15. GABRIEL BATHORI D. G. PRINC. TRANSILV. Protome Principis chlamidem induti, capite pileato, criſtato.

PART. REGNI HVNG. DOM. ET SIC. C. 1612. Miles galeatus, loricatus, d. gladium vibrans. Infra eſt civitas Coronenſis, & exercitus illam oppugnans. *Aur. decupl. a Kölesero p. 166. deſcriptus.*

Eodem anno etiam a Coronenſibus procuſi fuerunt Numi huic Báthoreano velut oppoſiti, quibus ſeſe ad reſiſtendum animabant, nimirum ſequentes:

ILLE IN EQVIS ET CVRRIBVS. Scriptum intra coronam quernam, ſeu civicam.

NOS IN NOM. DOM. CONFIDIMVS. 1612. Radix arboris coronata, inſigne civitatis Coronenſis, & ſiglæ: C. B. *Aur. decupl. & quintupl.* apud Schmeizel Tab. IV. N. 23. & Köleser Aurariæ p. 169.

Item alii typo ſequente:

DEVS PROTECTOR NOSTER. Radix arboris coronata, & ſiglæ: C. B.

PATRONA VNGARIAE. 1612. Icon Mariana more conſueto. *Aur. ſimpl. apud Költeſerum* l. cit. Siglæ C. B. ſignificant idem, ac *Civitas Braſſovia*, eadem ſcilicet, quæ alio nomine appellabatur *Corona*. Inſigne urbis eſt ex genere illorum, quæ vocantur *loquentia*; alludit enim ad nomen civitatis *Coronenſis* ſimulque regionis, in qua ſita eſt, germ. *Burczen* — ſeu *Wurzenland* dictæ. In defenſione hujus urbis contra Gabrielem Báthori, propter crudelitatem exoſum, occubuit *Michael Weiſs*, latine *Albinus*, Prætor civitatis, in cujus memoriam Numiſma procuſum, *Cap. ult.* deſcribemus.

16. GAB. BATHO. D. G. PRIN. TRAN. 1610. in aliis 1611. vel 1612. Corona.

GROSSVS REGNI TRANSIL. Aquila monocephala, gerens pectore ſcutum Báthoreanum. *Arg. groſſ. R. Univ. Peſt.*

Tranſilvania in his monetis titulum *Regni* habet. Quo jure? incertum. Occurrit tamen hic titulus in aliis quoque documentis. Hungarico idiomate *Erdély Orſzág* vocatur Tranſilvania; vocabulum autem *Orſzág* latine redditum, modo *Regnum*, modo *Regionem*, ſeu *Provinciam* ſignificat. Hodie *Magni Principatus* titulo gaudet.

17. GAB. D. G. P. TR. VAL. TRAN. Protome Principis loricati, pileati cultu hungarico.

PAR. RE. HV. DO. E. SIC. CO. 1613. Scutum, in quo tres dentes, more ſolito a dracone caudam mordente circumdatum. Item literæ KO. & caſtellum *Kolosvárienſe*. *Aur. ſimpl. C. Feſtetics.*

18. GABRIEL D. G. PRIN. TRANSIL. Protome capite nudo.

PAR. REG. HVN. DO. ET SI. C. 1613. Aquila monocephala expanſis alis, gerens pectore parmulam Báthoream. Siglæ: N. B. *Aur. ſimpl. ibid.*

Annus

Annus 1613. quo hi aurei Nagybániæ fuerunt signati, postremus erat Gabrieli Báthori. Cum enim hic Princeps omnium fere provincialium odia incurrisset, Portamque Ottomanicam per Andream Gétzi, & Gabrielem Bethlen a se alienatam intellexisset, fœdere icto cum Rege Hungariæ Mathia II. Varadinum venit, auxilia contra hostem præstolaturus. Verum antea, quam hæc adessent, conjuratorum manu interfectus est. In hoc Principe, hujusque fratre Andrea defecit stirps virilis nobilissimæ Domus Báthoreæ de Somlyo. Linea de *Etsed* jam prius extincta fuit circa ann. 1605. in Stephano, Georgii filio. Vid. *Car. Wagner* Collect. illustrium Hungariæ familiarum *Dec. I.* p. 33.

§. XIV.

GABRIELIS BETHLEN de Iktar ab anno 1613. *ad* 1629.

1. GAB. BET. D. G. P. T. Caput barbatum, pileo hungarico, plumis ornato tectum, ad pectus cum lorica.

PAR. RE. HV. DO. ET SI. CO. 1614. Scutum, a dracone coronato cinctum, in quo duæ aves una, eademque sagitta per collum transfixæ pro armis gentilitiis sunt. Infra est Castellum Claudiopolitanum. *Aur. simpl. Musei Cæs. Vindob.*

Gabriel Bethlen (vulgo *Bethlen Gábor*) post interitum Moysis Siculi, cujus partes sequebatur, ab exulibus Transilvanis jam anno 1604. Princeps electus erat, consentiente supremo Turcorum Vezirio, sed, cum animadverteret, plerosque Proceres, factione Balthasaris Szilvási, a se abstrahi, ab acceptando Principatu etiamnum abstinuit, sponte illum cedens potentiori se Stephano Botskai. Post hujus obitum, Principe Transilvaniæ Sigismundo Rákotzi, in Hungariam se contulit, ubi a Gabriele Báthori nonnulla prædia dono accepit. Isto demum ad Principatum evecto, ipse munere Su-

premi

premi sedium Csik, Gyergyi, & Kászon Capitanei fungebatur. Verum, ubi comperit, necem sibi a Gabriele Báthoreo parari, profugus ad Turcas, fecit, ut eidem exauctorato sufficeretur. Inauguratus fuit die 27. Octobr. 1613. pacis studiosus usque annum 1619. quo rebellibus Bohemis junctus contra Imp. Ferdinandum II. arma corripuit, eo successu, ut capta potiore Hungariæ parte tyrannidem arripuerit, seque Regem Hungariæ in Comitiis Neosoliensibus anno 1620. proclamari fecerit. Verum pace Nicolspurgensi, quæ in exitu anni 1621. coaluit, Regis titulum cum novo S. R. I. Principis, Opoliæque, ac Ratiboriæ Ducis titulo commutavit. Inquietus tamen; nam altero post anno iterum Hungariam & Moraviam cum Turcis ac Tartaris depopulatus est, cumque anno 1624. in novam consensisset pacem, impetravit a Cæsare Ferdinando Arcem Etsediam pro se, suisque hæredibus. Anno autem 1626. secundis nuptiis duxit Catharinam Brandeburgicam, Friderici Wilhelmi Electoris sororem, cumque tricennale bellum Religionis arderet, continere se non potuit, quin Cæsari novas iterum molestias facesseret. At felicioribus armorum Cæsareorum progressibus deterritus, pace anno 1628. jam tertium inita quievit, Munkácsino sibi ad ceteras ditiones adjecto contentus. Sequente anno 1629. die 25. Novembr. aqua intercute oppressus decessit. Vid. KATONA Hist. R. H. T. XXXI. & PRAY Hist. Reg. Hung. P. III.

2. GA. BET. D. G. P. T. P. R. H. DO. ET SI. CO. Caput Principis pileatum, ad pectus cum lorica.

DEI DON. EST. NE ΘVIS GLO. 1614. Scutum gentilitium familiæ Bethlenianæ, uti N. 1. *Aur. simpl. ibidem.*

3. Alius similis sed anni 1615. apud Seivert p. 173.

Compendia lege : „Gabriel Bethlen Dei gratia Princeps Transilvaniæ, Partium Regni Hungariæ Dominus, & Siculorum Comes, Dei donum est, ne quis glorietur.“ Hæc sententia sumpta est ex Epist. S. Pauli ad Ephesios Cap. II. v. 9.

4. GAB.

4. GAB. BETHLEN D. G. P. TRAN. PART. REG. HVN. DO. ET SI. CO. Protome Principis barbati, loricati, pileo hungarico cristato ornati.

DNS. ILLVM. MEA. ET SALVS MEA. QVEM TIMEBO. 1616. Brachium humanum ex nube protensum cum acinace erecto, adposito schediasmate cum hac epigraphe: CONSILIO FIRMATA DEI. *Aur. decupl. Musei Cæs. Vindob.*

Sententia: *Dominus illuminatio mea* &c. est ex Psal. XXVI. v. 1. Hic Princeps fertur librorum, præcipue sacrorum lectione adeo delectatus fuisse, ut sacra biblia sexies ac vicies perlegerit. Commercium fovit cum eruditis. Albæ Gyulæ insignem erexit Bibliothecam. Vid. *Benkö* l. cit. p. 268.

5. GAB. BET. D. G. P. T. Caput barbatum, pileatum cultu hungarico, ad pectus cum lorica.

PAR. RE. HV. DO. ET SI. CO. 1616. Scutum a dracone coronato cinctum, in quo insigne Bethlenianum, duæ aves per collum transfixæ una eademque sagitta. Infra est castellum Claudiopolitanum. *Aur. simpl. R. Univ. Pest.*

Idem typus est in aureis ann. 1617. & 1618. obvius.

6. GABRIEL BETH. D. G. PRIN. TRAN. Scutum bipertitum, in area superiore est aquila coronata dimidium expressa, inferiore autem septem castella.

PATRONA HVNGARIAE. 1619. Icon Mariana solitis cum attributis. Siglæ: A. I. id est: *Alba Julia.* locus percussæ monetæ. *Quadrans aurei simplicis apud L. B. a Bruckenthal, descriptus a Seivert l. supr. cit. p.* 173.

7. GABRIEL BETH. D. G. PRIN. TRAN. Protome Principis pileati, loricati, ad humeros cum pelle lincea.

PAR. REG. HVN. DOM. ET SICVL. COM. 1619. Tria Scuta juxta se posita, quorum unum exhibet arma gentilitia duas aves confixas, alterum septem castella, tertium in medio locatum, coro-

coronatum, ac pro telamonibus binos leones habens continet in area superiore solem, ac lunam, inferiore aquilam dimidiatam. Siglæ: A. I. *Alba Julia. Aureus decupl. Musei Cæs. Vindob.*

8. Omnia, ut in præcedente, sed siglæ C. M. indicantes *Civitatem Megyes*, cusæ monetæ locum. *Arg. uncial. ibidem.*

9. GABRIEL. D. G. TRAN. P. Protome Principis pileati, loricati.

PAR. RE. HVN. DOM. ET SIC. CO. 1619. Scutum orbiculare cum duabus avibus sagitta confixis, cinctum dracone, ac lemniscis oblaqueatum, coronaque aperta fastigiatum. Siglæ: A. I. *Aur. simpl. ibidem.*

10. GAB. D. G. PRIN. TRAN. ET. S. Scutum quadripartitum continens insignia Regnorum Hung. Dalm. Croat. & in medio parmulam Bethlenianam. In area annus 1619.

PATRONA HVNG. Icon Mariana solitis cum attributis. *Quadrans aurei simplicis* apud Seivert p. 174.

11. GABRIEL D. G. REGNORVM HVNGARIÆ. Protome Principis pileo acuminato, cristaque plumea ornato, ad humeros chlamidem hungaricam induti.

TRANSIL. PRINCEPS. AC SICVLORVM COMES. Absque anni numero. Scutum ovale coronatum continens insignia Hungarico-Transilvanica, & in medio parmulam cum duabus avibus gentilitiis, a dracone in gyrum acto formatam. *Aur. & arg. semuncial. Musei Cæs.*

Anno 1619. Gabriel Bethlen Hungariam invadens, capto Posonio sacram coronam cum clenodiis occupavit, seque primum Regnorum Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ Principem, nec multo post etiam Regem a suis proclamari fecit, quem titulum in Numis mox describendis videbimus.

12. GABRIEL

12. GABRIEL D. G. ELECTUS HVNGARIAE. DALMA. Protome Principis pileo criſtato tecti, loricati, paludati.

CRO. SCLA. C. (*cetera*) REX. TRAN. PRINC. ET SIC. COM. 1620. Scutum quadripartitum continens inſignia Hungarico-Tranſilvanica, nempe crucem duplicem: Aquilam dimidiatam, cum ſole, & luna, ſeptem caſtella, & quatuor faſcias hungaricas, & in medio parmulam Bethlenianam dracone circumdatam. Siglæ A. I. (*Alba Iulia*). *Aur. decupl. apud Seivert p.* 174.

13. GAB. D. G. EL. HV. DA. CR. SC. REX. Protome Principis loricati, nudo capite, d. ſceptrum tenentis. Siglæ K. B. *Kremnizbánia.*

TRANS. PR. ET SIC. COM. 1620. Deipara culcitræ inſidens cum filiolo ſceptrigero in ſinu dextro: ſub pedibus luna bicornis, infra quam ſcutulum bipertitum R. Hungariæ. *Aur. ſimpl. R. Univ. Peſtin.*

14. GAB. D. G. EL. HVN. DA. CR. SC. REX. Protome Principis loricati, paludati, capite nudo.

PRIN. TRANSYL. ET SIC. COMES. 1621. Deipara eodem modo, ut in præcedente, & ſcutulum ſimile. Siglæ N. B. (*Nagybánia*) *Aur. ſimpl. ibidem.*

15. GABRIEL D. G. EL. HVNGARIÆ. DAL. CR. SCL. REX. Protome Principis loricati, capite nudo, d. ſceptrum. A dextris intra perigraphen ſcutulum coronatum Regni Hungariæ, a ſiniſtris icuncula Mariana cum ſolitis attributis.

TRANS. PRINCEPS ET SICVLOR. COM. 1621. Scutum coronatum, Regni Hungariæ corona, continens inſignia Hungarico-Tranſilvanica, & in medio arma Bethleniana, ſeu duas aves (Grues, an Silveſtres anſeres, incertum,) eadem ſagitta ſimul trajectas. Siglæ K. B. *Argent. Talerus R. Univ. Peſtin.* Item *Aur. decupl. per Seivert deſcriptus* p. 175.

16. Omnia, uti Nro. 13. ſed annus 1622. *Aur. ſimpl. ibidem.*

17. Omnia, uti Nro. 12. ſed annus 1622. *Aur. decupl. C. Feſtetics, & Argent. uncial. R. Univ. Peſtin.*

Electi Regis titulus datus fuit Gabrieli Bethlen per ſuos aſſeclas in Conventu Neoſolienſi die 25. Aug. 1620. qui pacis conficiendæ cauſa indictus novum excitavit belli incendium. Hoc enim ſoluto, illicet Hungaria igne, ferroque per Bethlenianos, Turcis junctos, vaſtabatur. Quod indigne ferentes Hungari, ad Cæſarem maximo numero reverſi Bethlenium ad pacem expetendam compulerunt. Hæc Nicolspurgi in Moravia ultimo die anni 1621. confecta, ſed anno primum ſequente publicata eſt; unde ratio patet, cur Gabriel *Bethlen* etiam ad ann. 1622. in compluribus Numis ſuis titulum *Electi Regis Hungariæ* retineat, qui tamen in aliis, anni nunc memorati, monetis jam aliter inſcriptus reperitur, videlicet Sacri Rom. Imperii, & Tranſilv. Princeps, partium Regni Hung. Dominus, Siculorum Comes, Opoliæ, ac Ratisboriæ Dux. Ita enim pace Nicolspurgenſi decretum fuerat, ut omiſſo Regis Hung. titulo, poſthac novis his titulis, ad veteres adjectis, aquieſcat, & Poſſeſſione ſeptem Comitatuum Hungariæ, ſibi ad vitæ finem permiſſorum, fruatur. Novi hi tituli occurrunt in ſequentibus Numis.

18. GABRIEL D. G. SA. RO. IM. ET TRANSYL. PRINCEPS. 1622. Protome Principis loricati, paludati, capite aperto.

PAR. RE. HVN. DO. SIC. CO. AC OPOL. RATIB. DVX. Scutum corona Ducali ornatum, in quo ſunt a dextris arma heraldica Ducatus Opolienſis, & Ratiborenſis, nempe in ſuperiore area vultur depaſcens cor, quod ungvibus ſtringit, altero pede inſiſtens tricolli; inferiore autem in area Aquila monocephala expanſis alis. A ſiniſtris conſpicua ſunt Inſignia trium Statuum Tranſilvaniæ. In medio denique totius Scuti Inſigne Bethlenianum draconis volumine concluſum. Siglæ: N. B. *Aur. decupl. Com. Feſtetics.*

19.

19. GAB. D. G. S. R. I. ET TRAN. PRIN. Protome capite nudo, vultu barbato.

PAR. HV. DO. SI. CO. OP. RA. DVX. 1623. Consueta icon Mariana. Siglæ: N. B. *Aur. simpl. apud L. B. a Bruckenthal descriptus per Seivert* p. 178.

GAB. D. G. EL. HVN. DAL. CR. S. REX. Protome Principis paludati, capite aperto.

PRIN. TRAN. ET SI. COMES. 1623. Icon Mariana more solito; infra quam scutulum Regni Hungariæ. Siglæ: N. B. *Aur. simpl. R. Univ. Pest.*

Hic Aureus *rarus* est propter titulum Electi Regis Hungariæ ad annum 1623. quo tamen *Gabriel Bethlen* jam in fine anni 1621. sese abdicaverat. Videtur itaque hic Princeps resumptis anno 1623. armis, simul priorem titulum contra pacta conventa resumpsisse, deponendum scilicet, ubi denuo in gratiam cum Cæsare Ferdinando rediturus esset. Nisi forte idgenus aurei procusi fuerint durante adhuc priore bello, vel nondum promulgata pace Nicolspurgensi, per temporis occupationem, tunc Monetariis non insolitam, cum numero anni secuturi.

21. Omnia, uti Nro. 19. sed ann. 1625. in alio 1626. *Aur. simpl. Musei Cæs. Vindob. & apud Seivert l. cit.*

22. GABR. D. G. SA. R. IMP. ET TRANS. PRINCEPS. Protome Principis loricati, capite nudo, d. sceptrum. Infra est Insigne Bethlenianum.

PAR. RE. HVN. DNS. SI. CO. OP. RATI. DVX. 1627. Scutum coronatum, in quo sunt insignia Hungarico-Transilvanica, & in medio arma gentilitia, seu duæ aves confixæ sagitta. Siglæ: M. C. id est: *Megyes Civitas* Transilvaniæ. *Arg. Uncial. formæ quadratæ. R. Univ. Pestin.*

23. Alius formæ orbicularis, præcedenti similis typo, & inscriptionibus; sed Siglæ sunt: C. C. *Civitas Corona. Arg. Uncial. Musei Cæs. Vindob.*

 14. GAB.

24. GAB. D. G. SA. ROM. IMP. ET TRAN. PRIN. Protome Principis loricati, pileo cristato hungarico ornati, d. sceptrum tenentis.

PAR. RE. HVN. DNS. SI. CO. OP. RATI. DVX. 1628. Scutum sub corona Ducali, complectens a dextris insignia Ducatuum Opoliensis, & Ratiboriensis, a sinistris Transilvanica, & in medio gentilitias aves Bethlenii. Siglæ: N. B. *Arg. Uncial. ibidem.*

25. Epigraphe, ut in præcedente. Protome Principis capite aperto.

PAR. RE. &c. ut supra. Deipara in pleno lumine sedens coronata, d. sceptrum, s. Jesulum cum globo crucigero. Infra est scutulum ovale bipertitum Regni Hungariæ. *Aur. simpl. ibidem.*

26. GABRIEL D. G. SAC. ROM. IMP. ET TRAN. PRINC. Protome Principis loricati, nudo capite.

PAR. REG. HVNG. DOM. SIC. COMES. OPVLIE. RATIB. Q. DVX. Scutum uti Nro. 24. *Arg. Uncial. formæ ovalis, ibidem.*

27. GABRIEL D. G. SAC. RO. IM. TRA. P. P. R. H. D. Scutum complectens insignia Hungariæ, intermedio Bethlenii gentilitio. Siglæ: N. B.

PATRONA HVNGARIÆ. 1623. Icon Mariana solitis cum attributis. *Grossus ex vilioris notæ argento. R. Univ. Pestin.*

28. GABRIEL D. G. SACR. RO. IM. ET TRAS. PRIN. Scutum, ut in præcedente.

PA. R. HV. D. CO. SIC. OP. RA. DVX. 1624. Consueta effigies Mariana. Siglæ: C. M. (*Civitas Megyes*) *Grossus argenteus ibidem.*

29. Alius grossus præcedenti similis, sed anni 1626. & siglæ: C. C. id est: *Civitas Corona.* In aliis N. B. *Nagybánya. Ibidem.*

30. GAB.

30. GAB. D. G. PRIN. TRANS. Scutum, in quo duo enses Cibiniensium.

PATRONA HVNG - -- Icon Mariana. *Denar. arg. ibidem.*

31. GAB. D. G. SA. RO. IM. ET TRAN. PRIN. Protome Principis loricati, capite nudo, ad pectus cum paludamento.

PAR. R. HVN. DOM. SIC. COM. OP. R. DVX. 1629. Deipara coronata, palliata, radiis undique circumfusa, sedens d. sceptrum, s. Jesulum nimbatum, cum globo crucigero. Sub pedibus scutum solito majusculum complectens utrumque Regni Hung. insigne. Siglæ: N. B. *Aur. simpl. R. Univ. Pestin.*

Schmeizelius de Numis Transil. p. 74. scribit visum a se aureum de anno 1629. in quo *Gabriel Bethlen* titulum habet *Regis Hungariæ.* De quo *Seivert* in Notis ad Köleseri Aurariam p. 180. Numus, inquit, certe ænigmaticus, sed absque dubio a monetario imprudente cusus. Conf. *Schwartzium* de Numis a Schmeizelio vulgatis scribentem p. 47.

§. XV.

CATHARINÆ Brandeburgicæ, Principis Transilvan. ab Anno 1630.

1. CATH. D. G. N. M. B. S. R. I. ET TRAN. PRIN. Id est: *Catharina Dei gratia Nata Marchio Brandeburgica, Sacri Romani Imperii & Transilvaniæ Princeps.* Protome Catharinæ facie adversa.

PAR. R. H. D. SIC. CO. A. B. I. C. M. D. 1630. *Partium Regni Hungariæ Domina, Siculorum Comes, ac Borussiæ, Iuliæ, Cliviæ, Montium Dux.* Scutum ovale coronatum, in sex areas divisum. In area 1*ma* & 2*da* insignia Transilvaniæ; in area 3*tia* leo erectus Juliacensis; in 4*ta* Aquila Brandeburgica; in 5*ta* Gryphus Pomeraniæ; in 6*ta* quatuor quadræ Zolleranæ. In medio denique

totius

totius Scuti duæ aves Bethlenianæ. Siglæ: C. V. *Colosvár*, seu Claudiopolis. *Aur. simpl. Musei Cæs. Vindob.*

2. Antica, ut in præcedente.

PAR. R. H. &c. ut supra. Deipara coronata, nimbata, radiisque circumfusa sedens d. sceptrum, s. filiolum menisco circumdatum, tenentemque globum crucigerum. Sub pedibus Aquila Brandeburgica Parmulæ inserta. *Aur. simpl. ibidem.*

Princeps *Gabriel Bethlen* primo connubio junxerat sibi *Susannam Károlyianam*, quæ 2. Jun. 1622. diem supremum clausit; altero autem Catharinam Marchionem Brandeburgicam, Friderici Wilhelmi Electoris Sororem, quam anno 1626. duxerat. Hanc ab Statibus & Ordinibus Transilvaniæ in Principem, sibi ab obitu successuram, eligi fecit. Mortuus anno 1629. testamento reliquit Viduæ 50. millia aureorum, totidemque millia Tallerorum, cum multis dissimilium aliorum numorum millibus, gemmisque, & alia pretiosa supellectili, nec non Dominiis Munkácsiensi, Tokaiensi, & Fogarasiensi. Igitur Catharina mox ab obitu mariti Transilvaniam regendam suscepit, confirmatione ab Imp. Turcorum obtenta, simulque Gubernatore Provinciæ Stephano Bethlen, ac duodecim Consiliariis sibi adjunctis. Verum Transilvani impatientes feminei regiminis haud multo post ad resignandum Principatum illam adegerunt. Duplex invidiæ affertur causa; quod nempe Stephano Csákio nubere, & Catholicam religionem amplecti meditabatur. Hanc illa re ipsa altero post anno amplexa, Transilvaniam reliquit, atque in Hungariam sese contulit. Verum suis dynastiis Munkácsiensi, & Fogarasiensi per Georgium Rákoczium, Transilvaniæ Principem subin exuta, Tokainum Cæsari Ferdinando vendidit, animumque ad secundas nuptias applicuit, quibus Posonii anno 1639. Francisco Carolo, Duci Saxo-Lavenburgico juncta, decennio adhuc vixerat Haimburgi in Austria, ubi post decoctas Mariti prodigalitate opes mœsta obiit.

3. CATH.

3. CATH. D. G. N. M. B. S. R. I. ET TRAN. PRIN. Protome Principis Catharinæ facie adverſa.

TANDEM BONA CAVSA TRIVMPHAT. Leo canem proculcans, volante deſuper Victoria cum ſerto. *Aur. ſexdupl. formæ ovalis, L. B. a Bruckenthal.*

Mnemonicus rariſſimus, recenſetur a Seivert l. cit. p. 181. ſine animadverſionibus.

Sumpta eſt pars averſa hujus Numismatis ex Talero Henrici Julii Ducis Brunsvicenſis Lunæburgici, cum nota anni 1596. ſignato; ubi idem plane leonis canem conculcantis, & victoriæ deſuper cum ſerto volantis typus eſt cum eadem epigraphe: *Tandem bona cauſa triumphat*, niſi quod & alia ſequens inſcriptio germanica hanc latinam ambiens in illo legatur: HVETE DICH FÜR DER TADT. DER LVGEN WIRD WOL RATD. (*ſic omnia*). Iconismus Brunsvicenſis hujus Taleri reperitur in Opere ſæpius laudato: Monnoies en argent du Cabinet Imperial p. 228. Ejusdem Numismatis meminit etiam Köhlerus in Münzbeluſtigung. T. III. p. 228. notatque, hujusmodi Taleros ob vocabulum LVGEN in perigraphe occurrens, vulgo appellari *Lugen-Thaler*, id eſt, Mendacii Taleros. Cauſam vero ſignatorum idgenus Numismatum ait fuiſſe, ut hoc monumento conſtaret, refutatam, & caſtigatam eſſe calumniatorum, qui famam Henrici Julii Ducis Brunsvicenſis proſcindebant, improbitatem. Videtur autem Catharina Brandeburgica idgenus Numisma cudi feciſſe poſt ſopitas in Comitiis Megyeſienſibus anno 1630. ſimultates, quæ inter ipſam, & Gubernatorem invidia malevolorum fuerunt excitatæ.

§. XVI.

§. XVI.

STEPHANI BETHLEN Principis Tranſilv. ann. 1630. uno haud integro menſe.

STEPHA. BET. D. G. PRIN. TRA. Protome ejusdem, caput pileo hungarico plumis ornato tecti, loricamque induti.

PAR. REG. HVN. DOM. ET SIC. COM. 1630. Scutum Bethlenianum dracone circumdatum, in quo duæ aves eadem confixæ ſagitta repræſentantur. Siglæ: C. V. (*Colosvár*) infra coronam apertam. *Aur. ſimpl. R. Univ. Peſtin.*

Omnes *Stephani Bethlen* Numi rarioribus accenſendi ſunt, paucos enim ſignare potuit, qui paucis dumtaxat diebus Principatu Tranſilvaniæ potiebatur, & quidem propria culpa, quia Comitiis pro eligendo novo Principe indictis, Georgium Rákoczium clam per nuncios hortatus eſt, ut in Tranſilvaniam veniret obtinendi Principatus cauſa. Cujus quidem facti Stephanum, ubi ſe præter ſpem vidit electum eſſe Principem, pœnituit, miſſisque novis nunciis nitebatur perſuadere Rákoczio, ut ex itinere domum revertatur, quippe peracta jam novi Principis, qui Catharinæ ſuccederet, electione. At vero Rákoczius, Varasdini ſubſiſtens, profuſis muneribus, & occultis in ſe Catharinæ ſtudiis eo rem brevi adduxit, ut Status & Ordines Tranſilvaniæ, Schæsburgi denuo congregati, priorem electionem irritam declaraverint, noviſque ſuffragiis Georgium Rákoczium creaverint Principem, Stephano Bethlenio ad privatam vitam redacto.

CAPUT

CAPUT TERTIUM.

Numi Principum Transilvaniæ ab anno 1631. ad 1690.

§. XVII.

GEORGII I. RÁKOCZI ab anno 1631. ad 1648.

1. GEORG. RAKOCII D. G. PR. TR. PAR. RE. HVN. DO. ET SIC. COM. Protome Principis barbati, loricati, pileo hungarico cristato tecti, d. sceptrum tenentis, sinistra manu capulo gladii, quo præcingitur, admota.

SOLI DEO GLORIA. ANNO DOM. 1631. Tabula quadrata cum nonnullis ad latera ornamentis, in quæ hæc est epigraphe: NON EST CVRRENTIS NEQVE VOLENTIS SED MISERFNTIS DEI. Extra tabulam in area Numi siglæ, C. V. *Colosvár*, Claudiopolis. *Aur. decupl. Musei Cæs.* editus *in Mounonies en Or. cet.*

Sententiam hanc: *non est currentis* &c. qua & *Sigismundus*, Georgii pater, ut supra vidimus, utebatnr, *Georgius* hic *Rákoczius* etiam in tormentis, ex ære fusis, fecit exsculpi. Referam hoc loco inscriptiones tormentorum bellicorum, quæ anno 1781. Cassovia Budam advecta, ut inde pro refusione Vindobonam adverso Danubio deportarentur, vidi. Unum horum ab effigie Falconis vocabatur Falco, in quo hæc legeram. *Psal.* 46. *Jehova Exercituum nobiscum. Est locus editus ejus Deus Jacob maxime.* *a*) Hoc supra Falconis effigiem occurrebat; infra vero Falconem hæc verba: *Ego sum Falco Albæ Juliæ ab Illustriss. Princ. ac DD. GEORGIO RÁKOCZI*

Dei

a) Vulgatæ textus habet sic Ps. 45. v. 12. *Dominus virtutum nobiscum, susceptor noster Deus Jacob.*

Dei G. Transilo. Princ. Par. Reg. Hung. Domino, & Sicul. Com. enutritus, donatusque Illustr. ac Mã. D. Com Steph. Beth. Jun. de Iktar Hunc. (sic pro Hungvarinensis) & *Maram. Cot.* (& Maramarosiensis Comitatus) *Summ. & Perp. Co. Arcisq. & Præs. Var. Supr. Cap. Fideli ejus sincere dilecto. Cui una cum Pernice, & Herodio, Sociis meis, strenue serviens hic in Propugn. Arcis Vaida Huniaden. vigilaturus An.* 1631. His epigraphis accedebat in eodem bellico tormento eleganter exsculptum Scutum gentilitium Domus Rákoczianæ, Aquila nempe coronata uno stans pede, altero elevato ensem strictum gerens, & hæc sententia: *Non est currentis, neque volentis, sed miserentis Dei;* quæ etiam in proposito Numismate occurrit.

In alio tormento æneo, effigie *Alaudæ* insignito, sine Anni numero, hanc reperi, & in adversaria retuli inscriptionem: *Alauda vocor, edita in lucem cura, & sumtu Magnifici Domini GEORGII RÁKOCZI de Felsö Vadász, cui ut fideliter, & utiliter serviam, divina det robur potentia. Amen.* Paullo infra: *Psal.* 16. *conserva me Domine, quoniam speravi in Te.*

In tertio ejus formæ, quod vulgo *Mortarium* dicitur, sequens fuit epigraphe: SUSANNA LORANTFI D. G. Pr. Tr. P. R. H. D. & Sic. C. Paullo infra: *In honorem Dei fudit me Guaratus Schreyvogel in Epperies anno Domini* 1658. *Non est currentis, neque volentis, sed miserentis Dei.*

Erat SUSANNA LORANTFI, quæ hoc Mortarium bellicum fundi curavit, relicta vidua GEORGII I. RAKOCZI, quæ proinde non solum omnibus mariti defuncti titulis, verum etiam ejusdem Symbolo: *Non est currentis* &c. in publicis monumentis utebatur.

2. GEO. RAKO. D. G. PR. TR. PAR. RE. HVN. DO. (*literis medii ævi monasticis*). Protome Principis barbati, loricati, nudo capite.

ET SICVLORVM COMES. MDCXXXI. Aquila coronata uni pedi insistens, altero ensem gerens; infra quam occurrit vocabulum: AQVILA: & septem castella in una serie. Infra hæc omnia castellum Claudiopolitanum. *Aur. simpl. ibidem.*

3. GEOR. RAK. &c. ut supra. Protome, ut Nro. 1.

Aversa pars uti in præcedente, sed annus 1632. *Aur. decupl. ibidem.*

4. GEORG. RAKOCI. &c. uti N. 1. etiam Protome similis, nisi quod crista plumatilis desit in pileo.

ET SICVLORVM COMES. 1639. Insignia gentilitia, & septem castella uti N. 2. sed siglæ: C. V. (Colosvár) *Aur. simpl. ibidem.*

5. GEORGIVS RAOKCI. D. G. PRIN. TRAN. Protome Principis paludati, capite aperto.

PAR. RE. HVN. DO. ET SI. C. 1645. Deipara coronata sedens d. Jesulum sceptrigerum gerit. Sub pedibus luna, infra quam scutulum Hungariæ. Siglæ: N. B. (Nagybánia) *Aur. simpl. ibid.*

6. GEORGIVS RAKO. D. G. PRIN. TRANSIL. Protome Principis loricati, capite pileato cristato, dextera sceptrum tenentis.

PAR. REG. HVN. DOM. ET SI. COMES. 1645. Scutum coronatum, lateribus ornatis, complectens insignia Transilvaniæ, & propria Domus Rákoczianæ. Siglæ: N. B. *Arg. Talerus ibid.*

7. GEORG. RAKO. D. G. PRI. TRA. Protome, uti N. 1.

PAR. RE. HV. DO. ET SIC. CO. 1646. Insigne Rakocianum, sive Aquila cum acinace, infra quam septem castella Transilvaniæ. Siglæ: A. I. (Alba Julia). *Aur. simpl. ibid. & R. Univ Pestin.*

8. GEORGIVS RAKOCI D. G. PRI. TR. Protome, ut N. 1.

PAR. REG. HV. DO. ET SI. COM. 1648. Deipara sedens d. sceptrum, s. Jesulum cum pomo crucigero. Infra est Scutulum bipertitum Regni Hung. *Aur. simpl. Musei Cæs. Vindob.*

9. GEORGIVS &c. ut supra. Protome Principis loricati, gladio præcincti, capite nudo, dextra sceptrum tenentis.

PAR. REG. HVN. DO. ET SI. CO. 1648. Deipara sedens intra lunam bicornem d. Jesulum cum pomo crucigero, s. sceptrum. Siglæ: N. B. infra est scutulum Regni Hung. *Aur. simpl. ibidem.*

Cum in his Numis nihil peculiari dignum animadversione occurrat, pauca hoc loco de rebus ab Auctore horum Numorum gestis referam. *Georgius I. Rákoczi* Principatum Transilvaniæ eo, quo supra dictum est, modo adeptus, in omnem evigilabat occasionem, ad eum sibi posterisque suis constabiliendum, resque familiæ suæ augendas. Composita igitur cum decessore suo Stephano Bethlen discordia, cœpit summo jure regnare, opesque immensas modis omnibus accumulare, quibus demum instructus contra Cæsarem Ferdinandum III. fœdus cum Suecis inivit, & anno 1644. Hungariam valido cum exercitu ingressus, populationes, & incendia ad Posonienses usque muros circumtulit, Turcarum fultus auxiliis. Sequente tamen anno in pacem sibi oblatam consensit, conditionibus familiæ suæ utilissimis; nam præter sex Comitatus Hungariæ eadem, qua olim Gabrieli Bethlen, lege sibi concessos, obtinuit Tokainum, Regetzium, aliasque arces, ac dynastias insignes. Sed, cum in solvendo Turcis tributo remissior esset, parum abfuit, quin ab his bello impeteretur. Sultani mors interveniens hoc metu illum absolvit. Quæsito incassum Poloniæ throno, ex hac vita decessit anno 1648.

10. In area Numi: 1634. G. R. P. T. nullo alio typo.

In parte aversa: Z. B. V. duo mallei in decussim positi. *Numus Æræus Com. Festetics.*

Literæ

Literæ G. R. P. T. facilem habet explicatum: *Georgius Rákoczi Princeps Tranſilvaniæ.* Sed in averſa Z. B. V. magis egent interprete. Opinor Z. B. eſſe *Zalatnam*, ſive *Zlatnam Bányam*, civitatem montanam Tranſilvaniæ in Comitatu Alba-Julienſi. Litera V. fors nomen indicat Præfecti monetæ, niſi potius ſit nota numeralis, valorem indicans cuprei hujus Numi, id eſt, *5tam* partem groſſi tricrucigeri.

§. XVIII.

GEORGII II. RÁKOCZI ab anno 1649. *ad* 1660.

1. GEOR. RA. D. G. PR. TR. Protome Principis barbati, loricati, caput pileo hungarico criſtato tecti, d. ſceptrum tenentis, ſiniſtra ad capulum gladii, quo præcingitur, admota.

PAR. REG. HV. DO. ET. SI. CO. 1649. Icon Mariana ſolitis cum attributis; infra quam Scutulum Hungariæ. Siglæ: N. B. *Aur. ſimpl. R. Univ. Peſtin.*

2. Alii ſimiles annorum 1650. & 1651. *apud Seivert in Köleſero* p. 184.

3. GEOR. RAKO. D. G. PR. T. Protome, uti N. 1.

PAR. REG. HVN. DOM. ET SIC. COM. 1652. Scutum coronatum bipertitum Principatus Tranſilvaniæ, & in medio Scuti parmula gentilitia Rákotziorum. *Aur. decupl. Com. Feſtetics.*

4. GE. RA. D. G. P. T. Protome, uti N. 1.

PAR. REG. cet. ut ſupra. 1653. Icon Mariana. N. B. *Aur. ſimpl. ibidem.*

5. GEOR. RAK. D. G. PRI. TRA. Scutum coronatum bipertitum Regni Hungariæ, continens a dextris quatuor faſcias, a ſiniſtris crucem patriarchalem. Siglæ: N. B. *Quadrans aurei ſimpl. Muſei Cæſ. Vindob.*

6. Omnia

6. Omnia uti N. 3. ſed annus 1653. *Aur. decupl. ibid.*

Item alius ſimilis aureus ſeptuplus, anni 1654. per Seivert p. 185. deſcriptus.

7. Omnia ut N. 4. ſed annus 1655. *Aur. ſimpl. Muſei Cæſ. Vindob.*

8. GEORGIVS RAKOCI D. G. PRINCEPS TRA. Protome ut N. 1.

PART. REG. HVN. DO. ET SIC. CO. 1657. Scutum uti N. 3. Siglæ A. I. (Alba Julia) *Aur. decupl. ibidem.*

9. GEORG. RAKO. D. G. PRI. TRA. Protome ut N. 1.

PA. RE. HV. DO. ET SIC. CO. 1657. Aquila gentilitia Rákocziorum cum vocabulo: AQVILA. & ſeptem caſtella Tranſilv. Siglæ: A. I. *Aur. ſimpl. formæ quadratæ. Com. Feſtetics.*

10. GEORG. RAKOCI. D. M. PR. TR. PA. RE. HV. DO. Protome ut N. 1. accedunt ſiglæ: C. V. (Colosvár).

ET SICVLORVM COMES 1659. Aquila gentilitia, ut ſupra. *Aur. ſimpl. Muſei Cæſarei.*

11. GEORG. RAKO. D. G. PR. TR. Protome uti N. 1.

PAR. REG. HVN. DO. ET SIC. CO. 1660. Scutum uti N. 3. Siglæ C. V. (Colosvár). *Aur. decupl. per Seivert l. cit. decriptus.*

Sequuntur Argentei unciales, ſeu Taleri.

12. GEORG. RAKO. D. G. PRIN. TRA. Protome Principis loricati, caput pileo Zobelino criſtato tecti, gladio præcincti, dextra ſceptrum tenentis.

PAR. REG. HVNG. DO. ET SIC. COMES 1649. Scutum coronatum continens inſignia Tranſilvaniæ, ſolem, lunam, aquilam dimidiatam, & ſeptem caſtella, juncta armis gentilitiis Rákoczianæ domus, quæ ſunt dimidia rota, & aquila coronata dextro pede

elevato

elevato strictum levans acinacem. Siglæ: N. B. *Arg. Talerus Com. Festetics.*

13. Alius Talerus præcedenti similis, sed anni 1650. *Musei Cæs.*

14. GEOR. RAKO. D. G. P. T. Protome, uti N. 12.

PAR. REG. HVN. DOM. ET SIC. COM. 162. Scutum uti N. 12. sed in hoc insignia gentilitia medium quasi locum occupant. *Arg. Taler. Com. Festetics.*

15. GEOR. RAKO. D. G. PRI. T. Protome, uti N. 12.

PAR. REG. cet. ut supra, sed anno 1653. Scutum uti N. 12. *Arg. Talerus. R. Univ. Pest.*

16. GEORGI. RA. D. G. P. T. Protome uti N. 12.

PAR. REG. cet. & Scutum uti N. 12. sed annus 1658. *Talerus R. Univ. Pestien.*

17. Alius similis, sed anni 1659. *Arg. uncial. Musei Cæs.*

18. Alius similis, sed anni 1660. & in aversa est scutum formæ rotundæ cum insignibus Transilvanico-Rákoczianis. *Arg. uncial. ibidem.*

Numi Junioris *Georgii Rákoczi* solis annorum numeris differunt ab iis, quos Senior, seu pater, feriundos curavit; in reliquis enim omnibus, atque adeo in ipsis etiam vultus lineamentis, nullum occurrit discrimen. Fuit hic Junior jam anno 1642. patre volente Princeps Transilvaniæ nominatus a Statibus, & Ordinibus provinciæ. Patri defuncto successit 1649. De quo Joannes Bethlen Comment. rerum Transilv. hæc: „Austeritate, tenacitateque patris universos offensos probe sciens, agente adhuc in vivis eo, multos muneribus, plures promissis delinitos meliori de se spe impleverat. — — Verum nihil a quopiam se ademturum promittens, ademptas per genitorem aliis possessiones, ipsi, ac germano fratri suo Sigismundo, nec non matri eorundem distributas, insigni

cum

cum dolore meliora ſperantium, nemini reſtituit. Stabiliendo tamen Principatui ſuo dextre providebat; Purpuratorum enim Turcarum animis, ingentibus placatis muneribus, per eos Ottomanicam Portam reconciliare non prætermiſit: tributum 15. millium aureorum, quod per tres annos Genitor ipſius perſolvere neglexerat, regalibus ſuperadditis muneribus, ſine tergiverſatione perſolvit." Pace fruebantur Tranſilvani usque annum 1653. quo bellum Moldavicum, & mox Valachicum quoque exarſerat. Priore bello Rákoczius Baſilium Vajvodatu Moldaviæ dejecit, eique Stephanum Cancellarium ſurrogavit; poſteriore autem Conſtantinum Valachiæ Principem, a rebellibus exturbatum, reduxit, atque in Principatu confirmavit 1655. Sed ann. 1657. fuit Georgio II. Rákoczio fatalis ob ſuſceptam contra Polonos, vetante Turcorum Imperatore, expeditionem. Etenim accepta clade maxima redux jubebatur Principatum dimittere, ſuffecto in ejus locum Franciſco Redejo, dein Achatio Bartsaio. Conflixit cum Turcis anno 1660. & lethaliter vulneratus cum Varadinum rediiſſet, obiit, relicto filio *Franciſco*, quem ſe vivo quidem Principem Tranſilvaniæ eligi fecit, verum *Franciſcus* ab obitu patris ſatius duxit, ad ſuas in Hungaria ditiones ſeſe conferre. Qui usque annum 1665. utebatur titulo Principis Tranſilvaniæ, invitis hujus Provinciæ Statibus, & Ordinibus; deinceps vero jubente Imp. *Leopoldo Magno* ab hoc titulo abſtinuit. Particeps conjurationis Zrinianæ, ne capitis damnaretur, interceſſioni ſuæ matris, & clementiæ Cæſaris adſcribendum eſt.

§. XIX.

FRANCISCI RHÉDEI anno 1657. *paucorum menſium Principis.*

Köleserus in Auraria ſua p. 186. N. 57. refert, hunc Principem aliquot Numos armis gentilitiis familiæ Rhédeianæ cudi feciſſe; ubi ſæpe laudatus *Seivert* notat, Numiſmata Principis *Franciſci*

Rhédei

Rhédei albis corvis esse rariora, nec facile visa. Sane post diligentem investigationem ne unicum quidem vel descriptum, vel depictum reperire mihi licuit. Suffectus erat in Principatu Transilvaniæ Georgio juniori Rákoczio per Turcas exauctorato, gessitque Principis titulum a 3. Novembr. 1657. ad 24. Januarii 1658. trium circiter mensium intervallo. Genealogiam familiæ Rhédianæ vid. apud *Jos. Benkö T. I. Transilv. p.* 289.

§. XX.

ACHATII BARTSAI ab Anno 1658. *ad* 1661.

1. ACHA. BAR. D. G. PR. TR. Protome Principis cultu hungarico, capite nudo, d. sceptrum.

PA. REG. HV. DO. ET SI. CO. 1659. Scutum consuetum, in quo præter solita Transilvaniæ insignia, occurrit in medio parmula familiæ Bartsaianæ, exhibens videlicet brachium humanum loricatum, sagitta transfixum, cubito coronæ apertæ innixo, manu vero acinacem tenente. Siglæ: C. V. (Colosvár). *Aur. decupl. R. Univ. Pestin. & Musei Cæs. Vindob.*

2. ACHATI. BAR. D. G. PRI. TRA. Protome, ut supra.

PAR. REG. &c. ut in præcedente. *Aur. simpl. Musei Cæs.*

3. ACHA. BAR. D. G. PRI. TR. Protome Principis loricati, & caput pileo hungarico tecti, d. sceptrum.

Aversa, uti N. 1. *Aur. simpl. ibidem.*

4. Omnia, uti N. 1. sed annus 1660. *Aur. decupl. Com. Festetics.*

Achatius Bartsai Statuum Transilvaniæ antea Præses, & Supremus Comes Hunyadiensis, non liberis Provincialium votis, sed Portæ Ottomanicæ mandato Princeps factus anno 1658. licet breve, ac turbulentum habuerit regimen, haud paucos tamen Numos ex

auro, & argento ſignavit. Qui nunc deſcripti ſunt, nomen ſimul, & effigiem ejusdem præſeferunt, in ſequentibus vero nomen adeſt ſine Principis effigie.

5. ACHATIVS BARTSAI D. G. P. T. PA. REG. HV. DO. SI. C. 1660. Scutum coronatum complectens inſignia Tranſilvaniæ, & familiæ Bartsaianæ propria, N. 1. deſcripta.

SVB RAKOCIANA OPPRESSIONE REGNI TRANSILVANIAE ET OBSIDIONE CIBINIENSI. Hæc inſcriptio eſt in duobus circulis concentricis: in medio autem ſcriptum: DEVS PROVIDEBIT. *Aureus Octogonus appendens 5. aureos ſimplices R. Univ. Peſtin.*

6. Alius ſimilis *decuplus* aureus, & quintuplus formæ orbicularis. *Muſei Cæſarei.*

Item alius eodem typo, & cum iisdem deſcriptionibus *argenteus uncialis ibidem.*

Bartsaium, Cibinio incluſum, ſex menſibus obſidebat Georgius II. Rákoczi. Qua de re Scriptor Synchronus Joannes Bethlen Lib. 2. agit. Compendio hæc ſunt: *Rákoczius* exauctoratus, inito fœdere cum Michne Valachiæ Vajvoda, redierat in Tranſilvaniam, incuſſoque metu Proceres adegit, ut celebratis Maros-Vásárhelyini die 24. Septembr. 1659. Comitiis, Principatum ipſi inſtituerent: ſed Purpuratus Budenſis non multo poſt ſuperveniens, pulſo Rákoczio, Bartsaium ad ſe profugum reduxit. Recedente Purpurato, Turcarumque copiis in hyberna diſtributis, adeſt iterum Rákoczius armatus, æmulumque Bartsaium, Cibinii cum mille peditibus, & quingentis equitibus incluſum acri obſidione premit, qua tamen in ſextum menſem protracta ipſe ſibi exitium attulit, nam infelici cum reverſis Turcis Marte congreſſus occubuit.

7. ACHATIVS BARTSAI &c. uti Num. 5. præter anni numerum, qui in averſam partem translatus eſt.

DE

DE PROFVNDIS CLAMAMVS AD TE DOMINE. In medio autem hæc alia epigraphe: SERVA NOS QVIA PERIMVS. 1660. Siglæ: C. B. id eſt: *Civitas Braſſovia.* In ſuperiore Numi aurea caput humanum, infra vero eſt corona radici impoſita, inſigne videlicet Civitatis Braſſovienſis, ſive Coronenſis. *Aur. & arg. uncial. Muſei Cæſ. Vindob.*

8. Alius hoc ſolo diverſus, quod in parte averſa hæc epigraphe: SERVA NOS QVIA PERIMVS 1660. incluſa ſit ſpatio lemniſcis ornato, infra quod occurrunt duæ roſæ. *Aur. & arg. Ibidem.*

9. ACHATIVS BARCSAI D. G. P. T. P. R. H. D. ET SI. CO. Scutum coronatum, in quo inſignia Tranſilvaniæ juncta ſunt gentilitiis Bartsaianis.

DE PROFVNDIS CLAMAMVS AD TE DOMINE. In medio autem: SERVA NOS QVIA PERIMVS. SCHESBVRGI. 1660. *Arg. uncial. ibidem.*

Hæc Numiſmata conſervant memoriam ingentium calamitatum, quas duæ præſertim civitates, *Braſſovia*, al. *Corona*, *Cronſtadt*, & *Schæsburgum*, Hung. *Segesvár*, perpeſſæ fuerunt, Rákoczio, & Bartsaio pro Principatu decertantibus. De his civitatibus vid. Reichersdorfii Chorographia Tranſilv. p. 791. ſeq.

§. XXI.

IOANNIS KEMÉNY ab exitu Anni 1660. *ad initium* 1662.

1. IOANNES KEMÉNY D. G. PRI. TRA. Protome Principis barbati, loricati, caput pileo hungarico tecti, d. ſceptrum.

PAR. REG. HVN. DO. ET SIC. CO. 1661. Scutum coronatum continens inſignia Tranſilvaniæ, & in horum medio parmulam Keményanam, in qua eſt dimidius cervus e corona adſurgens.

 Siglæ:

Siglæ: C. V. (Colosvár). *Aur. decupl. R. Univ. Pestin. & Musei Cæs. Vindob.*

2. IOAN. KEMÉNI. D. G. PRIN. TRA. Protome, ut in præcedente.

PAR. RE. H. &c. Omnia, ut in aversa præcedentis. *Aur. simpl. Musei Cæs.*

3. Omnia uti Num. 1. *Arg. uncial. ibidem.*

4. IO. KEMÉNI D. G. P. T. Protome & reliqua omnia, uti Num. 1. *Aur. dupl. hexogonus per Seivert p.* 189. *descriptus.*

Joannes Kemény, nobilissimis ortus majoribus, cum in Polonica expeditione exercitui Rákocziano præfuisset, a Tartaris captus, ac biennio in vinculis detentus, libertatem ingenti lytro persoluto recuperavit, hæsitque aliquamdiu in Valachia Transalpina apud Principem Michne; postea privatus in Hungaria egit, donec ab obitu junioris Rákoczii per Status Transilvaniæ ad capessendum Principatum evocaretur, Bartsaio in ordinem redacto. Confirmatione, quam a Turcis postulabat, non impetrata, ad Cæsarem Leopoldum M. sese convertit. Quo facto irritati Turcæ in Transilvaniam irrumpunt, incussoque provincialibus metu alium illis Principem imponunt, scilicet Michaëlem Apafium; nam Bartsaius interea per Kemenyanos e medio sublatus fuit. Recedentibus Turcis Keményus nihil cunctatus cum octo suorum, & Germanorum millibus in Apafium movit, eumque Schæsburgi obsedit. Sed advolant iterum Turcicæ copiæ; pugna ad vicum Nagy-Szőlős conseritur; Kemenyiani in fugam aguntur, & Princeps Kemény ex equo delapsus obteritur.

§. XXII.

MICHAELIS APAFI ab Anno 1661. *ad* 1690.

1. MICHA. APAFI D. G. PR. TR. Protome Principis barbati, loricati, pileo hungarico cristato tecti, gladio præcincti, d. sceptrum.

PAR.

PAR. REG. HVN. D. E. SICV. CO. 1663. Scutum coronatum, continens insignia Transilvaniæ, & in horum medio propria familiæ Apafianæ, nimirum Galeam ense transfixam super vite botrifera. Infra est alia parmula exhibens duos enses coronatos civitatis Cibiniensis. *Aur. decupl. Musei Cæsarei Vindob.*

2. MIC. APAFI D. G. PR. TR. Protome Principis, ut in præced.

Aversa pars etiam, uti N. 1. cum hoc solo discrimine, quod in hoc aperta sit corona, scuto imposita, cum in præcedente Numo Scutum corona clausa fastigietur. *Aur. simpl. hexagonus ibidem.*

3. MI. APA. D. G. PR. TR. Protome, uti N. 1.

PAR. REG. H. D. ET SI. CO. 1664. Scutum coronatum, in quo Transilvaniæ insignia, & in horum medio galea Apafiana supra vitem. Infra occurrit parmula continens radicem coronatam Brassoviæ, sive civitatis Coronensis. Siglæ: C. B. *Aur. quintupl. L. B. Bruckenthal descriptus per Seivert p. 190.*

4. MICH. APAFI D. G. PR. TR. Protome, uti N. 1.

PAR. &c. uti supra, sed annus 1667. Scutum ovale coronatum cum insignibus Transilvaniæ, & Apafianis. Siglæ: K. V. (Kolosvár). *Aur. decupl. ibidem descriptus.*

5. MICHAEL APAFI D. G. PRIN. TRAN. Protome, uti N. 1.

PAR. REG. HVN. DOM. ET SI. CO. 1670. Scutum, in quo insignia Transilvaniæ Apafianis juncta. Siglæ: A. F. id est: *Arx Fogaras. Aur. decupl. ibid. & R. Univ. Pestin.*

6. Aureus insolitæ magnitudinis pendens centum ducatos, in cujus medio typus est aurei decupli sequens: MICHAEL APAFI. D. G. PRIN. TRAN. Protome Principis loricati, uti N. 1. In parte autem aversa: PAR. REG. HVN. DOM. ET SIC. CO. 1674. Scutum pileo ducali tectum cum scuto gentilitio in medio columnæ

posito:

posito: a dextris sol radiatus, infra quem septem castella; a sinistris luna radiata, infra quam aquila dimidium expressa. Hunc typum aurei decupli circumdant typi simplicium decem aureorum, repræsentantes itidem parte antica Protomen Principis more solito, in aversa vero Scutum, in quo insignia Transilvaniæ juncta Apafianis. Inscriptiones in singulis eædem, quæ in aliis simplicibus occurrunt. *Aur. decupl. apud Seivert p.* 192.

7. MIC. APAFI. D. G. PRIN. TRA. Protome, uti N. 1.

PAR. REG. HVN. DO. ET SI. C. 1674. Scutum coronatum, in quo insignia Transilvaniæ, & Apafianum. *Aur. simpl. Musei Cæsarei.*

8. MIC. APAFI DEI G. P. TR. Hæc inscriptio interior majusculis exarata est literis; alia vero exterior paullo minoribus characteribus expressa sic habet: SPLENDOR. OPES. AVRVM. MVNDI. MIHI. NVLLA VOLVPTAS. QVIN PVTO PRO CHRISTO HAEC OMNIA DAMNA MEO. Effigies Principis barbati, loricati, pileo Zobelino cristato tecti, gladio præcincti, dextra sceptrum tenentis.

PART. REG. HVNGARIAE D. ET SI. CO. 1677. Circa hanc epigraphen sequitur hæc alia: SPES CONFISA DEO NVNQVAM CONFVSA RECEDIT. FIDENTEM NESCIT DESERVISSE DEVS. Scutum pro telamonibus binos Gryphos habens, corona Principali ornatum, in quo sunt consueta Transilvaniæ insignia, & in horum medio insigne Apafianum, nempe galea ense transfixa supra vitem. Infra occurrit parmula exhibens tres pisciculos, & literas A. F. quæ *Arcem Fogarasiensem* cusi Nomismatis locum indicant. Præterea in infimo coronæ circulo exstant literæ: C. D. H. quibus Incisoris nomina occultantur. *Aureum, & argenteum Numisma insolitæ magnitudinis Musei Cæs. Vindobonensis editum per Du Val, & per Joh. Frid. Joachimum T. I. Münz Cabinet* p. 359.

9. MIHA.

9. MICHA. APAFI D. G. PRIN. TRANSIL. Protome, uti N. I.

PAR. REG. HV. DO. ET SIC. CO. 1672. Scutum coronatum, in quo insignia Transilvaniæ, & Apafianum. In area: CIBI. inferius parmula cum triangulo foliato, & duobus ensibus Cibiniensium. *Arg. uncial. Com. Festetics.*

10. MIC. APA. D. G. PRINCEPS TRANSILVA. Protome, uti N. I.

PAR. REG. HV. DO. ET SIC. CO. 1672. Scutum continens insignia Transilvaniæ, & Apafianum. Infra est insigne civitatis Coronensis, nempe radix coronata. *Arg. uncial. R. Univ. Pest.*

11. Epigraphe, & Protome, uti N. I.

PAR. R. H. D. ET S. C. Scutum, ut supra. *Arg. gross. ibidem.*

12. MICHAEL APAFI DEI GRATIA PRINC. TRANS. Protome, ut N. I.

PAR. REG. HVNG DO. ET SI. COMES. 1681. Scutum coronatum, gryphos habens pro telamonibus, in quo insignia Transilvaniæ, & Apafianum. Infra est parmula, cui inscriptæ sunt literæ A. I. id est: Alba Julia. *Arg. uncial. Com. Festetics.*

13. MIC. APAFI D. G. P. TRA. Protome, uti N. I.

PAR. &c. ut supra, sed annus 1681. *Aur. simpl. hexagonus, & alter forma consueta. R. Univ. Pestin.*

14. Omnia fere, uti N. 12. sed annus 1686. *Aur. sextupl. hexagonus per Seivert p. 193. N. 21. descriptus.*

Michaël Apafi, sublato æmulo Keményio, Principatum Transilvaniæ novem ac viginti annis varia fortuna rexit, Turcæ primum, dein Cæsaris Leopoldi Magni fiduciarius. Reliquit filium Michaelem, ex Anna Bornemisza genitum, qui Principatum, ab Emerico Tökelio captatum, variisque pressum difficultatibus, cum

retinere

retinere non posset, consensu Statuum, & Ordinum, Imperatori, ac Regi Hungariæ Leopoldo M. tradidit, titulumque S. R. I. Principis cum annua decem millium florenorum pensione adeptus, domicilium Viennæ Austriæ fixit.

§. XXIII.

MICHAELIS II. APAFI, vivo patre, Electi Principis 1681.

De Numis junioris *Apafi* nihil certi constat. Qui enim nomine *Michaëlis Apafi* in Museis supersunt, aut in libris describuntur, omnes ad Seniorem spectant, ut ex effigie manifestum est. Patre anno 1690. Fogarasini durantibus Comitiis extincto, aliquandiu sub tutoribus, & protectione Imp. Leopoldi M. personam Principis sustinuit, duxitque Conjugem Catharinam, Gregorii Bethlenii filiam, ac biennio post cum eadem commigravit Viennam, ubi vi pacis anno 1699. Carlovicii conclusæ, Diploma Turcicum, quod anno 1681. acceperat, una cum Principatu Leopoldo Aug. resignaverat. Mortuus Viennæ 1714.

CAPUT QUARTUM.

De Numis occasione bellorum Civilium signatis.

§. XXIV.

De Numis Tökölianis.

1. EME. TÖKÖLY PRIN. PAR. REGNI HVN. DOMINVS. Protome ejusdem capite pileato, a d pectus cum lorica, d. sceptrum. In area: SPES MEA IN. DNO. Æ. 26.

In parte aversa hæc sunt: DVLCE ET DECORVM PRO PATRIA MORI. 1683. Duæ coronæ, quibus bini leones coronati, erecti,

erecti, gladiumque eundem ſimul tenentes, inſiſtunt, infra coronas brachium humanum loricatum cum ſtricto acinace, & hac epigraphe in ſcheda circumvoluta: PRO DEO ET LIBERTATE. Infra eſt ſcutulum Regni Hungariæ. *Arg. in Muſeo Com. Feſtetics.*

Numismata Tököliana maximæ ſunt hodie raritatis. Numi nunc deſcripti meminit Synchronus quidam gallus, ita ſcribens: *a*) Tökölius a Supremo Vezirio Princeps Hungariæ Superioris renunciatus — — cœpit cudere monetam, in cujus antica erat effigies illius propria cum hac inſcriptione: *Emericus Tököli Princeps, ac Partium Hungariæ Dominus.* In averſa vero: *pro Deo, & libertate.* Idem refert, in vexillis Tökölianis depictum fuiſſe brachium gladio armatum.

Jacobus *Tollius* Epiſt. itiner. p. 176. narrat, ſibi in officina monetaria Cremnicii oſtenſa fuiſſe Tökölii inſignia, & aurei Numismatis pro illo cudendi formam, in cujus parte antica hæc erant: *Emericus Tökölius Princeps, & Par. Hung. Dom.* In medio inſigne gentilitium ejusdem. In averſa vero hæc epigraphe: *Ludovicus XIV. Gall. & Nav. Rex, Patronus, & Protector Hungariæ* 1678. An tamen reipſa idgenus aurei fuerint procuſi, fatetur incertum eſſe.

2. EMERIC. TECKLY (*ſic*) DVX PROTEST. IN. HVN. Protome ejusdem capite nudo, vultu myſtacato, pectore loricato, ad humeros cum chlamyde hungarica.

SIC VIRTVS NESCIA FRENI. Equus in palæſtra revulſis loris, excuſſoque, & proculcato domitore, ferociens. *Argent. magni moduli in Muſeo Exc. C. Joan. Nep. Eſzterházy.*

Simile Tökölianum Numisma, ſed plumbeum deſcribit Mathias Belius T. III. Hung. Novæ p. 191.

3. EME.

a) Hiſt. de Emeric Comte Tekeli. Cologne 1693. p. 113.

3. EME. TÖKÖLI D. G. P. T. Protome ejusdem loricata, mento barbatulo, capite mitra, unionibus infigni, operto, d. fceptrum, s. ad gladii capulum.

PAR. REG. HVNGA. D. ET SICVLO. CO. 1690. Confueta Principatus Tranfilvaniæ infignia, fol, luna, aquila dimidiata, & feptem caftella. In medio autem aliud Scutum quadripartitum; in cujus area 1*ma* & 4*ta* Leo coronatus erectus, pedibus anterioribus coronam ftringens; in 2*da* & 3*tia* Leopardus erectus gladium vibrans. Alterius hujus fcuti medium occupat aquila biceps utroque vertice coronato. Scuto majori incumbunt duæ galeæ, quarum uni Leo cum corona, alteri Leopardus cum gladio infiftit. *Aur. fimpl. L. B. a Bruckenthal, per Seivert p. 195. defcriptus.*

Anno hujus Numismatis 1690. Tökölius, audita fenioris Michaëlis Apafi morte, Tranfilvaniam valida Turcorum, Tartarorumque manu ftipatus invafit, feque a complicibus perduellionis in Principem hujus provinciæ inaugurari curavit, quem tamen haud multo poft Ludovicus Marchio Badenfis, Supremus militiæ Cæfareæ Præfectus inde in Valachiam ejecit.

Stator familiæ Tökölianæ erat *Sebaftianus*, qui anno 1572. in Equeftrem Ordinem relatus, primum fefe *de Tekelháza*, poftea *de Kesmárk* fcribere cœpit. E Sufanna *Doczy de Nagylucha*, præter alias proles genuit Stephanum I. hic vero ex Catharina Thurzo de Bethlenfalva, præter alios liberos, fufcepit *Stephanum II.* Mariæ Gyulaffi de Rathot Conjugem, *Emerici*, de quo nunc agimus patrem. Primam Emericus lucem adfpexit anno 1657. In Tranfilvaniam fugit 1570. patre fuo Wefſelenianæ conjurationis reo. Inde aliquanto poft tempore in Hungariam cum exercitu viginti millium redivit, factus Dux rebellium fpeciofo vindicandæ libertatis obtentu. Celebratis anno 1682. cum Helena Zriny, relicta Principis Francifci I. Rakoczii vidua, nuptiis, Supremum Vezirium in caftris, ad Efzek

pofitis,

positis, adivit, ictoque cum Porta Ottomanica foedere, titulum Principis Hungariæ sumpsit, junctusque Turcis, ac Tartaris, occupata superiore Hungaria, in Moraviam, Austriamque populabundus procurrit, juvitque anno 1683. Viennensem obsidionem. Verum Turcico exercitu ad solvendam obsidionem compulso, fugatoque, res Tökölianæ in angustum redigi cœpere. Post captam enim anno 1686. per Cæsareanos Budam Tökölius e Superiore Hungaria ejectus est; uxorque ejus Helena Zrini arcem Munkácsiensem post longam obsidionem dedere coacta, & captiva Viennam abducta fuit anno 1688. Recepit eam quidem Tökölius permutatione Heileri, Ducis Cæsareani, apud se captivi, sed victus iterum per Ludovicum Badensem Marchionem, relicta Transilvania, in Valachiam fugere debuit. Cæsareanis denique contra Turcas undequaque victoribus, post factam anno 1699. Carlovicensem pacem coactus est in Turciam sese recipere, ubi prope Nicomediam sede fixa in Castello Campi Flori anno 1705. vivere, ac turbas excire desiit.

§. XXV.

Numi sub Francisco II. Rákoczio signati.

1. FRANCISCVS II. D: G. TRANSYL. PRIN. RAKOCZI DVX CONFOE. STAT. Caput nudum ejusdem, infra quod: D. WAROV. F. id est: *Daniel Warov Fecit.*

DIMIDIVM FACTI QVI BENE COEPIT HABET. Libertas captiva sub schemate Virginis, aviculam, alas vibrantem, tenentis, adstantibus Justitia, & Legum patriarum Custodia, quæ habitu pariter Virginum repræsentatæ, illa cum gladio, & bilance, ista cum codice: *Leges Patr.* inscripto, Libertatem vinculis exsolvere incipiunt. In imo Numi segmento scriptum: OPERE LIB. INCHOATO. ANNO MDCCIII. XIV. IVNII. *Aur. & arg. Com. Festetics.*

 2. Alius

2. Alius priori ſimilis, exteriore tamen Numi ambitu diverſus, in quo hæc præterea legitur epigraphe: LAQVEVS CONTRITVS EST ET NOS LIBERATI SVMVS. PSAL. 123. VER. 7. *Arg. ibidem.*

De his Numis intelligendus eſt *Franc. Wagner*, quum in Hiſtoria LEOPOLDI M. T. II. p. 748. hæc ſcribit: „Auriferam in vallem infunditur Bercsenius, (Dux Rákoczianus) Patula alioquin, ut inter montes, oppida, argenti ſecturas, cum monetariis officinis redigit in poteſtatem, Numosque argenteos, ac aureos, Libertatis, & Rákoczii imagine procudit.“

Mnemonica hæc Numismata exhibent epocham initæ confœderationis, cœptique Duce Franc. Rákoczio belli civilis in Hungaria. *Opere*, inquit Numus, *Libertatis inchoato anno* 1703. *die* 14. *Junii.* Videtur autem Rákoczius eodem die titulum Principis Tranſilvaniæ, Ducisque confœderatorum Regni Statuum, in Solenni quodam congreſſu aſſumpſiſſe: nam in Manifeſto, quod ex caſtris Munkácsienſibus die 7. Junii eod. anno dedit, nondum his titulis utitur, ſed ſequentibus dumtaxat: *Nos Franciſcus Dei Gratia Princeps Rákoczi de Felsô - Vadáſz, Comes de Saaros, Dux Munkátsienſis, & Makovitzienſis, Dominus perpetuus de Saarospatak, Tokay, Regetz, Etsed, Somlyó, Lednitze, Szerents, Onod &c. a*) Sed mirum eſt, in propriis ejusdem Rákoczii Commentariis nullam tam feſti diei, publico Nomismate celebrati, mentionem fieri. Quid quod præterea idem *Rákoczius* diſerte ſcribat, *b*) diem 16. Junii fuiſſe, cum e Polonia redux ad limites Hungariæ, bellum exorſurus, conſtiterat. Hoc profecto conciliari nequit cum Datis Manifeſti, & Numismatis nunc deſcripti, niſi aut ipſum Rákoczium in ſuo Commentario memoria

a) Hiſtoire de Revol. de Hongrie T. II. p. 55.

b) Memoires du Prince Fr. Rak. dans l' hiſtoire des Revol. T. V. p. 31.

moria lapſum, aut librarii ſphalmate diem 16. Junii pro *6ta* editum fuiſſe arbitreris.

3. FRANCISCVS II. D. G. &c. uti N. 1. Protome ejusdem loricata, paludata, vultu adverſo.

CONCVRRVNT VT ALANT. Tres Veſtales ad eandem aram ſacrificantes, alendoque igni ligna imponentes. Infra aram: literæ; D. W. id eſt: *Daniel Warov.* In imo Numi ſegmento hæc epigraphe: CONCORDIA RELIGIONVM ANIMATA LIBERTATE. A. MDCCV. IN SZECH. *Argent. uncial. ibidem.*

Daniel Warov, qui formas horum Numismatum ſculpſit, fuit patria Suecus Holmienſis. Poſt Rákoczianos tumultus artem ſuam Viennæ exercuit usque fere annum 1730. Vid. *Flads* berühmte Medailleur p. 31. *Lochners* Medaillen Sammlung in Præfat. *Madai* Thaler Cabinet. 4116. & 5851. &c.

4. FRANCISCVS II. D. G. S. R. I. PRINCEPS RAKOCZI & TRANSYL. Protome ejusdem nudo capite, ad pectus cum lorica.

TENDIT PER ARDVA VIRTVS. Hercules clava hydram enecans. *Arg. uncial. ibidem. & R. Univ. Peſt.*

Quemadmodum priora duo Numismata exordium, ita hæc poſteriora incrementum, progreſſumque Rákoczianæ ſeditionis oſtentant. Numismata ſub N. 3. conſervant memoriam famoſi illius Conventiculi, a Rákoczianis in *Széchen*, provinciæ Neogradenſis oppido, anno 1705. menſe Septembri celebrati, in quo, poſtquam Acatholicorum poſtulatis fuit ſatisfactum, confœderati novo ſeſe jurejurando ad proſequendum, Rákoczio Duce, bellum obſtrinxere. In *4to* Numismate Hercules hydram conficiens cum inſcriptione: *tendit per ardua virtus*, deprædicat indefeſſos Rákoczii, maxima inter diſcrimina, labores, qui nonnullis ſucceſſibus elatus jam non modo Tranſilvaniæ, verum etiam Sacri Romani Imperii Principem ſeſe inſcribi

patitur.

patitur. Hunc ille titulum antea jam, cum Carolinam Amaliam, Caroli Landgravii Hasso-Vanfridensis filiam, duxit uxorem, ambiebat, quem, cum ab Imp. Leopoldo M. impetrare nequiret, armis extorquendum putabat. Poterant clandestinæ molitiones ipso in ortu præfocari, si non ex carcere Neostadiensi in Poloniam elapsus fuisset. Tertio igitur post fugam anno erupit meditatum scelus, gallicis adjutum artibus, suscitavitque belli civilis incendium, quo tota, qua late patet, Hungaria, Transilvaniaque ad annum usque 1711. deflagrabat. Exitum perduellionis depingens Franc. Wagner in hist. Imp. Josephi I. p. 45. „Languentem, inquit, hydram, qui conficeret, habilior nemo visus est *Joanne Pálfio* Campi Mareschallo, quo nemo toto bello operam præstiterat fideliorem, nemo popularium suorum animos tractandi peritior, vel, a quo imponi sibi, vel asperius haberi, minus formidarent, &c.“

Hercules ergo hydram conficiens, qualis in Rákocziano Numismate conspicitur, Pálfianæ rectius virtuti, quam Rákoczianæ perfidiæ conveniret.

5. MONETA NOVA AVREA TRANS. Scutum coronatum, in quo sunt consueta Transilvaniæ insignia, & aliud Rakocziis proprium, nempe aquila ensifera cum dimidia rota.

TANDEM OPPRESSA RESVRGET. Arbor palma, & siglæ K. V. (Kolosvár) 1705. *Aur simpl. Com. Festetics.*

Aureæ idgenus monetæ Transilvanicæ, Claudiopoli per factionem Rákoczianam ann. 1705. signatæ, meminit etiam *Köleserus* in Auraria sua, describitque Seivert p. 198. seq. addito simul alio Anti-Rákocziano Numismate hujus inscriptionis ac typi:

VERA SALVS PATRIÆ SPONDETVR AB ARBORIS VMBRA:

SVB QVA PAX, REQVIES IPSA, SECVRA VIRENT:

(*Literæ majusculæ annum 1710. exprimunt*) Typus: Arbor, infra quam prospectus provinciæ Transilvaniæ cum præcipuis urbibus, castellis,

castellis, fluviisque. Ad dextram videlicet occurrit 1) *Bistricium*, litera B. indicatum, cum præterfluente *Samosio*. 2) *Schæsburgum* per literam S. notatum. 3) Claudiopolis, cui adscripium: CLAVDIOP. 4) *Megyesinum* cum fluvio *Kökülö*, adjecta lit. M. 5) Arx adposito nomine integro DEVA. Hæc ad dextram. A sinistris vero 1) *Cibinium* ad fluvium cognominem, additis literis CIB. 2) Arx *Fogaras* cum amne *Auta*, adscripto FOG. 3) *Coronensis civitas* literis COR. indicata. 4) ALBA IVL. In segmento Numismatis inferiore adest hæc epigraphe: INCoLIs NoBILE PRÆSIDIVM. (1710) subtus in lemnisco pensili: MANET HInC PROTECTIo REGNI. ad marginem literis minusculis G. SCHVLER. Monetarius nempe Cibiniensis.

In parte aversa ejusdem Numismatis loquacissimi hæc habentur:

PERFIDA CEDE TRIAS PROPRIVS CADAT IGNIs AB ARA. MARTI IVRE PIO DIsCE SACRARE TRIAS. Miles Cæsareus cataphractus, læva manu scutum, aquila bicipite insignitum, gestans, gladio, quem dextera tenet, ignem in ara succensum extinguit: perterritis tribus mulieribus, quæ manibus elatis in fugam conversæ apparent. In segmento: DE INIMICIs VICTOR. infra lemniscus, in quo scriptum: INDE FAVOR PATRIÆ. ad marginem: G. S. id est: *Georgius Schuler*.

Quæ in lemniscis parte antica, & aversa sunt sententiæ, annum 1710. non seorsim, sed junctim dumtaxat lectæ efficiunt hæ nempe: *Manet hinc protectio Regni, inde favor patriæ.*

Opponitur autem hoc operosum Numisma Rákoczianis Numis supra N. 3. & 5. descriptis. Vid. *Seivert l. cit. p.* 106. *seq.*

6. MONETA NOVA AVREA REG. HVNGA. Scutum coronatum Regni Hungariæ bipertitum, continens a dextris 4. fascias, a sinistris crucem duplicatam in tricolle coronato. Siglæ: N. B.

REGI-

REGINA PATRONA HVNGARIÆ. 1705. Icon Deiparæ cum Jesulo, & aliis consuetis attributis. *Aur. simpl. R. Univ. Pest.*

7. MON. NOV. AVR. R. HVNG. Scutum, ut in præcedente.

PATRONA HVNG. 1707. Icon Mariana more solito. Siglæ: K. B. *Aur. simpl. ibidem.*

8. MO. NO. ARG. REG. HVNG. Scutum Regni Hung. ut supra.

PATRONA HVNG. 1704. Icon Mariana. Siglæ: K. B. *Arg. flor. ibidem.*

Quamquam ea fuerit perduellium temeritas, ut in Onodiensi Conventiculo decreverint, ipsos Regni fasces ab Josepho I. Augusto ad Rákoczium transferre, nondum tamen ipsemet Rákoczius eo processit insolentiæ, ut jus Majestaticum cudendæ monetæ sibi attribueret, suoque, ac non potius Regni Hungariæ nomine, & insignibus Numos, in usum quotidiani commercii signandos, curaret. Igitur quamvis in mnemonicis Numis, quales a N. 1. ad 4*tum* recensuimus, nomen ipsius, & effigies reperiatur, abest tamen constanter a monetis usualibus.

9. Scutum coronatum, in quo utrumque Regni Hungariæ insigne est, nempe 4. fasciæ, & crux duplex. 1705.

PRO LIBERTATE. Icon Mariana solitis cum attributis inter literas: P. H. quæ *Patronam Hungariæ* significant. Infra est XX. nota valoris, denariorum forte viginti. *Æreus ibidem.*

10. Scutum coronatum, ut in præced. 1705. Siglæ: C. M. id est, *Civitas Miskolczinum.*

PRO LIBERTATE. Infra est X. nota valoris. *Æreus ibi.*

11. POLTVRA. A. 1706. Scutum Hungariæ, & siglæ K. B.

PATRONA HVNGARIÆ. Icon Mariana. *Æreus ibidem.*

12. Scutum

12. Scutum Hungariæ. 1705. Ad latera sunt notæ incusæ, hinc icuncula Mariana, in litera M. (*Miskolczinum.*)

PRO LIBERTATE. Icon Mariana more solito, literæ P. H. id est: *Patrona Hung.* Infra vero XX. valoris externi nota. *Ær. ibidem.*

MATH. *Belius* T. IV. Hung. Novæ p. 191. mentionem faciens cupreæ monetæ, graviter in Rakoczianos invehitur. „Æs primo cyprium, inquit, in polturas anno 1704. conflari cœptum, pulcherrimo obtentu, ut in promptu Numi essent, quibus in metallinas operas sumptus idonei fierent. Mox ubi lucripetæ avidissimi, Bercsenius imprimis, advertissent, quantum hoc artificio ad thesauros, furtim auctitandos, proficere possent, æreæ hujus monetæ neque modum, neque finem esse voluere. Nam præter minutum, quod diximus, monetæ genus, majore alii, quinque, atque decem grossorum indito pretio, tanto numero procudebantur, ut biennii, trienniive spatio argentum omne, aurumque vulgo evanuerit. Ne autem turpissimo sceleri æquitatis deesset prætextus, lemma Numis impressere: PRO LIBERTATE, inquiunt. Scilicet, ut plebem auro, argentoque emungerent, aurea tempora cum æreis maleficentissime permutarunt, egregii patriæ liberatores, obliti Ennianni illius: *Aureo libertas toto non venditur auro.*"

Et vero ex propriis etiam Francisci Rákoczii commentariis, supra citatis, facile colligas, rei monetariæ rationes per introductam cupreæ idgenus monetæ cusionem vehementer fuisse perturbatas. Nam in Conventu Miskoltzensi, sub initium anni 1706. celebrato præcipuum caput deliberationum fuerat de ferendo eatenus remedio. *a*) Cupreæ monetæ, quas Rákoczius procudi fecit usque ad annum nunc

a) Memoires cit. p. 289.

nunc memoratum, efficiebant quatuor milliones florenorum, ſed illarum, quas falſarii clam effabricarunt, inque vulgus protruſerunt, vix numerus iniri poterat. Factum igitur eſt, ut æs ſignatum indies magis vileſceret, & a mercatoribus non aliter, quam diminuto ultra modum ejus valore, vel, quod in idem recidebat, aucto magnopere mercium vendendarum pretio, acceptarentur. Quæſitum fuit huic malo remedium nova procuſione Numorum cupreorum cum notis quibusdam introcuſis, quas Falſarii non tam facile imitari poſſent, ſimulque diminuendo valorem prioris monetæ cupreæ, tum præcipiendo etiam, nequis novam idgenus monetam cupream, in quocunque commercii genere, detrectaret acceptare ſecundum valorem recentius eidem impoſitum *a*). Sed neque iſta conſtitutione abuſus tolli poterant, Rákoczianis Edictis legitima carentibus auctoritate.

CAPUT QUINTUM,

De aliis varii argumenti Numis, ad Hungariam, hujusque Provincias quoquo modo ſpectantibus.

§. XXVI.

Numisma mnemonicum GALEOTI MARTII, Bibliothecæ Corvinianæ Præfecti.

GALEOTVS MARTIVS POETA CLARS. MATHEMATICVS ET ORATOR. Protome capite nudo, vultu propingui, dextrorſum verſo.

NASCENTES MORIMVR. FINISQ. AB ORIGINE PENDET. Pluteus formæ quadratæ, in quo clepſydra, & octo libri nullo certo ordine.

a) Ibidem p. 292. ſeq.

ordine. Pluteum ambit hæc inſcriptio: SVPERATA TELLVS SIDERA DOMAT. *Argent. maximi moduli e ſchedis P. Stephani Kaprinay.*

Galeottus Martius, Italus Narnienſis, Regi Mathiæ Corvino ob doctrinam, & facetam indolem gratus, & acceptus, poſt Thadæum Ugoletum, & Bartholomæum Fontium, Corvinianæ Bibliothecæ aliquamdiu Præfectus, quibusnam potiſſimum ſcientiis inclaruerit, præſentis Numismatis epigraphe docet. Artem quoque medicam exercuit, quemadmodum ex ejusdem libro de promiſcua doctrina Cap. XV. intelligere licet. Scripſit præterea de homine libros duos. 2) Librum de incognitis vulgo. 3) De egregie, ſapienter, & jocoſe dictis, & factis Mathiæ Regis ad inclytum Ducem Joannem ejus filium. Editiones horum opuſculorum, brevemque hujus Auctoris biographiam reperies apud P. *Xyſtum Schier* Diſſ. de Bibliotheca Mathiæ Corvini p. 18. ſeqq. Hungariam, Bohemiam, Germaniam, Hiſpaniam pervagatus Galeotus, poſtremos vitæ dies in Italia exegit, ſenexque ad montem Anianum prope urbem Ateſtam, cum eſſet corpore admodum obeſo, arvina ſuffocatus obiit, teſte Paulo Jovio in elogiis doctorum virorum.

§. XXVII.

THOMÆ BAKACS ab Erdöd, Cardinalis, Archiepiſcopi Strigonienſis.

THOMAS CAR. STRIGON. VNG. PRIMAS. Protome ejusdem.

SVM DEA VIRTVTI IVRE LOCATA COMES. Fortuna habitu mulieris nudæ, velo prætenſo, inſiſtens Delphino, inter duos ſcopulos, in pelago fluctibus agitato prominentes, retro quam nubes, & ventorum binæ effigies, volansque aquila. *Arg. magni moduli ibidem.*

Thomas Bakács ab Erdőd, ab *Wladislao II.* ad Strigoniensem Archiepiscopatum, ac Primatis Hungariæ dignitatem evectus anno 1497. triennio post obtinuit purpuram Cardinalitiam, & paullo serius etiam titulum Patriarchæ Constantinopolitani. Interfuit Concilio Lateranensi anno 1512. & Viennensi trium Regum congressui anno 1515. ubi Mariam Cæsaris Maximiliani neptem Ludovico II. Regi juniori Hung. & Annam Wladislai II. filiam Cæsari Maximiliano, pro alterutro nepotum ejusdem, ritu solenni despondit. Vivere desiit 1520.

§. XXVIII.

Comitis NICOLAI de ZRINY.

NICOLAI D. G. COMITIS ZRYNEN. EC. 1535. A. Galea coronata, cujus apicem ornat Draco alatus, lingua exserta.

IN TE DOMINE SPERAVI. NON CONFVNDAR IN ÆTERNVM. Ps. 75. Effigies Davidis Regis Cytharam pulsantis, adscripto juxta nomine: DAVID REX. In basi vero, cui Cythara insistit, nomen incisoris: S. R. *Arg. uncial. Musei Cæs. Vindob.*

Editum est hoc Numisma per *Du Valium* in *Monnoies* en argent p. 420. cum hac adnotatione: „Nicolas Esdrin Comte de Zrin, ou Serin en Croatie, née l' an 1517. signala la valeur contre les Turcs, & fut tué en defendant la ville de Zigeth assiégée par Soliman II. l' an 1566.“ Præsens igitur Numisma tribuitur Nicolao VI. de Zrinio, cujus epitaphium in Car. Wagneri Collectaneis p. 121. sic habet:

„Illustrissimo Comiti NICOLAO ZRINIO, Torquati ex Sorore Nepoti, a CAROLO V. post Viennam obsidione solutam, quod in ea adolescens adhuc, & tyro, multa, & præclara fecisset, equo, auroque donato, ad Budam, et Pestum pulcra per facinora,

summa

ſumma cum laude probato: Croatiæ, Sclavoniæ, & Dalmatiæ Bano, Tavernicorumque regalium in Pannonia Magiſterio, ſumma cum prudentia functo, copiis Cæſaris ad dextrum Danubii latus a Ferdinando I. & Maximiliano II. Imp. Præfecto, victis ſæpiſſime, fugatis, cæſisque hoſtibus, infauſtiſſima poſtremum, funeſtiſſimaque Szigethi expugnatione, cujus arcem contra innumerabilem Solymani Turcarum Principis exercitum, facta eorum ingenti, & memorabili ſtrage diutius, quam viribus par fuerat, defendit, defuncto ibidem Solymano, totius orbis flagello, pulcherrime abſumpto, bellicæ gloriæ fortiſſimo invictiſſimoque Duci, de ſe, publicoque B. M. P. P. Vixit annos XLVIII. occubuit VII. Sept. Anno Virginei Partus MDLXVI. "

§. XXIX.

IOANNIS CASTALDI, exercitus Cæſarei in Tranſilvania Ducis 1551.

IO. BA. CAS. CAR. V. CAES. FER. RO. HVNG. ET BOE. RE. EXERCIT. DVX. (*Joannes Baptiſta Caſtaldus Caroli Quinti Cæſaris, Ferdinandi Romanorum, Hungariæ, & Bohemiæ Regis Exercituum Dux*) Protome Caſtaldi habitu Ducis Militaris, infra quam nomen inciſoris ANIB. (*Anibal.*)

TRANSILVANIA CAPTA. Proſpectus provinciæ, depictis montibus, collibus, ſilvis, fluviis, oppidis, erecto ad latus tropæo, infra quod mulier decumbens d. coronam attollit, s. ſcipionem tenet; juxta eſt effigies fluvii, forma viri decumbentis cum arundine, & urna, adſcriptoque nomine MAVRVSCIVS. *Numisma Æneum. Com. Feſtetics.*

Ut Tranſilvania caperetur, ac FERDINANDO Hungariæ Regi reſtitueretur, non tam *Caſtaldi* virtute, quam *Georgii Martinuſii* conſiliis, & aſtu factum eſt. Quæ in averſa hujus Numismatis

infra

infra tropæum decumbens effingitur mulier, coronam una, & sceptrum altera tenens manu, *Isabella* est vidua Regina. Hæc, postquam Castaldus cum septem, non amplius, armatorum millibus Transilvaniam ingressus fuisset, sacram Hungariæ coronam, quam apud se detinebat, & reliqua Regni insignia, persuadente Martinusio, simulque provinciam Transilvaniæ resignavit, his conditionibus, ut sibi quidem centum millia aureorum solverentur pro dote, filio autem suo Joanni Sigismundo Ducatus Opoliensis, & Ratiborensis in Silesia, cum opimo in Hungaria patrimonio permitterentur. Quæ, cum acta fuerint in civitate *Szász-Sebes*, germ. *Millenbach*, sita ad fluvium cognominem, qui ad vicinam *Albam Juliam* miscetur *Mauruscio*, sive *Marusio*, hac de causa inter alias Numismatis hujus figuras fluvius quoque *Marusius* repræsentatur *a*).

§. XXX.

IACOBI HALLER, in bello Turcico ann. 1554. interfecti.

IACOB HALLER V. HALLERSTEIN. ÆT. 32. 1554. Protome ejusdem loricata, nudo capite, vultu adverso, barbato.

SVFFICIENTIA NOSTRA EX DEO EST. Tropæum, cui adpensa sunt, thorax, hasta, gladius, sagitta. In lateribus hinc galea est, inde scutum gentilitium, trunco arboris adpensum. *Arg. ibidem.*

Jacob Haller von Hallerstein, hung. *de Hallerkö*, ætatis suæ anno 32. æræ vulg. Christianæ 1554. occubuit in bello Turcico. Petrus Haller, Comes nationis Saxonicæ in Transilvania, Consulque Cibiniensis, hoc monumento Numismatico memoriam filii sui conservatam voluit.

§. XXXI.

a) Conf. Anzeigen aus K. K. Erbländern V. Jahrgang. p. 361. seq. & Ungrisches Magazin T. III. 138. seq.

§. XXXI.

Numus Transilvanicus, memoriam calamitatum anno 1602. toleratarum recolens.

TERRENA CONSIDERES VT COELICA POSSIDES (sic erronee pro POSSIDEAS) Caput facie triplicata, una imberbi, cui adscribitur: OCCIDENS. altera barbata cum addito vocabulo: ORIENS. tertia vertice depicta, æque barbata, cum inscriptione: DEVS.

A TERGO ET FRONTE MALVM. TANDEM DEVS PROPITIARE. AN. MDCII. FATALI TRANSILVANI (*sic*). *Aur. & arg. C. Festetics.*

De hujusmodi Numis anno 1602. in Transilvania procusis *Köleserus* in Auraria p. 157. „Hæc, inquit, se mutuo explicant; erant Coronenses in angustiis, & quasi malleum inter, & incudem, quo se verterent dubii, ob irruptionem Stephani, Vaivodæ Moldaviæ, Turcarumque cum Moise Siculo, & exercitus Georgii Basta." *Seivertus* vero in Notis *ibidem*, ænigmaticos vocat idgenus Numos, nec tam a Coronensibus signatos affirmat, propterea, quod in nonnullis diserte CIBIN. legitur. Tales enim Numi diversis typariis cusi, variique ponderis occurrunt: quibus illustrandis adducit sequentem ex Manuscripto Ioannis *Oltardi*, scriptoris coævi, pericopen, ad annum 1602. Transilvaniæ fatalem. " Nihil enim, inquit ille, calamitatis, quo genus humanum ob peccata affligi solet, divinitus reliquum fuit, quod non uberrime totoque, ut ajunt, plaustro in hunc annum redundaverit. Urbs *Cibiniensis* pressa gladio, fame, peste, phrenesi, & sexcentis aliis calamitatibus primum anni quadrantem infestata est hostiliter ab Hungaris, quod fidem, Imperatori Rudolpho datam, rumpere, ut reliquæ civitates, nollet: suburbia ejus, & pagi circumjacentes flammis, ferroque vastati, rustici misera-

miserabiliter trucidati, plurimi a Tartaris captivi abducti, reliqui in urbem compulsi, ibique vel fame, vel phrenesi, ac peste sublati sunt. — — — Æstate adpropiquante pestis, atque phreneseos contagium nonnihil remittit, & sperabamus meliori: sed quid fuit? *Bastæ* exercitus profugat Hungaros mense Julio penes Marusium ad Albam Juliam. Hinc ille exercitus per totam Transilvaniam dilapsus, omnes segetes depopulatur, & devastat, triticumque rusticis vi eripit. Hinc vicissim gravis fames sub hyemem suboritur. &c. "

Schwartzius in recensione Numorum Schmeizelii p. 28. scribit in hujus generis Numo eminentias, & umbras busti tricipitis ab artifice tam affabre mixtas esse, ut ad dextram facile detegere possis caput imberbe galea romana tectum; ad sinistram vero caput barbatum, vitta turcica opertum: in summitate denique caput, barba quoque insigne, sed nudum, quale hungaris vocatur *Kopasz-Fejö*. Verum *Seivert* ingenue fatetur, se, quamvis plures idgenus Numos archetypos contemplatus fuerit, in nullo tamen artificiosas hujusmodi eminentias, umbrasque, quales per Schwartzium memorantur, observasse.

§. XXXII.

GEORGII BASTA, Cæsarei exercitus in Transilvania Capitanei Generalis, anno 1603.

GEORGIVS BASTA DNS IN SVLT. EQV. AVR. Protome ejusdem loricata, nudo capite, vultu barbato.

S. C. M. AC CATH. REG. HISB. (*sic*) CONSI. BEL. ET IN TRAN. CAPIT. GENERAL. Intra corollam epigraphe: VALL. PROF. SIC. DEV. DAC. RECEP. 1603. Tres rami palmæ. *Arg. formæ ovalis, R. Univ. Pest.*

Exstant

Exſtant etiam Numi aurei Baſtæ, varii ponderis: Köleserus commemorat decuplum. Cumpendia ſic legenda ſunt: *Georgius Baſta Dominus in Sult, Eques auratus, Sacræ Cæſareæ Majeſtatis, ac Catholici Regis Hiſpaniarum Conſiliarius bellicus, & in Tranſilvania Capitaneus Generalis. Valacho profligato, Siculo devicto, Dacia recepta* 1603. Per *Valachum* intelligendus venit *Michaël* Vajvoda Valachiæ Tranſalpinæ, per *Siculum, Moiſes Zekel* Principatus Tranſilvaniæ invaſor.

§. XXXIII.

MICHAELIS ALBINI Prætoris Coronenſis 1612.

MICHAEL ALBINVS A. P. B. Intra coronam e liliis textam.

AD VTRVMQVE IMPER. PRO PATRIA LEGAT. In area Numi hæc epigraphe: PRÆSTITIT QVÆ DEBVIT PATRIÆ. *Aur. decupl. Com. Feſtetics.*

Hoc Numisma cives Coronenſes procuderunt in honorem ſui Prætoris *Michaëlis Weiſs*, latine *Albini*, qui legatione ad utrumque Imperatorem, nempe Romanorum, ac Turcarum, functus, commoda civium ſuorum curabat, urbemque Coronam contra Principis Gabrielis Báthori tyrannidem defenſabat, ac poſtremo in conflictu anno 1612. victima cecidit pro patria. Literis A. P. B. continetur titulus *Ampliſſimi Prætoris Braſſoviæ*, ſeu Coronæ civitatis. Vid. Anzeigen VI. Jahrgang. p. 57. ſeqq.

§. XXXIV.

IOANNIS TELEGDINI Archiepiſcopi Colocenſis 1643.

IOANNES TELEGDINVS ARCHIEPISCOPVS COLOCENSIS. Protome ejusdem, habitu pontificali.

DOMINVS PROTECTOR MEVS. 1643. Scutum gentilitium Telegdini. *Arg. Com. Feſtetics.*

Primus in Hungaria *Telegdinus* ædes publicas pro nobili juventute, literis, ac moribus inſtituenda, Tyrnaviæ poſuit, dotavitque. Archiepiſcopatu Colocenſi per Turcas occupato, Nitriæ ſedem fixit, ejusdem Eccleſiæ ſimul adminiſtrator.

§. XXXV.

Numus familiæ Comitum PÁLFY.

MARIA FVGGERIN STEPHANI ET IOANNIS PALFYORVM MATER. QVI SIMVL SEPVLTI POSONII 29. MAII. 1646.

AD ASTRA MECVM. Mulier ſtolata ſtans capite ultra nubes erecto, ſupra quod luna eſt conſpicua, manu dextra unum, læva alterum cervum cornu adprehenſum tenet. *Arg. uncial. Muſei Cæſ. Vindob.*

Editum eſt hoc Numisma per Du Valium inter monetas, argenteas Muſei Cæſ. p. 404. præmiſſa hac brevi adnotatione: „Marie Fugger Comteſſe de Pálffy née l' an 1566. Mariée a Nicolas Comte de Palffy l' an. 1583. ✝ 1646."

Obiit octuagenaria, cum duobus filiis Stephano, & Joanne Poſonii ſepulta. Cervus cum rota Palfiorum eſt inſigne. Continuatis poſt matrem funeribus elatos fuiſſe, indicat Numi epigraphe: *Mecum ad aſtra*: & typus mulieris ſupra deſcriptus.

§. XXXVI.

Numus inauguralis Gymnaſii Poſonienſis Proteſtantium.

Equus Trojanus, ſine epigraphe.

INAVG. GYMN. POSON. EV. F. FEST. ANDR. MDCLVI id. eſt: Inauguratio Gymnaſii Poſonienſis Evangelicæ Fidei Feſto Andreæ 1656. *Arg. Com. Feſtetics.*

§. XXXVII.

Joannis Casp. AMPRINGENII Gubernatoris Hung.

IO. CASP. D. G. ADMI. PR. OR. T. M. MAG. DO. IN. FR. ET EVL. Protome ejusdem loricata, nudo capite.

CÆS. MAI. REG. HVNG. PLENIPOT. GVBERNA. 1673. Scutum gentilitium inter binos palmæ ramos, ſupra quod icon Mariana, & hoc lemma: DEO DVCE. *Aur. ſimpl. Com. Feſtetics.*

Joannes Caſparus Dei Gratia Adminiſtrator Pruſſici Ordinis, Teutonici Magnus Magiſter, Dominus in Freudenthal, & Eulenberg, Cæſareæ Majeſtatis Regni Hungariæ Plenipotentiarius Gubernator. 1673. Natus is erat in Briſgovia patre Joanne Chriſtophoro de Ampringen, matre Suſanna de Landsberg 1619. Literis Friburgi excultus primum Viennæ, inter aulicos Ferdinandi II. ephebos, equeſtribus vacabat exercitiis, dein ex Italico redux itinere, ſub Leopoldo Wilhelmo Auſtriæ Archiduce ſtipendia fecit, ea bellicæ virtutis commendatione, ut Equitibus Ordinis Teutonici 1646. adſcribi, & Præfecturam *Commendæ*, ſeu Dynaſtiæ Freudenthalenſis, & Eulenbergenſis cum *Balliviatu* Auſtriæ promeritus fuerit. Mortuo Carolo Joſepho Archiduce Auſtriæ, creatus eſt Magnus Magiſter Ordinis Teutonici, & Mergenthemii 20. Martii 1660. inauguratus. Hac præditum dignitate Imp. Leopoldus M. fecit die 22. Martii 1673. plena cum poteſtate Gubernatorem Regni Hungariæ, attributo illi Senatu ex Hungaris, & Auſtriacis conflato. Magiſtratum hunc Ampringenius triennio haud integro geſſit, veniamque diſcedendi ex Hungaria petiit, & obtinuit. Poſtremo Sileſiam anno 1683. accepit gubernandam, ubi anno ſequente diem ſupremum clauſit.

§. XXXVIII.

Monasterii S. Martini in monte Pannoniæ.

MI. FVND. & 9. 8BRIS MDCCI. CELEB. Tres montes, quorum medio insistit crux hungarica, infra quam legitur: SAEC. in aliis vero duobus montibus occurrit numerus VII. supra montes in nubibus conspiciuntur imagines beatorum Præsulum Martini, & Adalberti, vultibus ad oculum divinæ providentiæ conversis. Infra eosdem vero montes cœpta prius epigraphe continuatur hoc modo: RVINATI. VIII. RESTAVRATI MNRY S. M. S. M. P. O. S. B. Quæ simul sumpta hunc faciunt sensum: *Anno* 1001. *Fundatum, & 9. Octobris celebratum Sæculum VIImum ruinati, VIIIvum restaurati Monasterii Sancti Martini supra montem Pannoniæ Ordinis Sancti Benedicti.*

In parte aversa hæc sunt. Tres imagines in nubibus, media Deiparæ, altera a dextris S. Stephani Regis, tertia a sinistris S. Ladislai, quibus hæ adduntur inscriptiones: DItanDo. In Defensando. post In DotanDo. Infra hæc occurrunt tres montes cum monasteriis, & sacellis, quorum uni adscriptum: PER VII. alteri A. VII. tertio AD VII. In ima vero Numismatis parte hæc epigraphe: pannoniæ montes iam aD septeM seCLA LIbertant. *Æneum Com. Festetics.*

Hoc Numismate Monasterium Benedictorum, quod S. STEPHANVS anno Chr. 1001. in honorem S. MARTINI Confessoris in Comitatu Jaurinensi supra sacrum Pannoniæ montem fundaverat, jubilæum septem Sæculorum anno 1701. celebravit.

§. XXXIX.

GEORGII BÁNFY de Losoncz, & CLARÆ BETHLEN.

NOVISSIMIS HONORIBVS GEORGII COM. BANFI DE LOSONTZ TRANSY. SVB AVG. ROM. IMP. LEOP. ET IOS. XVI.

XVI. AN. GVB. REGII. EIVSDEMQ. CONIVG. PIENT. CLARÆ. COM. DE BETHLEN. POSTQVAM VIX. ILLE AN. XLVIII. HÆC XXXIX. DVRANTE CALAMITOSO POPVLAR. BELLO MORT. ET CLAVD. CONTVM. FIL. FILIÆQ. AE. GR. E. AN. D. MDCCIX. F. F. (*& Claudiopoli contumulatis, Filii, filiæque, Æternæ Gratitudinis ergo, Anno Domini* 1709. *fieri fecerunt.*

In parte aversa: Duo Gryphes inter circumsitas cupressos, pede uno tenent enses fractos, altero attingunt binas calvarias, culcitræ globo crucigero ornatæ, impositas. Epigraphe: ET GRYPHES TEGIT VMBA CVPRESSI. Infra hæc apparet Navis fluctibus pelagi agitata, & hoc lemma: IACTAMVR IN ALTVM. Infra navim G. S. id est: *Georgius Schuler* Numismatis Incisor; ad latera vero: S. K. D. K. hoc est: *Samuel Köleserus de Keres-eer*, ejusdem Numismatis auctor, idem ille, qui aurariam Romano-Dacicam scripsit, ac edidit. *Numisma Exequale apud Köleser l. cit. p.* 198. *& Seivert ibidem.*

Pervetus familia Bánfiana in plures quondam ramos pullulavit, ex quibus tamen florentissimi fuere *de Losontz*, & *de Alsó-Lindva*. Banfiorum de *Alsó-Lindva* sexus virilis defecit in Christophoro Tavernicalium regalium Magistro, sub ann. 1646. extincto *a*) *Losontziorum* vero in Stephano, qui anno 1551. in Temesiæ defensione, multis acceptis vulneribus, captus, & a Turcis obtruncatus fuit. Ob eximia tamen Stephani istius merita Imp. Ferdinandus I. indulsit, ut *Bánfii de Losontz* jure civili reviviscerent in superstite dicti Stephani filia, cui eam contulit gratiam, ut suus maritus, mutato priore nomine, adpellaretur *Bánfy de Losontz*, atque in omnia hujus familiæ bona cum posteris suis succederet. Hac itaque ratione *Georgius*, præsente Nomismate celebratus, *a Bánfiis de Losontz* traxit originem.

§. XL.

a) Vid. Wagner Collect. Dec. I. p. 20.

§. XL.

Numismata mnemonica ALBÆ IVLIÆ ſub Imp. CAROLO VI. munitæ, & Carolinæ nomen adeptæ.

1. Proſpectus Arcis Albæ Juliæ, ſeu Carolinæ, ſuis cum munimentis: infra quam hæc epigraphe: CONDITVR. ALBA. CAPVT. REGNI. QVONDAM. A. STAINVILL. LAPIS. EST. QVI. DACICA. RVDERA. DEVÆ. RESTAVRARE. PARAT. DE. QVO. CSIK. SZEREDA PLAVDET. Alia inſcriptio ambiens arcem ita habet: ANNO QVO GENERALIS ERAT CoMEnDANS In TRANSILVAnIA. Reliqua pars hujus inſcriptionis ſequitur in averſa hujus Numiſmamatis, nempe:

ST. C. A. STAINVILLE. S. C. M. CONS. BELL. EQVIT. GEN. CATAPHR. COL. ET. GEN. COMM. IN. TRANSILVA. Pallas galeata, thoracata, dextra demiſſa ſcutum, cruce teutonica inſigne, ſiniſtra haſtam tenens, ſtat inter montes metalliferos, infra quos hæc altera epigraphe: MINERA ☿CVRII ☉LIS. ☾NÆQ. ♄TVRNI. MOX ALBÆ COEPTI. CAVSA. LABORIS. ERAT. G.

Tab.XIII. Nro. 329. H. *Argent. magni moduli, R. Univ. Peſtin.* Vid. Tab. XIII. N. 329.

Aureorum quoque hujus typi meminit Köleserus p. 203.

Imperante *Carolo VI.* anno 1714. urbs Tranſilvaniæ *Alba Julia* (rectius *Albæ Gyulæ*) ſedes quondam Principum Tranſilvaniæ, novis propugnaculis munita fuit per *Stephanum* Comitem a *Steinville* ſupremum eo tempore armorum Cæſareorum in Tranſilvania Præfectum, qui ſimul, ut inſcriptio docet, Dacica *Devenſis* arcis rudera reſtaurare parabat, quod Tranſilvanis, præcipue Siculis (nam *Csik Szereda* caput eſt terræ Siculorum) gratum fore, eadem Numiſmatis epigraphe innuit. Muniebatur autem Alba Julia, ad arcendos hoſtes a montibus, qui eidem vicini ſunt, metalliferis: hoc enim inſcripti verſus produnt: *Minera Mercurii, Solis, Lunæque, Saturni, mox Albæ coepti cauſa laboris erat.* Siglæ G. H. ſunt Monetari *Georgii Hautſch* propriæ.

2.

2. + LVCE SACRA CAROLI (SIMILES ALBA ACCIPIT ORTVS)

* IN SOLIDA PRIMVS PONITVR ARCE LAPIS.

* IVLIA NATA FVI. CAROLVS VIM ROBVR ET AVXIT.

IVLIA SIN LIBEAT. NVNC CAROLINA VOCER.

Infra hanc epigraphen ſeptem caſtella in totidem montium verticibus.

In parte averſa: Arx Albæ Carolinæ, volante deſuper aquila.

Lemma: TVTISSIMA QVIES. In imo Numi ſegmento, literæ minuſculæ: C. I. H. Id eſt: *Carolus Johannes Hedlinger* fecit. *Aur. & Arg. Com. Feſtetics, & arg. R. Univ. Peſtin.* Vid. Tab. XIII. N. 330. *T.* XIII. *N.* 330.

De hoc Numismate ita Köleserus p. 202. „Effoſſis, inquit, vallis fortalitii, *Alba Juliacenſis* antehac, *Carolinenſis* nunc; dum propugnaculo, a Carolo dicto, primus lapis angularis feſto *Caroli Boromæi* poneretur, Numisma aureum majoris, & medii moduli cuſum eſt, cujus ab una, repræſentatur Fortalitium heptagonum, ſupra hoc, aquila protenſis alis elevata fortalitium obumbrans, cum inſcriptione: *tutiſſima quies*, ſubtus oſtenditur bifidus canalis ducendis fluviorum Maros, & Apuli ramis. Ab altera parte duo diſticha: LVCE SACRA &c. " ut ſupra.

§. XLI.

Numisma, Comiti STAINVILLÆO dicata.

1. IN VIRTVTE TVA. Scutum cruce inſignitum, Comitibus a Stainville proprium.

RESTAV-

RESTAVRABVNTVR. Septem planetæ, metallorum Symbola, in totidem montium verticibus. Ad latera cuniculi, & putei. *Aur. & arg. apud Köleserum p. 200. seq.*

2. DECVS IN ARMIS. Caſſis craticulata ſupra galeam cruce Stainvillæa inſignem.

VTROQVE CLARESCERE PVLCHRVM. Enſis erectus, cui ramus olivæ circumvolvitur. *Aur. & arg. ibidem.*

Comes hic Stephanus a Stainville ut plurimum commorabatur in *Száſz-Sebes*, germ. *Müllenbach*, ubi officinam fuſoriam habebat; lapides auriferos in plateis, publicisque viis colligere ſolitus, fertur dixiſſe; Tranſilvanos colonos nonnunquam impetere vaccam lapide, qui ipſa vacca majoris eſſet pretii. Obiit Devæ 21. Octobris 1720. unde Cibinium devectus, ac in monaſterio PP. Franciſcanorum ſolenniter tumulatus fuit. Vid. Seivert in Köleseri Auraria p. 201.

§. XLII.

Comitis Damiani VIRMONDTII, Supremi Armorum in Tranſilvania Præfecti.

DAMIANVS HVGO S. R. I. COM. VIRMONDT. Scutum gentilitium, infra quod hæc epigraphe; BYZANTII PACE CLVSA. DACIIS AVGVSTI PRÆSES. DATVS A. D. MDCCXXI. S. K.

In parte averſa: EX METALLO VIRGINEO AVRATI DACIÆ AD SALINAS MARIÆ ANNÆ VIRGINI VIRMONDTIANÆ OBLATO. *Aur. Muſei Cæſ. Vindob.* Item *arg. Com. Feſtetics.*

Elegantis utriusque inſcriptionis Auctor fuiſſe videtur *Samuel Köleserus*, literis S. K. indicatus. Cuſa vero fuerunt idgenus Numismata, ſecundum epigraphen partis averſæ, ex metallo virgineo *Aurati*, fluvii Daciæ (hung. *Aranyas*) ad *Salinas*, hodie *Torda* civitas ibidem, invento, quod *Mariæ Annæ Virgini Virmondianæ* oblatum fuerat.

§. XLIII.

CONSTANTINI BRÂNKOVAN, Principis Valachiæ Transalpinæ 1713.

CONSTANTINVS BASSARABA DE BRANKOVAN. Protome ejusdem chlamydati, ac tunicati, caput pileo criſtato tecti. Infra C. I. H. nomina Inciſoris *Caroli Johannis Hedlinger*.

D. G. VAIVODA ET PRINCEPS VALACHIÆ TRANSALPINÆ. Scutum coronatum, Gryphis, lemniſcis, & encarpis ornatum, continens inſignia, corvum videlicet crucigerum, expanſis alis trunco arboris inſidentem, inter ſolem & lunam. Infra eſt anni currentis numerus 1713. *Aur. & Arg. magni moduli Muſei Cæſ. Vindob. editus a Du Valio.*

Invenitur hoc Numisma depictum etiam in Opere, cui titulus: *Europæiſche Fama. Parte CLX.* addita extra Numum hac inſcriptione: *Joannes Conſtantinus Beſſarabas Cantacuſenus de Brankovan Fürſt des heil. Röm. Reichs.*

De nominibus primum, tum de inſignibus, ac demum de fatis hujus Principis hæc notanda veniunt. Principio ſola *Joannis Conſtantini* nomina geſſit, poſtea ſuadente Serbano Cantacuſeno, avunculo ſuo, & in Vaivodatu Valachiæ deceſſore, adſumpſit cognomen *de Brankovan*, a præcipuo Dynaſtiæ ſuæ loco. Ad Principatum evectus, & in eo confirmatus, *Cantacuſenus* voluit appellari, ob matrem ſuam e Cantacuſenis, Græcorum Imperatorum poſteris, oriundam. Sed cum idcirco non ſolum apud ſuperſtites Vajvodæ Serbani Cantacuſeni fratres, verum etiam in utraque aula Cæſarea ſuſpicionem adfectatæ tyrannidis incurriſſet, hac appellatione intermiſſa, *Baſſarabam* ſe ſcribere cœpit, quod ipſum quoque regnantis quondam in Valachia familiæ nomen erat, ad quam ille ſuum genus per Aviam referebat. Hæc igitur eſt ratio, cur in Numiſmate nunc deſcripto *Conſtantinus Baſſaraba de Brankovan* vocetur.

Quod ad insignia attinet, quæ in parte aversa ejusdem Numismatis occurrunt, merito quæri potest, sintne Valachiæ propria, an potius gentilitia? Nam e Speneri sententia, Valachia pro armis habet leonem nigrum in campo aureo cum sole, & luna. Auctor vero Cerographiæ hungaricæ, tria Maurorum capita, tæniis redimita candidis, tribuit Valachiæ. Ceterum Samuel Köleserus, rerum Valachicarum peritior, diserte affirmat p. 199. l. cit. proprium Valachiæ insigne esse corvum crucigerum cum sole, & luna, uti est in nostro Numismate, atque hoc insigni Principes Valachos in politicis expeditionibus uti, cum in Ecclesiasticis aliud adhibeant, scilicet effigies Constantini M. & Helenæ Augustæ crucem intermediam simul tenentium. Et vero vidi ipsemet monetas, postremo cum Turcis bello, a Russis pro Moldavia, & Valachia ex ære percussas, ita ut in Moldavicis caput bovis, in Valachicis autem Corvus Cruciger cum luna bicorni, insignia provinciarum fuerint. Plura, quæ huc faciant, reperies in doctissima Joannis Seiverti de insigniis Valachiæ epistola, per Windisch T. I. Ungr. Magazin p. 365. edita.

Res autem gestæ Constantini Bassarabæ de Brankovan sic paucis habent. Ex Logotheta factus Vajvoda Valachiæ, mox consilium cepit excutiendi jugum Turcicum, eoque fine prius cum Imp. Leopoldo M. dein cum Petro Czaro clandestinum foedus inivit, a priore idcirco S. R. I. Princeps renunciatus, ab altero autem Cruce Ordinis Equitum S. Andreæ donatus. Verum telam, quam exorsus erat, pertexere nequivit. Anno enim 1714. quo solemnes nuptias parabat Rudolpho filio suo tertio genito, cui filiam Antiochi Cantemiri Moldaviæ quondam Principis matrimonio jungere voluit, ex improviso captus, & Constantinopolim abductus, Principatum, vitamque perdidit. Finem tragicum, quo simul duo ejusdem filii, & gener, aulæque Præfectus perivere, describit *de la Mettraye* P. II. Itiner. p. 212. hujusque testimonio usus Joh. Frid. *Joachim* in

suis

ſuis ad ſimile Numisma obſervationibus p. 53. des neueröfneten Münzkabinets.

§. XLIV.

STEPHANI L. B. WESSELENII Numisma funebre 1734.

ALTA RVIT CEDRVS SYLVÆ TREPIDATE MINORES. Silva, & cadentia in Cedrum fulmina. Infra ſilvam duæ urbes, & inter has vir peregrinantis habitu, cum hac epigraphe: VRBS HABITATA VALE TANTIS AGITATA PERICLIS. TVTIOR IN SOLYMÆ MOENIBVS HOSPES ERO. A. C. MDCCXXXIV.

In averſa parte: FESSA IACET SIREN DECIMAS IACTATA PER VNDAS. SVRGET AD ANGELICÆ CLASSICA PRIMA TVBÆ. Rupes in medio pelago, in qua Syren decumbit, navibus vi procellæ disjectis. Supra pelagum nubes, & angelus tuba clangens. Epigraphe: MEMORIÆ GRATÆ EXCELLENTISSIMI DO. STEPHANI WESSELENYI L. B. DE HADAD. S. R. MATTIS STATVS INT. ET EXC. REG. IN TRANNIA GVBERNII CONSILIARII. INC. STATVVM ET ORD. PRIN. TRAN. PRÆSIDIS. ET INC. COMITATVS SZOLNOK MED. COMITIS SVPR. NATI ANNO MDCCXXIIII. D. XXV. AVG. DENAT. A. C. MDCCXXXIV. D. XXVIII. APRIL. COMITISSA CATHARINA BANFI DE LOSONCZ CONIVX MOESTA VOTVM SOLVIT. *Arg. magni moduli R. Univ. Peſtin.*

§. XLV.

Ordinum Tranſilvaniæ præſtito M. THERESIÆ Aug. fidelitatis juramento 1740.

REGNANTI MARIÆ THERESIÆ VT PRINCIPI SVÆ VOTIS SE IVRATI OBSTRINXERE DACI. Scutum coronatum ſub Conopeo, in

 quo

quo ſunt inſignia Principatus Tranſilvaniæ, Sol, Luna, Aquila, ſeptemque caſtella.

COELO NVMEN HABES : TERRAS REGINA TVETVR. SIC COELO ET TERRIS HVNGARE TVTVS ERIS. Arcus triumphalis, in cujus ſummitate oculus divinæ providentiæ; infra eſt Crux hungarica, radiis circumfuſa, atque hinc effigies Deiparæ ſedentis coronatæ, cum ſceptro in dextra, & Jeſulo in ſiniſtra: inde Regina flexo genu. Epigraphe: SVB CRVCE GEMINA, GEMINA EST PATRONA MARIA. Infra: NEC SAEVOS METVVNT ARMENTA LEONES. *Arg. magni moduli R. Univ. Peſt.*

§. XLVI.

Comitis EMERICI ESZTERHÁZY Archiep. Strig. celebrato Sacerdotii ſui jubilæo.

EMERICVS E C. ESZTERHAZY A. E. S. S. R. I. P. P. R. H. Prrotome ejusdem habitu Archiepiſcopali.

SACERDOS ITERVM. MDCCXXXVIII. Ara ignita, ſupra quam agnus, ſpicæ, & vitis botrifera. *Aur. & arg. in multis Hungariæ Muſeis.*

Emericus e Comitibus Eſzterházi natus patre Emerico de Galantha, matre Suſanna Bucsányi Anno 1653. Ordini divi Pauli primi Eremitæ adſcriptus 1680. Ejusdem Ordinis Præpoſitus Generalis 1702. ab Imp. Ioſepho I. Vacienſem Epiſcopatum 1706. Zagrabienſem 1708. obtinuit. A Carolo VI. ad Veſzprimienſem translatus 1723. biennnio poſt Cancellarius Regni Hung. eodemque anno 1725. Archiepiſcopus Strigonienſis nominatus, & Primas R. Hung. Res geſtas, & ſolemnitatem celebrati poſt 50. annos Sacerdotii deſcribit P. Nicolaus Schmith in Archiep. Strigonienſibus, ubi & monetæ mnemonicæ, hoc loco deſcriptæ, meminit p. 154. Solemnitas in 27. Julii anni 1738. incidit. Die ſequente Curſor Cæſareus crucem

cem gemmis divitem attulit, quam Com. Joannes Pálfi, perſonam Cæſaris referens, Emerico Primati, Sacerdoti quinquagenario, ſolemniter adpendit. Gratus Primas Pálfium viciſſim Statua marmorea honoravit, quæ hodieque in Sacello Királyfalvenſi viſitur cum hac inſcriptione:

HEROI IOANNI PALFIO MARSCHALLO CAMPI IMPERTERRITO. CVRIÆ REGIÆ PER HVNGARIAM IVDICI &c. &c. QVOD SECVNDO SACERDOTIO PRIMATIS IN PERSONA REGIS PRÆFVERIT. VT ÆTERNÆ MEMORIÆ VIVAT. HOC GRATI ANIMI AMICVM POSVIT MARMOR PRIMAS REGNI EMERICVS ESZTORAS ANNO MDCCXXXIX.

§. XLVII.

Comitis NICOLAI ESZTERHÁZY Ordine Ruſſico donati 1755.

NIC. COM. ESTERHAZY. A GALANTHA COR. HVNG. CVSTOS. Protome ejusdem, & infra humeros in veſte literæ F. G. D. F. nomen artificis exprimentes.

SS. CÆS. ET REG. MM. ORATOR AD IMP. RVTH. M. EQVES S. ANDR. INAVGVRATVS PETROPOLI DIE XXX. NOV. A. MDCCLV. Palatium, in quo Imperatrix Ruſſorum Eliſabetha Comiti Nicolao Eſzterházy confert Ordinem Equitum S. Andreæ, uno ex aulicis ephebis retro adſtante. In pavimento iterum artificis nomen literis minuſculis F. G. DV. *Numisma æneum magni moduli R. Univ. Peſtin.*

§. XLVIII.

Cardinalis CHRISTOPHORI MIGAZZY.

CHRISTOPH. S. R. E. CARD. A MIGAZZY. AR. E. VIEN. S. R. I. PR. EPIS. VACIEN. ADMIN. Protome ejusdem habitu Cardinalitio. Infra eſt nomen artificis G. TODA. F. id eſt: *Giovane Toda fecit.*

RELI-

RELIGIONI ET BONIS ARTIBVS. Religio, & Pallas ſtantes junctis dexteris. Ad latus dextrum ara ignita; ad lævum clypeus, & noctua libro inſidens. Infra eſt nomen illius, qui Numisma Cardinali dedicavit: A. C. DD. 1761. *Æneus magni moduli R. Univ. Peſt.*

2. CHRISTOPH. CARD. A MIGAZZI ARCHIEP. VIEN. S. R. I. PR. EPISC. VACIEN ADM. Protome, ut in præcedente. ELEGI LOCVM ISTVM MIHI IN DOMVM SACRIFICII 2. PARAL. 7. v. 12. Frontiſpicium Baſilicæ, addita epigraphe: TEMPLVM PRINCEPS VACIÆ. MDCCLXI.

Immortalia Cardinalis CHRISTOPHORI MIGAZZI in Vacienſem Eccleſiam merita celebrat RR. Steph. *Katona* in Dedicatione Tom. II. Hiſtoriæ ſuæ Criticæ, ubi & magnificentiſſimam Templi, cujus Frontiſpicium in hoc Numismate proponitur, ſtructuram eleganter deſcriptam reperies.

§. XLIX.

Principis CAROLI de BATTHYÁN.

CAROL. S. R. I. PRINC. DE BATTHÁN P. I. N. V. & S. COM. AVR. V. E. C. C. P. S. V. S. C. Protome ejusdem, torque aurei velleris ornata. Infra axillam: I. TODA F. nomen inciſoris. *Joannes Toda fecit.*

GEN. C. MAR. V. L. DIM. COL. V. S. C. & R. M. A. I. CONS. & S. CONF. M. 1764. Inſigne Batthyánianum ſub Conopeo. Pelicanus videlicet, cruore proprio pullos ſuos nutriens, infra quem in caverna Leo gladium dentibus prehenſum gerens. In exteriore Numi ambitu: FIDELITATE ET FORTITVDINE. *Aur. decupl. & arg. uncial. R. Univ. Peſt.*

Compendia ſic legenda: Carolus Sacri Romani Imperii Princeps de Battyán, Perpetuus in Németh-Ujvár, & Szalonok Comes, Aurei Velleris Eques, Comitatus Caſtriferrei Perpetuus Supremus, Unghenſis Supremus Comes, Generalis Campi Mareſchallus, Unius

Legionis Dimachorum Colonellus, Utriusque Sacræ Cæsareæ & Regiæ Majest. Actualis Intimus, & Status Conferentiarum Minister 1761.

Originem, et genealogiam illustr. Domus Batthyániæ carmine docet Georg. *Szklenar*, edito libello Posonii 1778. in 8vo.

§. L.

Principis NICOLAI *ESZTERHÁZY.*

NICOL. S. R. I. PRINC. ESZTERHAZY DE GALANTHA. Protome Principis.

V. S. C. ET R. A. M. CONS. INT. ET GEN. C. MAR. 1770. Scutum coronatum continens insignia, Principibus Eszterháziis propria. *Aur. & Arg.*


Vid. Tropæum inclytæ Domus Estorasianæ, Viennæ 1700. fol. cum figg. Principi *Paulo Estoras* dedicatum, ubi depicta occurrunt ejusdem insignia, per Imp. *Leopoldum M.* aucta.


Gentilitium insigne, *Comitibus* Eszterháziis commune, Gryphus aureus est super scuto cæsii coloris, capite coronato, erectus, insistensque pedibus posterioribus aureæ coronæ apertæ, anteriore autem dextro tenens gladium incurvum, lævo tres rosas rubei coloris.


Proprium autem *Principum* ejusdem familiæ scutum quadripartitum est, cujus areola dextra, & inferior sinistra cæsii coloris exhibet Gryphum, qualem nunc descripsimus, campus autem sinister superior, ac dexter inferior bifariam horizontaliter scinditur, & continet utrobique Leonem coronatum dimidio corpore expressum, & quasi exilientem cum tribus rosis candidis, quas unus dextro, alter sinistro pede tenet. Infra hos leones pars inferior argentea complectitur tres rosas aureas. In medio denique totius scuti posita est parmula coronata continens literam L. qua designatur LEOPOLDVS Augustus, qui Paulum Eszterházy de Galantha, perpetuum in Frakno, aurei velleris Equitem, Regni Hungariæ Palatinum, titulo S. R. I. Principis anno 1686. condecoravit.


Errata


Pag.	lin.	Errata	Corrige.
16	18	idque idem	atque idem.
35	6	Turdetamorum	Turdetanorum.
37	2	Fuſii	Fuſii.
69	5	adpendebantque	valebant, adpendebantque.
96	24	qui ſic habet	ſic habet.
114	10	Hungaroriæ	Hungariæ.
117	7	nuue	nunc.
129	27	*Iro*	*Pro.*
152	10	*ſex auri*	*ſex aurei.*
187	11	polliati	palliati.
222	8	Viro Hollos	Vico Hollos.
229	25	Stephaneum	Stephanum.
245	28	Quia tamen	Qui tamen.
249	24	Sommorsberg	Sommersberg.
287	12	MCCCXX	MCCCXXV.
309	21	vocantur *Piſetarii*	vocant *Piſetarios.*
312	21	integum	integrum.
315	25	Moſotzius	ſcribit Moſotzius.
320	15	reputabantur	reputabuntur.
322	17	æquiparati	æquiparari poſſe.
328	18	Anno *adde*	& hujus.
331	27	æqualente	æquivalente.
335	6	162	1652.
347	10	Heileri	Heisleri.
352	3	*poſt* Viennenſi *adde*	obſidione.
352	16	poſt AVS *adde*	DVX.
377	12	Conſicienda	Conficienda.
389	2	ſignari	ſignati.
397	1	VITRIX	VICTRIX.
398	1	⊙ IN ♏	⊙ in ♍.
Ibidem		in ſigno libræ	in ſigno Virginis.
447	15	Hungariæ	Hungaricæ.
Ibidem	26	die 28	die 25.
Ibidem	29	*poſt* advenas *adde*	ex.
448	penult.	corona	coronata.
483	Not. *a*) lin. 2.	Archiepiſco	Archiepiſcopo.
486	22	*ſic*	*ſi.*
498	10	Ludovicus	Ludovici.
511	1	Valentium	Valentinum.
531	13	RAOKCI	RAKOCI.


ATTILA
ATTILA REX
AQVILEIA
ATTILA REX
AQVILEIA
ADV
LA
RE
STEPHANVS REX
SANCTVS STEPHANVS
ALEMANIA
PETRVS REX
PANNONIA
ANDREAS REX
PA
NON
IA
NON ON
IA















132
133
134
135
136
137
138
139
MATHIAS·REX·HVNGARI·BOHEMI·ET·D·A·L
140
141
142
143
144
145
146
147
148
149
150
151
152
153
154
155
156
157
158
159
160
161
162
163
164
165
166
167
SANCTUS·LADISLAUS·REX·VNGARIE·1506
MONETA·WLADISLAI·D·G·REX·VNGARIS
KREMIZ
TURSO





168
169
170
171
172
173
174
175
176
177
178
179
180
181
182
183
184
185
186
187
188
189
190
191
192
193
194
195
LVDOVICVS·DEI·GRA·HVNGARIE·BOEMIE·Q·REX
15 25
LVDO: VNGAR: BOHE: QVE REGIS·ET·MARIÆ·RE GINÆ·DVLCISS·COIV GIS·AC·PROCES IN·FLAN
LVDO: HVNG: BOEM: ZC·REX ANV AGENS·XX·IN·TVRCAS APVD·MOHAZ·CVM·PAR VASVORVM·MANV·PV GNAS·HONESTE OBYT·M·D·XXVI
MARIE·HVNGAR: BOHEM: EQVÆ·REGINÆ·IAM PRO·CESARÆ·CAROL V.O IN·FLANDRIS EFFIGIES
·1544· BVDA POTENS·ET PANNONY·GENS MARTIA·REGNI QVOD·FVIT·ESSET SI·VIVERET·ISTE PVER V G





196
FERDI-
NANDVS·ET·
ANNA·ROM·HV-
NG·BOHE·REX·E
REGINA·ARCH
D·AVST·DVC·
BVRG·
Ꜳ.
200
REX ✠ FERDINANDVS·D·G·ROM·HVNG·BOEM·DALMA·CROA
·15·41·
Æ.
INFANS·HISPANIEN·ARCHIDVX·AVSTRIE·DVX·BVRGVNDIE·E·C
197
Ꜳ.
199
Ꜳ.
198
Ꜳ.
201
FERDINAND·D·G·ROM·HVN·BOE·DAL·C·REX
Æ.
1554·INF·HISPA·ARCHIDVX·AVSTRIE·DVX·BVR
K
B
202
FERDINAND·D·G·ROM·HVN·BOE·DAL·C·REX
Æ.
1554·INF·HISPA·ARCHIDVX·AVSTRIE·DVX·BVR
K
B
203
FERDINAND·D·G·ROM·HVN·BOE·DAL·C·REX
Æ.
INF·HISPA·ARCHIDVX·AVSTRIE·DVX·BVR
K
B
207
Æ.
204
FERDINAND·ET·ANNA·R
1536
Æ.
205
TVRCK
BLEGERT
WIEN
1529
206
Æ.
208
Æ.
209
Æ.
210
Æ.
211
Ꜳ.
213
Æ.
212
MAXIMIL·II·D·G·EL·RO·IS·AV·GER·HVN·BO·REX
Æ.
1575·ARCHI·DVX·AVS·DVX·BVRG·MAR·MORA
K
B
214
RVDOLPH·II·D·G·RO·IM·S·AVG·GE·HVN·B·REX
Ꜳ.
1601·ARHIDVX·AVSTRI·DVX·BVRG·MAR·MOR·ETC
N
B






215
216
217
218
219
220
221
222
223
224
225
226
227
228
229
230
231
232
233
BO·REX·✠RVDOL·II·D·G·RO·IM·S·AVG·GER·HVN
1605·SOLI·DEO·GLORIA·CIVIT·CIBIN·ANNO
H
VICTORIA
ADOMINO
OMNIS
CVM PRIV
ARCHIDVX·AVS·DVX·BVRG·MAR·MOR·A·1588
K
B
RVDOL·II·D·G·RO·IMP·S·AVG·G·H·B·REX
ANNO·M·D·XCVIII
IST DIE VESTVNG RA
ABDEN·29·MARTI·N·G·
DVRCH WVNDER HILFF
GOTTES AVSS DESS TVRC
KEN GEWALT WIDER,
VMB ERORERT DARVMB
GOTT ALLEIN
DIE EHR
V.M.
OMNIS VICTORIA A DOMINO
C·PRIVIL: CÆS
V.M.
1595·MONETA·NOVA·ANNO·DOMINI
ALBA
REGA
LIS
DVRCH
AVFGAB NAS
EIN SOLIMAN.
·15 43·
MIT SCHWERDT
ES KAYSER RV
DOLF GWAN
1601
1616
MATTHIAS·II·D·G·REX·HVNGARIÆ·ETC
MATTHIAS·D·G·ARCHID·AVST·ETC·SVPR·EXERC·BEL·IN·HVN·INFER·DVX
MILITEMVS
1601
STRIG·CAP·AN·1595
SEP·2
MATTHI·II·D·G·REX·HVN·2S·DES·IG·IN·REGEM·BO
1610·ARCHID·AVS·DVX·BVR·MAR·MO·CO·TYR
BOH·REX·MATTHIAS·D·G·RO·IS·AVG·GER·HVN
1620·ARCHIDVX·AVS·DVX·BVR·MAR·MOR·CO·TYR




234
235
236
CORO NATUS HUNGARIÆ REX MDCVIII
237
238
239
240
241
242
FERDINANDUS II BOHEMIÆ REX CORONATUS IN REGEM HUNGARIÆ DIE I IULII ANNO 1618
243
244
245
CORONA TUS IN REGEM HUNGARIÆ I IULII 1618
246
247
248
249
250
251
III FER. CORONATUS IN REGEM HUNGAR. VIII DEC
252
1625 GEDECHTNUS DER KHINIGLICHEN KHRENNUNG ZUR EDENBURG 8 DE
253
254
255






256
257
FERDINAND IV REX BO ARCH A S CORONATVS IN REGE VNGA RIÆ 16 IVNY A 1647
258
16 F 47 IV
REX BOHÆ ARCH A S ET CORONATVS IN REGE VNGA RIÆ 16 IVNI
259
LEOPOLDVS D G ROM IMP S A G HVNGARI REX
S IMMACVLATA VIR MAR MAT DEI PAT HVNGA 1687
I K E M 1655
260
LEOPOLDVS D G ROM I S AVG GER HVN BO REX
DVCATVS NOVS TRANSYLVANIÆ 1696
261
LEOPOLDVS INNS TVS ARCHID AVST CRONATVS IN REGEM HVNG A RIÆ 27 IVNI 1655
262
263
264
265
266
267
268
269
LEOPOLDVS D G RO I S AVG GER HV BOH REX
ARCHIDVX AVS DVX BVR MAR MOR CO TY 1660
270
LEOPOLDVS D G RO I S AVG GER HV BO REX
ARCHIDVX AVS DVX BVR MAR MOR CO TY 1692
K B
271
272
P H POLTURA 1696
273
DVARI US 1695
274
275
276
16 98
277
17 02
278
17 05
EX NECESITATE X




279
GAUDIUM IMP.
NEUHEUSEL
ERBAUT A. 1581.
VOM TÜRCKEN EROBERT
A: 1663
VON KAYS. MAY.
BELÄGERT DEN 3/7 IUNI IULI
MIT STÜRMENDER HAND
EROBERT DEN 9/19 AUG.
A: 1685.
PARSIT VINDEMIA MESSI
P. H. M.
282.
OB
TRINAM VICTORIAM
A DEO TRIUNO
UNO MENSE AUGUSTO
AUGUSTISSIMO LEOPOLDO
ET UNITIS IMPERII VIRIBUS
CONCESSAM
NEUHEUSLIO EXPUGNATO
HOSTE AB OBSIDIONE STRIGONII
PROFLIGATO CASTRISQ. EXUTO
PONTE OSSECCENSI DEIECTO
TRANSITUQ. PROIHBITO
UBERRIMAM VICTORIARUM
MESSEM
GRATULANTUR SIBI SUISQ.
S. P. Q. A.
MDCLXXXV.
2. SAM. 23. V. 17 DAS THATEN DIE DREY HELDEN
SCHLACHT BEY GRAN 6/16 AUG
280
MDCLXXXV.
PFEILE DES HEILS
WIEDER DIE SYRER
2. KÖN. XIII. V. 17
281
IN
AUGUSTALIA
CÆSARIS et IMPERII
CIƆ IƆ CLXXXV
I. G. L.
LEOPOLDUS. I. TURC. VICTOR
284
GLEICH WIE DIE KRON NICHT OHNE STEIN: SO IST DIE HAUPT STADT NICHT ALLEIN.
VERMEHRER DES REICHS
HOS FORNAX ARDET IN USUS.
283
Gran
VERMEHRER DES REICHS 16 85
Eperies
286
OFEN
DIE KÖNIGLICHE
HAUPTSTADT IN HUNGARN,
A. 1526 NACH KLUDWDES II. TOD
VON SOLYMAN EINGENOMMEN,
A. 1529 DEM WEYWODEN IOHANN
ÜBERLASSEN, UND A: 1541: VON
SOLIMAN MIT BETRUG BEHAUPT,
FOLGENDS VON R. K. M. LEOPOLD
D. 25 AUG. / 2 SEPT. A. 1686 DEN TÜRKEN,
MIT STÜRMENDER HAND,
ENTRISSEN.
289
FESSAM SOL CAVE DUM MINUT SIDERA CUNCTA VIDES. LUNA CADIT. NIL ERA IUVANT. NIL TYMPANA
INFELIX BUDAM LUDOVICUS PERDIDIT OLIM.
HÆC ARMIS CEDIT NUNC LEOPOLDE TUIS.
A. 1686 D. 2 SEP.
STAT SOL LUNA FUGIT DUM IOSUA PUGNAT ET ORAT
SIC EGO PELLO DUOS SIC LEOPOLDUS ERO.
LEOPOLDO ULTORE RESURGIS.
RESTITUTORI UNGARIÆ OB BUDAM RECEPTAM MDCLXXXVI.
288
AUSTRIACI SE BUDA URBS AQUILIS SUBSTERNIT UT VRARMIS.
IA. VIECHTER D. G. MO
C. GAMER. G.
DER CHRISTEN RUHM
285
OFEN,
A. 1526. VON
SOLYMAN EROBERT. U:
A. 1541. MIT LIST BE-
SETZT. HERNACH
VON R. K. M. LEOPOLD
D. 25 AUG. / 2 SEPT. A. 1686. IN
ANGESICHT DES
GROSS-VEZIERS,
DURCH STURM BE-
ZWUNGEN.
I. G. L.
287
HOS FORNAX ARDET IN USUS.


293
TRANSSILVANIA GRATES AVSTRIACIS MAGNAS FERT
DACIA FELIX.
Æ
GROSS-WARDEIN
AVSPICIIS LEOPOLDI M. DEDIT CAPT. D. 5 IVN. A. 1692
291
TURRES PERGE TRIUMPHATOR RELIQUAS SUBMITTERE
AQUILA ELECT. IAVINCET.
Æ
BELGRAD A TVRCIS ANNO 1440.56.93 et 94. FRUSTRA OBSESSA. À SOLYMANNO. I.A. 1521. OCCUPATA. À LEOPOLDO MAGNO VI RECUPERATA. ANNO. 1688. D. 6. SEPTEMB.
F.
292
NOVOS GAUDENS SPONDERE TRIUMPHOS.
VICTAS DEDIT MANVS
d. 13. April.
I.H.N.
STAN.
CANISIA
POST XC ANNOS IUGUM TURCICUM EXCUTIENS CANISIA SUP IPSUM VERIS INITIUM UBEREM VICTORIARUM SEGETEM POLICETUR LEOPOLDO & IOSEPHO
MDCXC.
290
DEIN STUHL SOLL RESTEHEN EWIG. 2. S. 7.
LEOP
MAG
GH
Æ
STUHLWEISSENBURG.
EROBERT DEN 7 MAY 1688.
294
HOC FACTUM EST PER DOMINUM
PER VIAM QUA VENIT REVERTATUR
IN MEMORIAM PETRO-VARADINI A TURCIS LIBER. DIE 2. OCTOB. MDCXCIV.
Æ
PETRO-VARADINUM.
297
O QUA SOL HABITABILES ILLUSTRAT ORAS; MAXIME PRINCIPUM:
RIÆ REX.
ARCHI:
DUX AUS:
TRIÆ.
IOSE:
PHUS. I. D.
G. HUNGA
C. PRIV. CAES.
F.
Æ
295
EN NOVUS EX VOTO FELIX LEOPOLDE TRIUMPHUS.
AUSPICIIS LEOPOLDI MAGNI VIRTUTE EUGENII SABAUDIAE D. EXERCIT. TURCIC. CLADE XIII HOST. FACTA PRIMARIIS DUCIB. DELETIS CASTRIS UNGERS TORMENT. XCVIII. OMNIQUE APPARAT. BELLICO INTERCEPTIS CAESUS IBO FLUIT D. 11 SEPT. A. CIƆIƆCXCVII.
ST.
INTERFECIT EXERCITUM EORUM ET SUBVERTIT ROTAS CURRUUM FEREBANTURQUE IN PROFUNDUM. EXOD. 14.
ZENTA
PRÆSENTI TIBI MATUROS LARGIMUR HONORES NIL ORITURUM ALIAS NIL ORTUM TALE FATENTES. 1688
POTENS IN TERRA ERIT SEMEN EIUS. GENERATIO RECTORUM BENEDICETUR.
IUSTITIA EIUS MANET.
LEOPOLD. MAGN. TURCARUM DOMITOR.
MATHIAS.
MAX. II.
CAROL. V.
FRID. III.
RUDOLF.
ALB.
MAX.
P.
IXD
296
PAX VIVAX MITI LEOPOLDI EX ORE REFULGET.
LEOPOLDUS MAGNUS ROM. IMP. S. A.
G. H.
Æ
PAX PARTA TRIUMPHIS.
ARMISTITT. CUM TURC. 1699.


294
299
300
301
302
303
304
ICH WILL DIS LAND ZU EIGEN GEBEN DEN SAMEN JOSEPHS NACH DIR EWIGLICH GEN. 48.
DO IOSEPHO PARTEM QUAMTULI DE MANU HOSTIS IN GLADIO. GEN. 48.
IOSEPHUS PRIMUS IN INFERIORI ATQUE SUPERIORI HUNGARIA REX PIUS AUGUSTUS, ARCHI: DUX AUSTRIAE
306
JOSEPH IM NAHMEN UND ERBRECHT DER ERSTE
DIR UND DEINEM SAMEN NACH DIR.
DEN 9 DEC. 1687
305
REGNO REDINTEGRATO IOSEPHUS REX DATUS.
D. IX. DEC. MDCLXXXVII.
GRAVIDA VICTORIIS PARIT REGES. AUSTRIA
PANNONIA READOLESCENS.
OFEN
307
SEDET HIC QUA NON POSTULASTI DEDI TIBI. 3. REG. 3. CA.
IOSEPHUS. ARCHIDUX. AUSTRIAE. CORONATUS. IN. REGEM. HUNGARIAE. POSONII. DIE. IX. DECEMB. MDCLXXXVII
AMORE. ET. TIMORE.
310
IOSEPHUS. I. REX. HUNGARIAE.
CRESCENTE RADICATUR
308
IOSEPHUS ARCHIDUX AUSTRIAE CORONATUS IN REGE UNGARIAE POSONII DIE 9 DECE 1687
AMORE ET TIMORE
309
IOSEPH DER I. KÖNIG IN HUNGARN
DIE LIEB DER FREUND MACHT FURCHT DEM FEIND.
IN PRESBURG GE- KRÖNT DEN 9 DEC 1687
312
311
IOSEPHUS. D: G: R: I: S: A: GE: HU: BO: REX.
ARCHIDUX. AUS: DUX. BUR: MAR: MOR: CO: TYR: 1709
315
314
Signum FIDELITATIS AUG: ROM: IMP. IOSEPHI primi AUSTRIACI. 1706.
313
P H POLTURA 1710
316





317
318
319
320
321
322
323
324
325
326
327
328
329
303
POLTURA
1724
CORONATIO INREGEM HUNGARIÆ.
1712.
PATRONA REGNI HUNGARIÆ
30
IMP · CAES · AVG · CAROLVS · VI ·
CAROLUS.VI.
D:G:ELECT·ROM:IMP:S:AUG:
GER:HISPANIAR:HUNG:
BOHEM:&C:REX·A:AUST:
CORONATUS
POSONY·22·MAY·
MDCCXII·
CAROLUS·VI·
ROM: IMPER: S: A:
GER: HISPAN: HUNG:
BOH: REX: A: AUST:
CORONAT.
POSON:22·MAY
1712
CONSTANTIA ET FORTITUDINE
TUTA EST TOT IUNCTA CORONIS.
LUCE SACRA
CAROLI SIMILES ALBA
ACCIPIT ORTUS
IN SOLIDA PRIMUS PONITUR
ARCE LAPIS.
IULIA NATA FUIT CAROLUS VIM
ROBUR AUXIT
IULIA SIN LIBEAT, NUNC
CAROLINA VOCER.
CONDITUR ALBA CAPUT REGNI
PLAUDET.
TUTISSIMA QUIES
IMP · CAR · VI ·
FELICITATIS CAR
UT IN IMP · R · ITA
IN HUNG · RESTI
TUT OR CORON
MDCCXII.
NON OCCIDIT USQUAM
CIRCUMFUSO PENDEBAT IN AERE. OVID. MET.
CONSTANTIA ET FORTITUDINE
IMP · CAES · CAROL · VI · A · P · P · P ·
OCCIDUI DECUS AC ORIENTIS
CORON · POSON ·
MDCCXII.
MINERVA CURIIS NEQ TURNI
MOX ALBÆ COEPTI CAUSA
LABORIS ERAT
C · H ·





331
CAROLUS VI·D·G· ROM·IMP·SEMP·AUG·
PRIMITIAE DE VICTIS TURCIS.
CC. MILL. CASTR. OCCUP
333
CAROLUS VI·D·G· ROM·IMP·SEMP·AUG·
ARMIS CONSTANTIA ET FORTITUDINE CAESARIS ABEUGENIO.
TEMESWARIA TUR CIS EREPTA
332
IMPERAT·CAES· AUG·CAROLUS·VI·
TEMESWARO EXPUGNATO·
MDCCXVI
IMP·CAES·CAROL·VI· D·G·
DIESEN NICHT ZUHOCH NOCH VEST·
334
335
HÆTTE RAUCH ALHIER SEIN NEST·
D.16. AUGUSTI.1717.
DER TÜRCKEN HEER ZERSTIEBT.
UND BELGRAD SICH ERGIEBT.
D.16 AUGUSTI. 1717.
DACIAM DESIA Q SUP PROVINCIAE CAROLI
TAURUNO CAPTO. MDCCXVII
336
CAROLUS VI·D·G· ROM·IMP·SEMP·AUG
DEVICTI ACHELOI E CORNIBUS UNUM
BELGRADO RECEPTO 19.AUG·MDCCXVII·
337
IMP·CAES·CAROLUS·VI·AUG·P·FEL·P·P·
FUNESTA LACESSITIO
338
HAEC FUERAT E DIGNA AUGUSTO CESARE MISSIS
·H·
CECIDIT UTRUMQUE
339
IMP·CAES·CAROLUS·VI·AUG·P·FEL·P·P·
VICTORIA CAROLI FELICITIAS CHRISTIANOR
340
IMP·CAES·CAROL·VI· D·G·
QUIN- QUENNA LIA PRIMA VINDO BONAE
MDCCXVII



341
IMP·CAES·CAROLVI·A·P·F·P·P·
Æ.
FELIX OMNIS EVENTVS
AVT VINDICATI
CONFECTVM BELL.
TVRC.
MDCCXVIII
342
DABIMVS CAESARI QVAE SVNT CAESARIS.
PAX PETITA
Æ.
SIC REDIT AD DOMINVM·QVOD FVIT ANTE SVVM.
PAX SANCITA PASSA
ROWIZ XXI·IVL.
MDCCXVIII.
343
IN HOC SIGNO
Æ.
INDVCIIS TVRCÆ CONCESSIS
MDCCXVIII
346
IMP·CAES·CAROLVS·VI·AVG·D·F·E·L·P·P·
Æ.
AVGVSTO·PACATO·RI·III·
DE BARBAR GENT.
345
NVLLA SALVS BELLO PACEM TE POSCIMVS
PAX PETENTIBUS DATA.
Æ.
ACCEPTA ACCEPTE SVNT VERBERA CAVSAQVE TVIS
PASAROVITZ·XXI·IVLII
Aº MDCCXVIII.
CAROLVS·VI·CAESAR·AVG·
344
Æ
347
CAROLVS·VI·CAESAR·AVG·
Æ.
ELISABETHA CHRISTINA AVGVSTA CAROLI VI IMP.
DE CHRIST NOMINIS HOSTIBVS
PACE
TVRCIS DATA.
MDCC XVIII.
348
ELISAB: CHRISTINA
AUGUSTA IMP: CAR: VI
NOVAE PACIS FELICE
AUGURIO DIADEMA
REGNI HUNG:
ACCEPIT
POSON: 18 OCT
1714
Æ.
OCCIDUI DECUS
AC
ORIENTIS





349
IMP·CAR·VI·REG·HISP·HUN·BOH·
AUGUSTA·
350
OCCIDUI DECUS AC ORIENTIS
CORON·POSON·
MDCCXIII·
351
RENASCENS SPES ORBIS
352
AD NUTUM DEI
353
354
355
356
VOTORUM TAMEN COMPOTES
MDCCXXXVI
357
MARIA THERESIA AUGUSTA
APOSTOLICI REGNI HONORIFICENTIA
MDCCXLI
358
MARIA
THERESIA
IN REG·HUNGARIAE
CORONATA
POSON·25.IUN:
1741
IUSTITIA ET CLEMENTIA


359
MARIA·THERESIA·D·CAR·CAES·FIL·HUNG·& BOH·REX·ARCH·AUST·
Æ.
IUSTITIA ET CLEMENTIA
MA·THERESIA· D·G·REG·HUN·BO·
360
Æ.
S·MARIA MATER DEI PATRONA HUNG·1743
K B
IUSTITIA ET CLEMENTIA
361
M·THER·D·G·R·IMP HU·BO·R·A·A·D·B·C·T·
IUSTITIA ET CLEMENTIA
Æ.
S·MARIA·MATER·DEI·PATRONA·HUNG·1767
362
Æ.
PATRONA HUNGARIAE
364
Æ.
M·THER·D·CAR·CAES·FIL·HU·& BOH·REX·AR·AUST·
363
PRO DEO ET IMPERIO
FRANC·D·G·R·I·S·A· GE·IER·R·LO·B·M·H·D·
Æ.
IN TE DOMINE SPERAVI 1758
K B
366
M·THERESIA·ROM·IMP·HUNG·BOH·REX·PR·TRANS·
Æ.
LEGES METALLURGICÆ IN TRANSILVANIA RESTITUTÆ MDCCXLVII
DIVÆ PALLADI
Æ.
365
REGINÆ PROVIDENTIA
CAROL
MDCC XXXXIII
367
MARIA THERESIA ROM·IMP·HUNG·BOH·REX·PRINC·TRANSILV·
M DONER f.
Æ.
LEGES METALLURG·RESTITUTÆ·
MDCCXLVII




368
FRANC IMP AUG M THERES HUNG REX
ADVESTUS AUGUSTI IN FODINAS HUNGARIAE INFERIORIS MDCCLI
369
FORTUNAE REDUCI
370
FRANC IMP AUG M THERES HUNG REX
ADVENTUS AUGUSTI
IN FOD HUNG INFR MDCCLI
371
CONCORDIA UNIONE
ET CLEMENTIA INSTAURATA
1749
372
FRANCISCUS I D G ROM IMP S A MAG HET D R I
ADVENTUI AUG SECUNDO
IN FODINAS HUNG MDCCLXIV M IUL
373
ORDINIS EQUIT S STEPHANI REGIS APO
SOLENIA RESTITUTA MDCCLXIIII V MAII
HIS TUTA SUB ALIS
FLORETHO NORE NOVO
374
M THERESIA PIA AUG P P REI METALL CONSERVAT ET AUGET
AQUAE SUBTERRANEAE DOMITAE
375
M THERESIA D G ROM IMP GER HUNG & BOH R E A A
DEO CONSERVATORI AUGUSTAE
OB REDDITAM PATRIAE MATREM 22 IUL II MDCCLXVII
376
TU DOMINE SPES ME
377
FRANCISCUS D G ROM IMP S A GERM HIER REX LOTH BAR
AETERNITATI AUG PRINCIPIS OPTIMI PATRIS PATR
MDCCLXV
378
M ANNA ET CAROLUS
SPONSI
NEXU ANTIQUO
MD CC XLIV VII IAN

Tab. XLV.




Seb. Mansfeld sc.




386
AVR.
387
AVR.
388
AVR.
389
AVR.
390
AVR.
VIRTVS
VNITA
VALET
391
AVR.
VICTRIX
CASTA
FIDES
392
AVR.
393
AVR.
DOMINVS
PROTECTOR
MEVS
395
AVR.
394
AVR.
PRO DEO
ET PATRIA
396
Æ.
ADNA

Binder sc.



[illegible] 7

Drachma $\frac{1}{8}$ unciae = 6 obolos. 100 drachm = [illegible]. 60 mn. = 1 Talent. Attic = 6000 drach.

[illegible] = 20 drachm.

[illegible] 59.

Denarius 100 [illegible] = 1 ℔ arg. Denarius aureus = 25 den. arg. = 100 HS.

Ratio arg. et auri apud Romanos p. 67. 1 ℔ = 12 uncis

Solidus aureus $\frac{1}{6}$ unciae auri; 72 [illegible] 1 ℔ auri; 1 Solidus = 12 milliarensis = 24 [illegible] [illegible]

Solidus argent. = 12 denar, $\frac{1}{20}$ unciae = denar. 20 solidi = 1 ℔ 12 unciarum librae gallicae

Solidus auri: 72 solidi aur = 1 ℔, 1 solidus 40 denar

[illegible] numisma [illegible] p. 19.

Marca Coloniensis ad [illegible] = 933 : 1010

Colon. 5 ℔ = ℔ 6 Viennensibus.

Marca = 8 unc. 16 loth 64 quintl vel 256 den. vel 512 obul vel 4352 grana. [illegible]

$\frac{1}{4}$ lothonis [illegible] quintl [illegible] $\frac{1}{5}$ solidi (J. Simonchicz [illegible]

Marca 8 unc, unc = loth, loth = 4 quint. quint = 68 grana.

[illegible] 3 gr. arg et 1 gr. aur. admixti)

Ex marca Vienn. cusi sunt 80 $\frac{2}{3}$ aurei, ac singuli ponderant $3\frac{37}{201}$ denarios ponderis mina[illegible] metalis. (256 den = 1 marca)

[illegible] Kremniciziensis ex una marca, quae est antiqua Budensis dat 70 $\frac{2}{3}$; [illegible] ensis [illegible] 67 ducatos. (Kölesèri Auraria p. 130.) Marca Viennensis 80 $\frac{2}{3}$ aur. quorum unus pendet $3\frac{37}{201}$ denarios ponderis minoris sine metalis

Gran 20 = scrupulus; 60 gr. = drachma; 480 gr. = uncia, 5760 gr. = libra Apothec.)

Grana in marca Coloniensi 18 = 1 loth, 288 = una Marca

1 Vierding facit 3 Hessg. Item 1 loth facit auch 3 Nessg. 1 Hess. [illegible] Quentel.

Andreas [illegible] P. II.